

M. T. CICERONIS EPISTOLARVM FAMILIARIVM LIB. XVI. SVMMORVM VIRORVM industria Exemplarium cum ueterum, tum recentiorum collatione restituti. QVIBVS hæc accesserunt:

PHILIPPI MELANCHTHONIS ARGVmenta, quæ Epistolis præfiximus. Eiusdēq; Scholia marginalia elegantissima.

Ioachimi CAMERARII Fabergensis recognitio elaborata: cuius & locorum aliquot præcipuorū Annotationes subiunguntur.

Christophori Longolij clariss. oratoris Castigationes.

Sebastiani Corradi, Petri Victorij, Bernardini Rutilij Annotationes castigationesq;, quas in calcem cuiuslibet libri apposuimus.

In aliquot libros obscuriora loca per A. Gellium, Angelum Politianum, Eras. Roterod. Lud. Cælium, Philip. Beroaldum, Stephanum Doletum, explanata.

Lemmata omnium Epistolarum, per Cybertum Longolium.

Græcarum uocum luculentæ interpretationes marginales.

Christophori Hegendorphini Annotationes marginales.

II 1926:2949.

T. LIVIVS HISTORIARVM

Libro CXX.

MAr. Cicero sub aduentum Triumuirorũ urbe cesserat, pro certo habens id quod erat, non magis Antonio eripi se, quàm Cęsari Cassium & Brutum posse. Primo in Tusculanum fugerat: inde transuersis itineribus in Formianum, ut ab Caieta nauim conscensurus, proficiscitur: unde aliquoties in altum prouectum, cum modò uẽti aduersi retulissent, modò ipse iactationẽ nauis cæco uoluente fluctu, pati non posset, tędium tandem eum & fugæ & uitæ cœpit. Regressus ad superiorem uillam, quæ paulò plus mille passibus à mari abest, Moriar, inquit, in patria sæpe seruata. Satis constat seruos fortiter fideliterq; paratos fuisse ad dimicandum: ipsum deponi lecticam, & quietos pati quod sors iniqua cogeret, iussisse. Prominenti ex lectica, præbentiq; immotã ceruicem, caput præcisum est. Nec satis stolidæ crudelitati militum fuit: manus quoq; scripsisse aliquid in Antoniũ exproperantes, præciderunt. Ita relatum caput ad Antonium, iussuq; eius inter

Bibliotheca Universitatis Tartuensis (Dorpatensis) 1926:2949.
H-II A
11550
48881442

duas manus in roſtris poſitũ: ubi ille Cõſul, ubi ſæpe conſularis, ubi eo ipſo anno aduerſum Antoniũ, quanta nulla unquã humana uox, cum admiratione eloquentiæ, auditus fuerat. Vix attollẽtes lachrymis oculos homines intueri trucidata membra eius poterant. Vixit tres & ſexaginta annos, ut ſi uis abfuiſſet, ne immatura quidem mors uideri poſſit. Ingenium & operibus & præmijs operarum felix: ipſe fortunæ diu proſperæ, & in longo tenore felicitatis magnis interim ictus uulneribus, exilio, ruina partiũ pro quibus ſteterat, filiæ morte, exitu tam triſti atq; acerbo. Omnium aduerſorum nihil ut uiro dignum erat tulit, præter mortem, quæ uere æſtimanti minus indigna uideri potuit, quòd à uictore inimico crudelius paſſus erat, quàm quod eiuſdẽ fortunæ compoſito feciſſet. Si quis tamẽ uirtutibus uitia penſarit, uir magnus ac memorabilis fuit, & cuius in laudes ſequendas Ciceronem laudatore opus fuerit.

II 1926:2949.

DE SCHOLA CICERONIS EX COMmendationibus Alexandri ab Alexandro Iuriſconſ. annotatio.

FRanciſcus Philelphus ætatis ſuæ homo doctus & fortunatus, inter ſui æui poëtas famam carmine, primum auſpicatus eſt, à principibusq; qui eo tempore floruerunt, magnis honoribus, & re familiari auctus, & honeſtatus fuit. Cuius uitia ineuntis adoleſcentiæ, poſtquã deferbuere cupiditates, cùm iam ætate matura ſeneſceret, magnis poſtea uirtubus emendauit. Is cùm æuo ingraueſcente celebris famæ haberetur, & optimatum rogatu accerſituq; Romam aduentaſſet: experiri, credo uolens, quantum dicendo ualeret, Tuſculanas quæſtiones Ciceronis publicè in ſcholis legere aggreſſus eſt. Ad eum quotidie concurſus ſtudioſorum iuuenum, & clari nominis profeſſorum frequens fiebat. Ipſeq; inter legendum ferina etiam tunc uoce & latere nouis & exquiſitis eloquentiæ generibus præceptisq; diſcipulos imbuebat: exploratóque iudicio ſingula dicendi genera & philoſophorum

ſcita multo cum nitore & cultu penſitabat & rimabatur. Eum ego adoleſcentulus ſenem, inter cæteros coæuos meos colui & obſeruaui: quumq; ad eum nos quoq; uentitaremus, memini ipſum inter legendum dicere Ciceronem cùm eiuſmodi quæſtiones ſcriberet, conuentum ſuæ ætatis ſtudioſorum habuiſſe, ludumq; literarium quaſi aperuiſſe, & pleraque hoc genus ſatis ſcitè & eleganter, ut mos ingeniumque eius fuit, non ſine multo ornatu in ſcholis recenſere. Cumque peroraſſet, & à lectione, ut fit, diſcipuli apud eum ſe colligerent & fabularentur: ipſeq; illa eadem ſæpius repeteret: animaduerti quempiam Grammaticum florentis facundiæ, cuius nomen libens prætereo, eius doctrinæ æmulum, qui ipſum perniciali odio proſequebatur, ſæpeq; apud ſtudioſos illum in inuidiam crimenq; uocabat, ſingulaq; non modo dicta factaq;, ſed uerba & nutus obſeruabat, contradicere: quæq; ille dixerat uera eſſe pernegare, neque apud autores inueniri, Ciceronem ludum aperuiſſe, aut ſcholas ſtudioſorum habuiſſe,

habuiſſe, aſſeuerare. Quumq; Philelphus, mitis ut erat & placidus, non Rhetorum ſcholas, in quas homines paſsim uentitarent, ſed tamen aliquos præſtantis ingenij uiros, ſtudioſos diſciplinarum Ciceronem edocuiſſe, & quaſi ludum aperuiſſe diceret: idq; teſtimonio probari illius ad Pætum epiſtola, qua ſe Dionyſium ſuperiorem imitari dicit, qui quum Siracuſis expulſus, Athenas commigraſſet, ludum inibi aperuit: ſe pariter habere diſcipulos aſſeuerauit. Hæc & pleraque cùm ille diceret, contraq; quum alter inſectaretur, et iam non contentione, ſed clamoribus & propè dimicatione rem agerent: nec res ſiſti uideretur poſſe, excandeſcens Philelphus, tanta indignatione exarſit, ut illum indoctiſsimum omnium indoctorum uocitaret. Tandem communi diſcipulorum amicorũq; intercurſu deſita ira & ardore illo animorum, compoſita controuerſia, & lis dirempta eſt. Sed quum poſtea in ipſius Ciceronis multiplici lectione uerſaremur, inuenimus id ab eo apertius ſignificari. Nanque ad Volumnium Caſsium

scribens, Cassium & Dolabellam suis auribus frui asseuerat. Ad Pætum quoq; ueniunt qui me audiunt, quasi doctum hominem, quia paulò sum quàm Illi doctior: & ad Papyrium Pætum, Hircium ego habeo, inquit, & Dolabellam, dicendi discipulos, cœnandi magistros: puto te audisse illos apud me declamitare. Vatinius quoque ad Ciceronem de Catillo inquit: Defenditur à Q. Volusio tuo discipulo. Quod & M. Fabius de Cælio & Pansa testatus. Qui omnes à primo ætatis gradu Ciceronem in disciplinis bonarum artium sectati fuere. Sed quod de Cicerone, idem nimirum de Socrate, Platone, Aristotele, alijsq; doctissimis uiris, qui scientia præcelluere accepimus: qui bonis disciplinis iuuenum animos imbuendo, æternam sibi gloriam peperere, suisq; dissertationibus & documentis diuersarum opinionum sectas inuenere. Ante omnes Pythagoras Samius iuuenum æmulantium studia, scholasque Sophistarum in Italia habuisse fertur. Pluresq; discipulos reliquisse magnæ & expertæ uirtutis. Sic Thebanum Epaminundam

nundam Lysias Pythagoreus. Aristoteles Theophrastum, & Syracusanum. Dionysium Plato erudiuit. Perraroq; eximius aliquis ingenio, & doctrina inuentus est uir, cuius non aliqua monumenta studiorum mandata literis, aut aliqui discipuli sapientiæ præceptis aucti & imbuti, uelut hæreditaria munera, posteritati relicti fuerint.

CHRISTOPHORVS HEGENDORPHINVS ET IMAGINIbus & eruditione insigni iuueni, Barptholomæo Stauiskio, magnifici Capitanei Posnanensis à literis S. P. D.

DVM mecum considero ornatissime Barptholomæe, cur nam iuuenes plericq; studiosi in epistolis scribendis tã nunquã aliquotenus progrediantur, tres causas impediti illius progressus comperio. Primo omniũ, iuuenes ferè contemptis præceptionibus, rectè & certo scribendi epistolas, quocũcq; eos animi quidã & naturæ impetus defert, rapiuntur. At quũ sine præceptionibus, quæ scribentibus uiam quandã ad rectè & certè scribendũ aperiũt, nunquam rectè, nunquã solidè scribere possumus. Quid mirũ, quod iuuenes præceptionũ contemptores nunquã, nec rectã, nec certam in scribendis epistolis promptitudinẽ sibi comparant. Nã ut artis pingendi studiosus nunquam rectè

rectè pingere discet, nisi certas illius artis regulas à magistro suo accipiat: ita scribẽdarũ epistolarum cupidus iuuenis, & rectè & certè scribet nunquã, nisi ab artis dicẽdi peritis, certis præceptionibus ad scribendum instituatur. Etenim uidemus, quàm errent, quàm fluctuent semper iuuenes ij, qui præceptionũ artis Rhetoricæ imperiti, ad epistolas scribẽdas, illotis pedibus, quod aiunt, irrumpũt: illis nec rectũ exordium inueniri ullum, nec fortè inuentũ tractari potest: illis nec narrandi ratio ulla certa suppetit, nec argumenta, quibus id quod tractare uolũt, aut confirment, aut infirment, suppeditantur: nec forte fortuna suppeditata illis usui sunt, ut quę rectè accommodare nequeunt. ne quid in Epilogo præstandũ sit, occurrit: nec si occurrerit tractari potest. Et quod nõ postremũ est, certa ratio collocãdi orationẽ nulla reperitur. Deinde, quia paucissimi adeo iuuenes uel in Cicer. uel alterius cuiuspiã eloquẽtię puræ autoris, epistolis, exordiorũ fontes, narrationis lucem, argumentorũ οἰκονομίας. Epilogi rationẽ, collocationẽ uerborũ perpendũt.

Proinde

Proinde pauciſsimi, ad rectam iuxta certam ſcribendi Epiſtolas facultatem perueniunt: ſiquidem ut præcepta ſcribẽtibus iter, quod inter ſcribendũ ingrediantur, demonſtrant, ita non parum etiam ſcripturientibus epiſtolas, proderit in aliorum epiſtolis totam οἰκονομίαν argumenti alicuius tractati obſeruare. Nam ſi forſitan ſimile argumentum tractandum incidat, ilicò tota illius tractandi panoplia nobis in promptu exiſtit. Poſtremo & illud progreſſum rectè ſcribendi epiſtolas in iuuenibus impedit, quod iuuenes plericq; rarò epiſtolas conſcribant. Etenim, quando caput recti ſcribendi ſit, quàm plurimum ſcribere. Et quando ſtilus (ut quidam apud Ciceronem inquit, ſit optimus & præſtantiſsimus dicendi effector ac magiſter, quid mirum uideri poteſt, iuuenes eos, qui adeo rarò ſcribunt, nunquam in epiſtolis ſcribendis & felices & promptos euadere? Hæ ſunt cauſæ, mi chariſsime Barptholomæe (ut mea fert ſentẽtia) cur iuuenes plericq; uel ſero, uel nunquam potius, in epiſtolis rectè conſcribendis feliciter progrediuntur. Ex illis,

lis, quæ iam retuli, facilè conijci poteſt, quibus rationibus, cõpendio ad felicem ſcribendi epiſtolas promptitudinem iuuentus peruenire poſsit. Nimirũ, ſi præceptionibus certis quas in omni epiſtolarum genere reſpiciat, animum ſuum informârit, ſi in autoribus alijs rationem tractaturum epiſtolarum obſeruet, denique ſi quamplurimum ſcribat. Quod ad præceptiones attinet, facilè iuuenibus iſto ſeculo conſuli poteſt, nam extant Eraſmi illius magni De conſcribendis epiſtolis præceptiones, quas ſi quis auidè imbiberit, nunquam non, quod inter ſcribendũ ſequatur, in promptu habere poterit. Quod ſi alicui doctiſsimæ illæ Eraſmi præceptiones prolixiores uidẽtur, quàm ſuas ſecum in memoria circumferre queat, noſtris præceptionibus admodũ breuibus, quas non ita pridem emiſimus, nõnihil adiuuari poterit. Quod ad ſtilũ exercendum ſpectat, hic quilibet ſibiipſi hortator exiſtat. Etenim ex ſtilo illi uni qui eum urget, commodum accreſcit. Vt uerò iuuẽtus in epiſtolis Ciceronis, quas in primis ei commendatas eſſe uolo, & rationem

rationem epistolarũ, & totam argumenti οἰκονομίαν obseruare queat, & inde habeat, quod scribendo imitetur. ego horis succisiuis in omnes Ciceronis epistolas Scholia quædam cõscripsi, in quibus primo omnium speciem epistolæ cuiuslibet pro mea uirili diligenter ostendo. Deinde, quibus ex rebus exordium epistolæ profluat, ubi propositio, ubi narratio sit, ubi confirmatio cõstat, quibus argumentis constet, ubi aliquando à themate digressio fiat, quæ sit epilogi ratio, candidè doceo. Ex quibus omnibus facilè ex tota epistolæ dispositio iuuentuti innotescere poterit, & illi exempla ad imitandũ plurima suppeditabũtur. Illa mea Scholia tibi mi suauissime Barptholomæe, seorsim dedico: tum ut mei erga te animi promptissimi significationem habeas: tum, ut Scholia tibi iuueni & nobilissimo & eruditissimo dedicata, à iuenibus alijs & cupidius emantur, & diligentius protegantur, ac pluris fiant. Nam ut merces, si sub magni alicuius uiri titulo uænum exponuntur, & uendibiliores & gratiores sunt: ita scripta quoque nostra insigni alicui

cui homini nuncupata, facilius & emptores ad se illiciunt, & lubentius in manibus teruntur, ac pluris æstimãtur. Quod ad Ciceronem attinet, non opus est illa, qua in nostris scriptis utimur, illecebra. Siquidem is quadam arcana illicibili eloquentiæ sui ui, suapte natura, non aliter ac Magnes ferrum, lectores ad se rapit, attrahitq; . Tu bene uale, & Scholia nostra tibi nuncupata, eo, quo à me tibi dantur, animo suscipe. Dantur uerò animo prorsus candido & syncero.

M. T. CICERONIS EPISTOLARVM FAMILIARIVM LIBER PRIMVS.

ARG. EPIST. SEQ.

Ptolemæus Auletes rex Aegypti, erat pulsus regno a sorore, hunc uolebant per se restitui Lentulus & Pompeius: sed erant alij qui impediebant utrumq; : ita ut tandem Rabirius restituerit, ex qua re causa Rabirij orta est. Fuit autē oraculum Romæ, futuram tunc imperij mutationem, quando ingrederentur Romam in Aegyptum. Cæsar igitur, quando occupauit Ægyptum, absterritus isto oraculo, noluit Ægyptum in prouinciam redigere. Cicero aūt nunciat Lentulo absenti, quid de causa illius in Senatu actum sit.

M. T. C. Publio Lentulo Proconsuli S. P. D.

Nuncupatoria est epistola.

Ab officio exorditur.

Narratio.

Restitutionis

Exordium ab extenuatione sui officij, seu relatæ gratiæ.

Hammonius.

Ptolomæi Auletæ de quo Strabo lib. xvij.

Id est calumniosam interpretationem.



TO omni officio, ac potius pietate erga te, cæteris satisfacio omnibus: mihi ipse nunquam satisfacio. Tanta enim magnitudo est tuorum erga me *meritorum, ut quoniam tu, nisi perfecta re, de me non conquiesti: ego, quia nō idem in tua causa efficio, uitam mihi esse acerbam putem. In causa hæc sunt. Hammonius † regis legatus apertè pecunia nos oppugnat. Res agitur per eosdem creditores, per quos, cùm tu aderas, agebatur. Regis causa, si qui sunt, qui uelint, qui pauci sunt, omnes rem ad Pompeiū deferri uolunt. Senatus † religionis calumniam non re-

ligione, sed maleuolentia, & illius regiæ largitionis inuidia comprobat. Pompeium & hortari, & orare, & iam liberius accusare, & monere, ut magnã * infamiam fugiat, non desistimus. Sed planè ne precibus nostris, nec admonitionibus reliquit locũ. Nam cùm in sermone quotidiano, tum in Senatu palàm sic egit causam tuam, ut neq; eloquentia maiore quisquàm, neq; grauitate, nec studio, nec contentione agere potuerit, cum summa testificatione tuorum in se officiorum, & amoris erga te sui. Marcellinum tibi esse iratum scis. Is, hac regia causa excepta, cæteris in rebus se acerrimum tui defensorem fore ostendit. Quod dat accipimus: quod instituit referre de religione, & sæpe iam retulit, ab eo deduci non potest. Res antè Idus acta sic est: nam hæc Idibus mane scripsi. Hortensij, & mea, & Luculli sententia cedit religioni de exercitu (teneri enim res aliter non potest) sed ex illo senatusconsulto, quod te referente factum est, tibi decernit, ut regem * deducas: quod commodè facere possis, ut exercitum religio tollat, te autorem Senatus retineat. Crassus treis legatos decernit, nec excludit Pompeium: censet enim etiam ex ijs, qui cum imperio sunt. Bibulus treis legatos ex ijs, qui priuati sunt. Huic assentiuntur reliqui Cõsulares, præter Seruilium, qui omnino reduci negat oportere: & Volcatium, qui Lupo referente, Pompeio decernit: & Afranium, qui assentitur Volcatio: quæ res auget suspicionem Pompeij uoluntatis: nam aduertebatur Pompeij familiareis assentiri Volcatio. Laboratur uehementer: inclita

prætationem oraculi. Scilicet ne uidear corruptus pecunia.

Causam agere est fortunas & honores alicuius defendere.

Alij Marcellum legunt.

Reducas: quia tu Reip. commodo facere possis.

Afranius fuit unus ex ducibus Pompeij

inclita * res est. Libonis, & Hypsei non obscura concursatio, & cõtentio, omniumq; Pompeij familiarium studium, in eam opinionem rem adduxerunt, ut Pompeius cupere uideatur: cui qui nolunt, ijdem tibi, quòd eum * ornasti, non sunt amici. Nos in causa autoritatem eò minorem habemus, quòd tibi debemus. Gratiam aũt nostram extinguit hominum suspicio, quòd Pompeio se gratificari putant. Vt in rebus multò antè, quàm profectus es, ab ipso rege, & ab intimis, ac domesticis Pompeij clàm exulceratis, deinde palàm à consularibus exagitatis, & in summã inuidiam adductis, ita uersamur. Nostram fidem omnes, et amorem tui absentis, præsentes tui cognoscent. Si esset in ijs fides, in quibus summa esse debebat, non laboraremus. Vale.

Translatio sumpta à parietibus.

Scilicet procuratione rei frumentariæ.

Clausula.

ARG. EPIST. SEQ.

Nunciatoria & hæc est, continet causas habiti Senatus, & quid sperandũ deinceps Lentulo sit, ex secunda conuocatione ostẽdit.

M. T. C. Publio Lentulo. S. P. D. 2

IDibus Ianuarijs in Senatu nihil est confectum, propterea quòd dies magna ex parte consumptus est altercatione * Lentuli consulis, & Caninij Tribuni pleb. Eo die nos quoq; multa uerba fecimus: maximeq; uisi fuimus senatum cõmemoratione tuæ erga illum ordinem uoluntatis cõmouere. Itaq; postridie placuit, ut breuter sententiàs diceremus: uidebatur enim recõciliata nobis uoluntas senatus esse: quod tum dicendo, tum singulis appellandis, rogandisq; perspexeram. Itaq; cum sententia prima Bibuli pronunciata esset, ut tres legati regem reducerent: secunda Hortensij, ut tu sine exercitu

A narratione perpetuã exorditur. Lucij

Diuidere sententiam est obscurã sententiam iterũ referri, ut explicetur.

reduceres: tertia Volcatij, ut Pompeius reduceret: postulatũ est, ut Bibuli sententia * diuideretur. Quatenus de religione dicebat (eiq; rei iam obsisti non poterat) Bibulo assensum est: de tribus legatis, frequentes ierunt in alia omnia. Proxima erat Hortensij sententia, cui Lupus Tribunus Plebis, quòd ipse de Pompeio retulisset, * intendere cœpit, ante se oportere † discessionem facere, quàm cõsules. Eius orationi uehemẽter ab omnibus reclamatũ est: erat enim & iniqua, & noua. Consules neq; concedebant, neq; ualde repugnabant: diem consumi uolebant: id quod est factum: perspiciebant enim in Hortensij sententiam multis partibus plureis ituros: quanquàm aperte Volcatio assentirẽtur. multi rogabantur, atq; id ipsum Consulibus inuitis: nam ij Bibuli sententiam ualere cupierunt. Hac controuersia usq; ad noctem ducta, senatus est dimissus: & ego eo die casu apud Pompeium cœnaui: nactusq; tempus hoc magis idoneum, quàm unquàm antea, quòd post tuum discessum, is dies primus honestissimus nobis fuerat in Senatu: ita sum cum illo locutus, ut mihi uiderer animum hominis ab omni alia cogitatione ad tuam dignitatem tuendam * traducere. quem ego ipsum cùm audio, prorsus eum libero omni suspicione cupiditatis: cùm autẽ eius familiareis omnium ordinũ uideo, perspicio id, quod iam omnibus est apertum, totam rem istam iampridem à certis hominibus non inuito rege ipso, consiliarijsq; eius, esse corruptam. Hæc scripsi ad XVI. Calendas Februarij, antè lucem. Eo die senatus erat futurus. Nos in senatu, quemadmodum

Vide Asconium.

Hoc est aduersari translatio sumpta ab arcubus

Pronunciare ut surgant senatores & significent quinam sint ituri in cuiusq; sententiam.

Remouere

Officium illi pollicetur.

dum spero, dignitatem nostram, ut potest in tanta hominum perfidia, & iniquitate, retinebimus. Quod ad * popularem rationem attinet, hoc uidemur esse consecuti, ut nequid agi cum populo aut saluis auspicijs, aut saluis legibus, aut deniq; sine ui posit. De his rebus pridie, quàm hæc scripsi, Senatus autoritas grauissima * intercesserat: cui cũ Cato & Caninius intercessissent, tamen est perscripta. eam ad te missam esse arbitror. De cæteris rebus quicquid erit actum, scribam ad te: & ut quàm rectissimè agantur, omni mea cura, opera, diligentia, gratia prouidebo. Vale.

hoc est iudicium popularem. Narratio est cõtinens causam petitionis, & commendationẽ personæ.

Est obsistere ne referatur ad populum.

ARG. EPIST. SEQ.

Epistola est commendatoria, generis suasorij. Commendatoriæ autem epistolæ tacitam laudationem habent. Non enim cuiquam fauemus, nisi dignus sit, cui bene fieri debeat. Ita Aulum Trebonium commendat Lentulo, ut illi in rebus necessarijs adminiculo sit. Caret autem exordio hæc epistola.

M. T. C. Publio Lentulo S. P. D. 3

Epistola commendatoria generis suasorij. Cõmendatoriæ epistolæ tantum laudationem habent. Exorditur a causis, quibus ad commendandum Trebonium adductus sit.

ALtio Trebonio, qui in tua * prouincia magna negotia & ampla, & expedita habet, multos annos utor ualde familiariter. Is * cum antea semper & suo splendore, & nostra, cæterorumq; amicorum cõmendatione gratissimus in prouincia fuit: tum hoc tempore propter tuum in me amorem, nostramq; necessitudinem uehementer confidit, his meis literis se apud te gratiosum fore: quæ ne spes eum fallat, uehementer te rogo: cõmẽdoq; tibi eius omnia negotia, libertos, procuratores, familiã. In primisq;, ut quæ * Appius de eius re decreuit, ea cõprobes, omnibusq; rebus eum ita tractes, ut intelligat nostrã cõmendationem non uulgarem fuisse. Vale.

alias T. Amplius

ARG. EPIST. SEQ.

Quo minus ex uoluntate Lentuli, & Ciceronis res confecta sit, conijcit culpam in Senatus dissentionem. Subiungitur cõmendatio officij sui a cura & prouidentia, qua in cõfirmatione causæ usus e.

M. T. C. Publio Lentulo S. P. D. 4

Nuntiatoria est epistola. A narratione exorditur.

ADXVI. Calend. Febr. cum in Senatu pulcherrimè *staremus, quod iam illam sententiam Bibuli de tribus legatis pridie eius diei fregeramus: unũq; certamen esset relictum, sententia Volcatij: res ab aduersarijs nostris extracta est uarijs calumnijs: causam enim frequẽti Senatu, * in magna uarietate, magnaq; inuidia eorum, qui à te causam regiam aliò transferebãt, obtinebamus. Eo die acerbum habuimus Curionem: Bibulum multò iustiorem, penè etiam amicum. Caninius, & Cato negarunt se legem ullam antè comitia esse laturos. Senatus haberi antè Calend. Febr. per legem Pupiam, id quod scis, non potest: neq; mense * Febr. toto, nisi perfectis, aut reiectis legationibus. Hæc tamen opinio est populi Romani, à tuis inuidis, atq; obtrectatoribus nomen inductum fictæ religionis, non tam ut te impedirent, quàm ut ne quis propter exercitus cupiditatem Alexandriam uellet ire. Dignitatis autem tuæ nemo est, quin existimet habitam esse rationem ab Senatu: nemo est enim, qui nesciat, quò minus discessio fieret, per aduersarios tuos esse factum: qui nunc populi Rom. nomine, re autem uera sceleratissimo latrocinio, si qua conabuntur agere, satis prouisum est, ut ne quid saluis auspicijs aut legibus, aut etiam sine ui agere possint. Ego neq; de meo studio, neq; de nõnullorũ iniuria scribendum mihi esse*

alias: magna uanitate: uel, non magna uarietate.

Hic mensis legationibus audiendis attributus.

Quando senatus decreuit ut Lentulus reduceret cum exercitu.

*esse arbitror. Quid enim aut me ostentem, qui si uitam pro tua dignitate profundam, nullam partem uidear tuorum meritorum assecutus? aut de aliorum iniurijs querar: quod sine summo dolore facere non possum? Ego tibi, in hac præsertim imbecillitate magistratuum, præstare nihil possum: at * ea excepta, possum confirmare, te & Senatus, et populi Rom. summo studio, amplitudinem tuam retenturum. Vale.

Conclusio quæ habet figuratã commẽdationem officiorum suorum. Præstare uerbum iuris cõsultorum.

Alij inexcepta.

ARG. EPIST. SEQ.

Illa est magis rhetorica. Exorditur autem a uoto, quo de studio cæterorum uero perfidia dicit. Summa exordij. Votum, optat ut reddere beneficium possem. Correctio: sed tantũ studium inutile præsto. Ratio, qui alij sunt perfidi. Cato & Pompeius.

M. T. C. Publio Lentulo S. P. D. 5

Exorditur a temporum iniquitate, & hominum perfidia. Epistolæ principium moratum.

TAmetsi mihi nihil fuit optatius, quàm ut primùm abs te ipso, deinde à cæteris omnibus, quàm gratissimus erga te esse cognoscerer: tamen afficior summo dolore eiusmodi tempora post tuã profectionem consecuta esse, ut & meam, & cæterorũ erga te fidem et beneuolentiam absens experire. Te autem, & uidere, & sentire eandem fidem esse hominũ in tua dignitate, quam ego in mea salute sum expertus, ex tuis literis intellexi. Nos cũ maximè consilio, studio, labore, gratia, de causa regia niteremur, subitò exorta est nefaria * Catonis promulgatio, quæ studia nostra impediret, & animos à minore cura ad summũ timorẽ traduceret. Sed tamẽ in huiusmodi rerũ perturbatione quanq; omnia sunt metuenda, nihil magis, q̃ perfidiã timemus: & Catoni quidẽ, quoquo modo se res habeat, profecto resistimus: de

Narratio est quid actum sit in senatu de causa regia de qua magna controuersia erat.

Qua dabatur successor Lentulo.

Regis causam puta: de qua propter uarias multorũ opiniones, & carmina Sibyllina, nihil erat certi constitutũ.

Alexandrina re, causaq; regia tantum habeo polliceri, me tibi absenti, tuisq; præsentibus cumulatè satisfacturũ. Sed uereor, ne aut eripiatur à nobis regia causa, aut deseratur: quorũ utrum minus uelim, non facilè possum existimare. Sed si res coget, est quiddam tertium, quod neq; Selicio, nec mihi displicebat: ut neq; iacêre regem pateremur, nec nobis repugnantibus ad eum deferri, ad quem propè iam delatũ esse existimatur. A nobis agentur omnia diligẽter: ut neq;, si quid obtineri poterit, nõ contendamus: neq;, si quid nõ obtinuerimus, repulsi esse uideamur. Tuæ sapientiæ, magnitudinisq; animi est, omnem amplitudinem, & dignitatẽ tuam in uirtute, atq; in rebus gestis tuis, atq; in tua grauitate positam existimare. Si quid ex ijs rebus, quas tibi fortuna elargita est, nõnullorum hominũ perfidia detraxerit, id maiori illis fraudi, quàm tibi futurũ. A me nullum tempus prætermittitur de tuis rebus & agendi, & cogitandi: utorq; ad omnia Q. Selicio, quo neq; prudentiorẽ quenquam ex tuis, neq; fide maiore esse iudico, neq; amantiorem tui. Hic quæ agãtur, quæq; acta sint, ea te & literis multorum, & nuntijs cognoscere arbitror: quæ autẽ posita sunt in * coniectura, quæq; mihi uidentur fore, ea puto tibi à me scribi oportere. Posteà quàm Pompeius apud populũ ad VIII. Idus Februarias, cum pro * Milone diceret, clamore, conuitioq; iactatus est, in Senatuq; à Catone asperè & acerbè, omniũ magno silentio, est accusatus: uisus est mihi uehementer esse perturbatus. Itaq; Alexandrina causa, quæ nobis adhuc intergra est (nihil enim

Consolatio ut æquo animo ferat, si res non successerit.

Redit ad narrationem.

σοχασμὸν

Primato, & reo ad populum, accusante P. Clodio.

enim tibi detraxit Senatus, nisi id, quod per eandẽ * religionẽ dari alteri nõ potest) uidetur ab illo planè esse deposita. Nunc id speramus, idq; molimur: ut cùm rex intelligat sese, id quod cogitabat, ut à Pompeio reducatur, assequi non posse: & nisi per te sit restitutus, desertum se, atq; abiectum fore, proficiscatur ad te. Quod sine ulla dubitatione, si Pompeius paulùm modò ostenderit sibi placere, faciet. Sed nosti hominis tarditatem, & taciturnitatem. Nos tamen nihil, quod ad eam rem pertinet, prætermittimus. Cæteris * iniurijs, quæ propositæ sunt à Catone, facilè, ut spero, resistemus. Amicum ex Consularibus neminem tibi esse uideo, præter Hortensium, et Lucullum: cæteri sunt partim obscurius iniqui, partim nõ dissimulãter irati. Tu fac animo forti, magnoq; sis: speresq; fore, ut fracto impetu * leuissimi hominis, tuam pristinã dignitatẽ & gloriã consequare. Vale.

Hoc uidelicet, ne quis cum multitudine aut exercitu regem reduceret.

Præsertim de imperio tibi abrogando.

Hortatiuncula & conclusio. C. Catonis.

ARG. EPIST. SEQ.

Excusatio est per reiectionẽ. Breuius scribo, quia utriusq; nostrũ amicus Pollio rem tibi omnẽ narrabit. Recitat ipse causas consolationis doloris sui ne omnino spẽ de causa deposuisse credatur.

M. T. C. Publio Lentulo. S. P. D. 6

Nunciatoria epistola. Benevolentiam captat a persona Pollionis.

QVæ gerantur accipies ex Pollione, qui omnibus negotijs non interfuit solùm, sed præfuit. * Me in summo dolore, quem in tuis rebus capio, maximè scilicet consolatur spes, quòd ualde suspicor fore, ut infringatur hominum improbitas, & cõsilijs tuorum amicorum, & ipsa dies, qua debilitãtur cogitationes et inimicorum, & proditorum. Facilè secundo loco me consolatur recordatio meorum * temporum, quorũ imaginem uideo in

Consolatio.

Narratio.

Exilij

tuis rebus. Nam etsi minore in re uiolatur tua dignitas, quàm mea salus afflicta sit: tamen est tanta similitudo, ut sperem te mihi ignoscere, si ea non timuerim, quæ ne tu quidem unquam timenda duxisti. Sed præsta te eum, qui mihi à teneris (ut Græci dicunt) unguiculis es cognitus. Illustrabit (mihi crede) tuam amplitudinem hominum iniuria. A me autem omnia summa in te studia, officiaq; expecta: non fallam opinionem tuam. Vale.

Hortatiuncula est in epilogo.

Conclusio qua transfert suam consolationem ad Lentulum.

ARG. EPIST. SEQ.

Ista epistola habet quandam uarietatẽ. Principio est exordium, in quo est quædam commemoratio: postea sequitur narratio de regia causa, & de perfidia istorum, qui debebant ornare Lentulum: postremo, sequitur consilium, qua ratione existimet regem reduci posse. Deinde sequitur quasi alia quædam epistola, & primo est quædam narratio consiliorum Ciceronis, quare uidelicet hoc tempore minus pugnet in Repub. quam antea solitus sit facere, quia pisces semel læsus postea fugit hamum. Postremo locus est adhortatio quædam, ut Lentulus sese conferat & applicet ad gubernationem Reipub. ut aliquid laudis ex prouincia acquirat. Et illa quasi altera epistola plus habet difficultatis, estq; magis rhetorica.

M. T. C. Publio Lentulo S. P. D. 7

Captat benuolentiam a rebus, quas ex literis Lentuli, Lentulo gratas esse intellexit.

*Legi tuas literas: quibus ad me scribis, gratũ tibi esse, quòd crebro certior per me fias de omnibus rebus, & meã erga te fidẽ & beneuolentiam facilè perspicias: quorũ alterũ mihi, ut te plurimùm diligam, facere necesse est, si uolo is esse, quem tu me esse uoluisti: alterum facio libenter, ut quoniam interuallo locorum, & temporũ disiuncti sumus, per literas tecum quàm sæpissime colloquar. Quod si rarius fiet, quàm tu expectabis, id erit causæ, quòd non eius generis meæ literæ sunt, ut eas audeam temerè committere. Quoties mihi certorũ hominũ * facultas erit, quibus rectè dem, non prætermittam.*

Excusat sese cur rarius, q̃ uelit Lentulus, scribat. Propositio.

potestas

*tam. * Quòd scire uis qua quisq; in te fide sit, & uoluntate: difficile dictu est de singulis. Vnum illud audeo, quod antea tibi sæpe significaui, nunc quoq; re perspecta, et cognita, scribere: uehementer quosdam homines, & eos maximè, qui & te maximè debuerunt, & plurimum iuuare potuerunt, inuidisse dignitati tuæ, similimamq; in re dissimili tui temporis nunc, & nostri quondam fuisse rationem: ut quos tu Reipublicæ causa læseras, palàm te oppugnarent: quorum autoritatem, dignitatem, uoluntatemq; defenderas, nõ tam memores essent uirtutis tuæ quàm laudis inimici. Quo quidem tempore ut perscripsi ad te antea, cognoui Hortensium percupidum tui, studiosum Lucullum: ex magistratibus autem L. Rutilium & fide, & animo in te singulari. Nam nostra propugnatio, ac defensio dignitatis tuæ, propter magnitudinẽ beneficij tui fortasse pleriscq; officij maiorem autoritatem habere uideatur, q̃ sentẽtiæ. Præterea quidem de consularibus nemini possum aut studij erga te, aut officij, aut amici animi esse testis. Etenim Põpeiũ, qui mecum sæpissimè, non solùm à me prouocatus, sed etiam sua sponte de te communicare solet, scis temporibus illis non sæpe in senatu fuisse. Cui quidẽ literæ tuæ, quas proximè miseras, quod facile intellexerim, periucundæ fuerunt. Mihi quidem humanitas tua, uel summa potius sapientia, non iucunda solùm, sed etiam admirabilis uisa est. Virum enim excellentem, & tibi tua præstanti in eũ liberalitate deuinctũ, nõnihil suspicantẽ propter aliquorũ opinionẽ cupiditatis suæ, te ab se abalienatum,*

Narratio de uoluntatibus a multorum, et de negotio Alexãdrino

Narratio, qua uerisimile facit fore, ut Lentulus regem in Ægyptum reducat.

Pompeium Lentulo fauere probare conatur.

natum, illa epistola retinuisti. Qui mihi cum semper tuæ laudi fauere uisus est, etiam ipso suspiciosissimo tempore * Caniniano: tum uerò lectis tuis literis perspectus est à me, toto animo de te, ac de tuis ornamentis, & cõmodis cogitare. Quare ea, quæ scribam, sic habeto, me, cum illo re sæpe communicata, de illius ad te sententia, atq; autoritate scribere: Quoniam senatusconsultum nullum extat, quo reductio regis Alexandrini tibi adempta sit: eaq;, quæ de ea causa scripta est, autoritas, cui scis intercessum esse, ut ne quis omnino regem reduceret, tantam uim habet, ut magis iratorum hominum studium, quàm constantis senatus consilium esse uideatur: * te posse perspicere, qui Ciliciam, Cyprumq; teneas, quid efficere, & quid consequi possis: & si res facultatem habitura uideatur, ut Alexandriam, atq; Aegyptũ tenere possis: esse & tuæ, & nostri imperij dignitatis, Ptolemaide, aut aliquo propinquo loco rege collocato, te cum classe, atq; exercitu proficisci Alexandriam: ut cùm eam pace, præsidijsq; firmaris, Ptolemæus redeat in regnum. ita fore, ut per te restituatur, quemadmodum senatus initio censuit: & sine multitudine reducatur, quemadmodum homines religiosi Sibyllæ placere dixerunt. * Sed hæc sententia sic & illi, & nobis probabatur, ut ex euentu homines de tuo consilio existimaturos uideremus: si cecidisset, ut uolumus & optamus, omneis te & sapienter, & fortiter: sin aliquid esset offensum, eosdem illos & cupidè & temerè fecisse dicturos. Quare quid assequi possis, non tam facile est nobis, quàm

Catoniano.

Facit fidem ijs quæ de Pompeio scripsit. Prolepsis. Verba ex senatusc̃sulto

Ironia. Correctio illius consilij

A loco.

quàm tibi, cui propè in conspectu Aegyptus est, iudicare. Nos quidẽ hoc sentimus: si exploratum tibi sit, posse te illius regni potiri, non esse cunctandum, sin dubium, non esse conandum. Illud tibi affirmo, si rem istam ex sententia gesseris, fore, ut absens à multis: cum redieris, ab omnibus collaudere: offensionem esse periculosam propter interpositam autoritatem religionemq; uideo. Sed ego te ut ad certam laudem adhortor, sic à dimicatione deterreo: redeoq; ad illud, quod initio scripsi, totius facti tui iudicium non tam ex consilio tuo, quàm ex euentu homines esse facturos. Quòd si hæc ratio rei gerendæ periculosa tibi uidebitur, placebat illud, ut si rex amicis tuis, qui per prouinciam imperij tui pecunias ei credidissent, fidem suam præstitisset, & auxilijs eum tuis, & copijs adiuuares: eam esse naturam & * rationem prouinciæ tuæ, ut illius reditum uel adiuuando cõfirmares, uel negligendo impedires. In hac ratione quid res, quid causa, quid tempus ferat, tu facilimè optimeq; perspicies: quid nobis placuisset, ex me potissimum putaui te scire oportere. Quod mihi de nostro statu, de Milonis familiaritate, de leuitate & imbecillitate Clodij gratularis: minimè miramur te tuis, ut egregium artificem, præclaris operibus lætari: quanquàm inest incredibilis hominum peruersitas (grauiori enim uerbo uti non libet) qui nos, quos fauendo in communi causa retinere potuerunt, inuidendo abalienauerũt: quorũ maleuolentissimis obtrectationibus nos scito de uetere illa nostra, diuturnaq; sententia propè iam esse depulsos: non

A laudabili.

Aliud consilium regem reducendi.

Al. regionem

Respondet ad alteram quandã partem epistolæ Lentuli, in qua is Ciceroni gratulatus erat ob Milonis familiaritatem, & Clodij aduersarij imbecillitatem. Cur sententiã de repub. mutauerit.

non nos quidem ut nostræ dignitatis simus obliti, sed ut habeamus rationem aliquando etiam salutis. Poterat utrunq; præclarè, si esset fides, si grauitas in hominibus consularibus: sed tanta est in pleriſq; leuitas, ut eos non tam constantia in republica nostra delectet, quàm splendor offendat. Quod eò * libentius ad te scribo, quòd tu non solùm temporibus ijs, quæ per te sum adeptus, sed etiam olim nascenti propè nostræ laudi, dignitati, uirtutiq; *præfuisti: simul quòd uideo, non, ut antehac putabam, nouitati esse inuisum meæ: in te enim homine omnium nobilissimo similia inuidorum uitia perspexi: quem tamen illi esse in principibus facilè sunt passi, euolare altius certè noluerunt. Gaudeo tuam dissimilem fuisse fortunam, multum enim interest, utrum lapsis immineatur, an salus deseratur. Me meæ tamen ne nimis pœniteret, tua uirtute perfectum est. Curasti enim, ut plus additũ ad memoriam nominis nostri, quàm ademptum de fortuna uideretur. Te uerò moneo cũ beneficijs tuis, tum amore incitatus meo, ut omnem gloriam, ad quam à pueritia inflammatus fuisti, omni cura, atq; industria consequare: magnitudinem q; animi tui, quam ego semper sum admiratus, semperq; amaui, ne unquam inflectas cuiusquam iniuria. Magna est hominum opinio de te, magna commendatio liberalitatis, magna memoria Consulatus tui. Hæc profecto uides quantò expressiora, quantoq; illustriora futura sint, cùm aliquantũ ex prouincia, atq; ex imperio laudis accesserit. Quanquam te ita gerere uolo, quæ per exercitum atq; imperium gerenda

al. liberius.

al. fauisti, quę lectio germana est, quod non soleat quibuslibet amicis tam aperte adblandiri.

Monet Lentulum, ne magnitudinem animi deponat, nec gloriam ex prouincia auferat.

Ab hominũ opinione, & a laude & liberalitatis & gesti consulatus monet.

Correctio cũ consilio pendenti.

renda sunt, ut hæc multò antè meditere, huc te pares, hæc cogites, ad hæc te exerceas, sentiasq; id, quod quia semper speraſti, non dubito quin adeptus, intelligas te facillime posse obtinere summum, atq; altissimum gradum ciuitatis. Quæ quidem mea cohortatio, ne tibi inanis, aut sine causa suscepta uideatur, illa me ratio mouit, ut te ex nostris euentis communibus admonendum putarem, ut considerares in omni reliqua tua uita, quibus crederes, quos caueres. Quòd scribis te uelle scire, qui sit reipublicæ status: summa dissensio est, sed contentio dispar. Nam qui plus opibus, armis, potentia ualent, perfeciſſe tantum mihi uidentur stultitia, & inconstantia aduersariorum, ut etiam autoritate iam plus ualerent. Itaq; perpaucis aduersantibus, omnia, quæ ne per populum quidem sine seditione se assequi arbitrabantur, per Senatum consecuti sunt. Nam & stipendium Cæsari decretum est, & decem legati: & ne lege * Sempronia succederetur, facilè perfectum est. Quod eò ad te breuius scribo, quia me status hic Reipublicæ non delectat: scribo tamen, ut te admoneam, quod ipse literis omnibus à pueritia deditus experiendo tamen magis, quàm discendo cognoui, ut tu rebus tuis integris discas, neque salutis nostræ rationem nobis habendam esse sine dignitate, neque dignitatis sine salute. Quòd mihi de filia, & de Crassipede gratularis, agnosco humanitatem tuam: speroq; & opto, nobis hanc coniunctionem uoluptati fore. Lentulum nostrum eximia spe, summæ uirtutis adolescentem, cùm cæteris artibus, quibus

A facili.

Ad aliam partem epistolæ Lentuli respondet.

Narratio.

Epilogus narrationis ab hortatione.

Qua non licebat ultra tempus constitutũ in prouincia manere. Cæsar uero ultra q̃m cõuenerat, animum adhuc alterũ in Gallia manere uolebat.

Conclusio epistolæ ab hortatione, ut filius eius recte instituatur.

quibus studuisti semper ipse, tum in primis imitatione tui fac erudias: nulla enim erit hac præstantior disciplina: quem nos, & quia tuus, & quia te dignus est filius, & quia nos diligit, semperq; dilexit, in primis amamus, charumq; habemus.

ARG. EPIST. SEQ.

Hæc epistola est narratio, in qua commemorat nonnihil mutatum esse statum Reipub. & effici ex Aristocratia Oligarchiam.

M. T. C. Publio Lentulo S. P. D. 8

Narratoria epistola. Benevolentiam captat a persona Marij quem ad Lentulum mittit.

DE omnibus rebus quæ ad te pertinent, quid actum, quid constitutum sit, quid Pompeius susceperit, optimè ex Emplatorio cognosces: qui non solùm interfuit his rebus, sed etiam præfuit, neq; ullum officium erga te hominis amantissimi, prudentissimi, diligentissimi prætermisit. Ex eodem de toto statu rerum cõmunium cognosces, quæ quales sint, non facile est scribere. Sunt quidem certè in amicorum nostrorum potestate, atque ita, ut nullam mutationem unquam hac hominum ætate habitura res esse uideatur. Ego quidem, ut debeo, & ut tute mihi præcepisti, & ut me dignitas, utilitasq; cogit, me ad eius rationes adiungo, quem tu in meis rationibus tibi esse adiungendum putasti. Sed te non præterit, quàm sit difficile, sensum in republica, præsertim rectũ & confirmatum deponere. Veruntamen ipse me confirmo ad eius uoluntatem, à quo honestè dissentire non possum, neq; id facio, ut forsitan quibusdam uideor, simulatione: tantum enim animi * inductio, & me hercule amor erga Pompeium apud me ualet, ut quæ illi utilia sunt, & quæ ille uult, ea mihi omnia iam & recta, &

Sensum rectum in Rep. deponere difficile.

Cur Põpeio per omnia accedat.

Consilium Ciceronis.

Id est, oratio ad conciliandos animos populi.

& uera uideantur. Neq; (ut ego arbitror) errarent, ne aduersarij quidem eius, si cùm pares esse non possent, pugnare desisterent. Me quidem & illa res consolatur, quòd ego is sum, cui uel maximè concedant omnes, ut uel ea defendam, quæ Pompeius uelit, uel taceam: uel etiam, id quod mihi maximè lubet, ad nostra studia me referam literarum: quod profectò faciam, si mihi per eiusdem amicitiam licebit. Quæ enim proposita fuerant nobis, cùm & honoribus amplissimis, & laboribus maximis perfuncti essemus, dignitas in sententijs dicendis, libertas in republica capessenda. ea sublata tota, sed nec mihi magis, quàm omnibus. Nam aut assentiendum est nulla cum grauitate paucis, aut frustra dissentiendum. Hæc ego ad te ob eam causam maximè scribo, ut iam de tua quoq; ratione meditere. Commutata tota ratio est senatus, iudiciorum, rei totius publicæ: otium nobis exoptandum est, quod ij, qui potiuntur rerum, præstaturi uidentur, * si quidam homines patientius eorum potentiam ferre potuerint. Dignitatem quidem illam Consularem fortis, & constantis senatoris, nihil est quod cogitemus: amissa est, culpa eorum, qui à senatu & ordinem coniunctissimum, & hominem clarissimum abalienauerunt. Sed ut ad ea, quæ cõiunctiora rebus tuis sunt, reuertar: Pompeium tibi ualde amicum esse cognoui: & eo tu consule, quantum ego perspicio, omnia quæ uoles, obtinebis: quibus in rebus me ille sibi affixum habebit: neq; à me ulla res, quæ ad te pertineat, negligetur. Neq; enim uerebor, ne sim ei molestus, cui iucundum

Ciceronis consilium.

Noua narratio.

si quidem

Alia narratio

Redit ad priorem epistolæ partem, de Pompeio.

dum erit etiam propter idipsum, quòd me esse gratum uidebit. Tu uelim tibi ita persuadeas, nullã rem esse minimam, quæ ad te pertineat, quæ mihi non charior sit, quàm meæ res omnes. Idq; cùm sentiam, sedulitate mihimet ipse satis facere * possum: re quidẽ ipsa ideò mihi non satisfacio, quòd nullam partem tuorum meritorum non modò referenda, sed ne cogitanda quidem gratia cõsequi possum. Rem te ualde bene gessisse rumor erat. Expectabantur literæ tuæ, de quibus eramus iam cum Pompeio locuti: quæ si erunt allatæ, nostrũ studiũ extabit in cõueniendis magistratibus, et senatoribus. Cætera quæ ad te pertinebunt, cùm etiam plus contenderimus quàm possumus, minus tamen faciemus, quàm debemus.

C. Long. nõ interferendũ esse admonuit.

Epilogus.

ARG. EPIST. SEQ.

Epistola est amplissima & rebus & uerbis. Status epistolæ est: Remitto aliquid de libertate, sed ita tamen, ut hoc ipsum putem expedire Reipub. Ratio huius remissionis est: Non semper idem sentiendum est, sed flectenda sententia ad utilitatem Reipub. & propriam salutem. Ego non potui sine periculo salutis & famæ retinere libertatem: quia fui initio liber in loquendo, sed postea Pompeius de me quæstus est. Item: Nihil proficerem, quia solus pugnarem frustra, post quam consensus bonorum dissiluit, me nemo adiuuat mihi inuiderunt statim in reditu. In minore maxima pars epistolæ consumitur. Itẽ: Principes illi sunt tolerabiles, & coniunctio eorũ proderit Reipub. Ergo cõcedendũ est mihi, ut aliquantulum de libertate remitto. Est autẽ epistola generis deliberatiui, uel iudicialis. Honestũ ne sit aliquid remittere de libertate dicendi in Rep.

M. T. C. Publio Lentulo S. P. D. 9

Exordium a commemoratione officij sui, quantum debeat Lentulo, ac sequitur comparatio.

PEriucundæ mihi fuerunt literæ tuæ, quibus intellexi te perspicere meam in te pietatem: quid enim dicam beneuolentiam, cùm illud ipsum grauissimum & sanctissimum nomen pietatis, leuius mihi meritis erga me tuis esse uideatur? Quòd autem grata tibi mea erga te studia

studia scribis esse, facis tu quidem abundantia quadam amoris, ut etiã grata sint ea, quæ prætermitti sine nefario scelere non possunt. Tibi aũt multò notior, atq; illustrior meus in te animus esset, si hoc tempore omni, quo seiuncti fuimus, & unà, & Romæ fuissemus. Nam in eo ipso, quod te ostendis esse facturũ, quodq; & in primis potes, & ego à te uehementer expecto: in sententijs senatorijs, & in omni actione, atq; administratione Reip. floruissemus. De qua ostendam equidem paulò pòst, qui sit meus sensus, & status: & rescribam tibi ad ea, quæ quæris. sed certè & ego te autore amicissimo, ac sapientissimo, & tu me consiliario fortasse nõ imperitissimo, fideli quidem, & beneuolo certè, usus esses: quanquàm tua quidẽ causa te esse imperatorẽ, prouinciamq; bene gestis rebus cum exercitu uictore obtinere, ut debeo, lætor. Sed certè qui tibi ex me fructus debẽtur, eos uberiores, & * præstãtiores præsens capere potuisses. In eis uerò ulciscẽdis, quos tibi partim inimicos esse intelligis propter tuam propugnationẽ salutis meæ, partim inuidere propter illius actionis amplitudinem, & gloriam: mirificum me tibi comitẽ præbuissem. Quanquàm ille perennis inimicus amicorum suorum, qui tuis maximis beneficijs ornatus in te potissimũ fractam illam, & debilitatam uim suam cõtulit, nostram uicem ultus est ipse per sese: est enim ea conatus, quibus patefactis, nullã sibi in posterũ, nõ modo dignitatis, sed ne libertatis quidem partẽ reliquit. Te autẽ, etsi mallem in meis rebus experiri, q̃ etiam in tuis, tamen in molestia gaudeo eandem

Captat beneuolentiam a nimia inter se & Lentulum beneuolẽtia, & suo gratificandi Lentulo per omnia studio, si coram fuisset.

Correctio.

* præsentiores. Clodium & Clodianos intelligit.

Cognosce, agnoscitis. hoc magis Ciceronianũ

Diuisio.

Cur Vatiniũ defenderit.

Propositio.

Narratio, in qua exponit causas uarias cur cum Cæsare in gratiã redierit.

Narrationẽ exorditur a suo in Rempub. officio.

Domũ suam intelligit, quę a publico supra restaurata est.

Naufragia ęci familiaris

fidem * cognoscere hominum, non ita magna mercede, quam ego maximo dolore cognoram. De qua ratione tota iam uidetur mihi exponendi tempus dari, ut tibi rescribam ad ea quæ quæris. Certiorem te per literas scribis esse factum, me cum Cæsare, & cum Appio esse in gratia: teq; id non reprehendere adscribis. Vatinium autem scire te uelle ostendis, quibus rebus adductus defenderim, & laudârim. Quod tibi ut planius exponam, altius paulò rationem meorum consiliorum repetam, necesse est. Ego me Lentule initio rerum, atq; actionum tuarum, non solùm meis, sed etiam Reipub. restitutum putabam: et quoniam tibi incredibilem quendam amorem, & omnia in te ipsum summa, ac singularia studia deberem, reipub. quæ te in me restituendo multum adiuuisset, eum certè me animum merito ipsius debere arbitrabar, quem antea tantummodo communi officio ciuium, non aliquo erga me singulari beneficio debitum præstitissem. Hac me mente fuisse & senatus ex me te Consule audiuit, & tu in nostris sermonibus, collocutionibusq; ipse uidisti: etsi iam primis temporibus illis, multis rebus meus offendebatur animus: quum te agente de reliqua nostra dignitate, aut occulta nonnullorum odia, aut obscura in me studia cernebam. Nam neq; de monimentis meis ab ijs adiutus es, à quibus debuisti: neq; de ui nefaria, qua cũ fratre eram domo expulsus: neq; hercule in ijs ipsis rebus, quæ quanquam erãt mihi propter rei familiaris naufragia necessariæ, tamen à me minimi putabantur, in meis damnis ex autoritate senatus resarciendis,

ciendis, eam uoluntatem, quam expectâram præstiterunt. Quæ cùm uiderem (neq; enim erant obscura) non tamen tam acerba mihi hæc accidebant, quàm erãt illa grata quæ fecerant. Itaq; quanquàm & Pompeio plurimum, te quidem ipso prædicatore, ac teste debebam: & eum non solùm beneficio, sed * amore etiam, & perpetuo quodam iudicio meo diligebam: tamen non reputans quid ille uellet, in omnibus meis sententijs de republica pristinis permanebam. Ego sedente Cn. Pompeio, cùm, ut laudaret Pompeium, P. Sextius introijsset in urbem, dixissetq; testis Vatinius, me fortuna, & felicitate C. Cæsaris commotum, illi amicum esse cœpisse, dixi me eam Bibuli fortunam, quam ille afflictam putaret, omnium triumphis, uictorijsq; anteferre: dixiq; eodem teste alio loco, eosdem esse, qui Bibulũ exire domo prohibuissent, & qui me coëgissent: tota uerò interrogatio mea nihil habuit aliud, nisi reprehensionem illius tribunatus: in * quo omnia dicta sunt libertate animoq; maximo, de ui, de auspicijs, de donatione regnorum. Neq; uerò hac in causa modò, sed constanter sæpe in Senatu: quinetiam Marcellino, & Philippo consulibus, Nonis Aprilibus mihi est Senatus assensus, ut de agro Campano frequenti senatu Idibus Maijs referretur. * Non potui magis in arcem illius causæ inuadere, aut magis obliuiscì temporũ meorum, & meminisse actionum? Hac à me sententia dicta, magnus animorum motus est factus, cùm eorum, quorũ oportuit, tum illorum etiam, quorũ nunquam putâram. Nam hoc senatusconsulto

al. more

Narratio quę res offenderit Cæsarẽ & Pompeiũ uidelicet de agro Campano.

al. qua

al. Num, habet enim maiorem uim oratio interrogationis prolata.

sulto in meã sententiam facto, Pompeius, cum nihil mihi ostendisset se esse offensum, in Sardiniam, & in Africam profectus est, eoq; itinere Lucam ad Cæsarem uenit: ibi multa de mea sententia quæstus est Cæsar, quippe qui etiã Rauennæ Crassum antè uidisset, ab eoq; in me esset incensus. Sanè molestè Pompeiũ id ferre constabat: quod ego cùm audissem ex alijs, maximè ex meo fratre cognoui: quem cùm in Sardinia Pompeius paucis pòst diebus, quàm Luca discesserat, cõuenisset: Te, inquit, ipsum cupio, nihil opportunius potuit accidere: nisi cum Marco fratre diligenter egeris, dependendum tibi est, quod mihi pro illo spopondisti. Quid multa? questus est grauiter: sua merita commemorauit: quid *egisset sæpissimè de actis Cæsaris cum ipso meo fratre, quidq; sibi is de me recepisset, in memoriam redegit: seq; quæ de mea salute egisset, uoluntate Cæsaris egisse, ipsum meũ fratrem testatus est: cuius causam dignitatemq; mihi ut cõmendaret, rogauit, ut eam ne oppugnarem, si nollem, aut non possem tueri. *Hæc cum ad me frater pertulisset, & cùm antè tamen Pompeius ad me cum mandatis Vibullium misisset, ut integrum mihi de causa Campana ad suum reditũ reseruarem: collegi ipse me, & cum ipsa quasi Repub. collocutus sum: ut mihi tam multa pro se perpesso, atq; perfuncto concederet, ut officium meum memoremq; in bene meritos animũ, fidemq; fratris mei præstarem, eumq;, quem bonum ciuem semper habuisset, bonum uirum esse pateretur. In illis aũt meis actionibus, sententijsq; omnibus, quæ Pompeium uidebantur

Dependendũ quicquid pro illo spopondisti.

Ab promissis factis de Cicerone.

Egisset, quod & sensus animaduersus indicabit.

Cõclusio illius periculi.

bantur offendere, certorum hominũ, quos iam debes suspicari, sermones referebantur ad me: qui cum illa sentirent in Repub. quæ ego agebam, semperq; sensissent: me tamen non satisfacere Pompeio, Cæsaremq; inimicissimũ mihi futurum gaudere se atebant. Erat hoc mihi dolendum: sed multo magis illud, quòd inimicum meum (meum aũt? imò uerò legum, iudiciorum, otij, patriæ, bonorũ omnium) sic amplexabantur, sic in manibus habebant, sic fouebant, sic me præsente osculabantur: non illi quidem, ut mihi stomachum facerent, quem ego funditus perdidi: sed certè ut facere se arbitrarentur. Hìc ego quantum humano consilio efficere potui, circunspectis rebus meis omnibus, rationibusq; subductis, summã feci cogitationum mearũ omnium, quam tibi si potero, breuiter exponã. Ego si ab improbis, & perditis ciuibus Rempub. teneri uiderem, sicut & meis temporibus scimus, & nonnullis alijs accidisse accepimus: nõ modò nõ præmijs, quæ apud me minimum ualent, sed ne periculis quidem cõpulsus ullis, quibus tamen mouẽtur etiã fortissimi uiri, ad eorum causam me adiungerem: ne si summa quidem eorum in me merita constarent. Cum aũt in Rep. Cn. Pompeius princeps esset, uir is, qui hanc potentiam & gloriam maximis in Remp. meritis, præstantissimisq; rebus gestis esset consecutus, cuiusq; ego dignitatis ab adolescentia fautor, in prætura autem, & in cõsulatu adiutor etiam extitissem: cumq; idem auctoritate, & sententia per se consilijs & studijs tecum me adiunxisset, meumq; inimicum, unum in ciuitate haberet

Clodium criminatur.

Correctio.

Ab aduersariorum æmulatione.

Arbitrabantur hoc enim in clausulæ fine honorum.

Ratio quare cedat Pompeio & Cæsari: quia mediocris status ferendus est.

A persona Pompeij.

inimicum: non putaui famam inconstantiæ mihi pertimescendam, si quibusdam in sententijs paulùm me immutassem, meam q; uoluntatẽ ad summi uiri, de meq; optime meriti dignitatẽ aggregassem. In hac sententia complectendus erat mihi Cæsar, ut uides, in cõiuncta & causa & dignitate. Hîc multum ualuit cum uetus amicitia, quam tu non ignoras mihi & Qu. fratri cum Cæsare fuisse, tum humanitas eius, ac liberalitas breui tempore & literis, & officijs perspecta nobis, & cognita. Vehementer etiam res ipsa publica me mouit, quæ mihi uidebatur contentionem, præsertim maximis rebus à Cæsare gestis, cum illis uiris nolle fieri: &, ne fieret, uehementer recusare. Grauissimè autem me in hanc mentem impulit & Pompeij fides, quam de me Cæsari dederat: & fratris mei, quam Pompeio. Erant præterea hæc animaduertenda in ciuitate, quæ sunt apud Platonem nostrum scripta diuinitus: quales in Republica principes essent, tales reliquos solere esse ciueis. * Tenebam memoria, nobis consulibus, ea fundamenta iacta ex Calendis Ianuarijs confirmandi Senatus, ut neminem mirari oporteret Nonis Decembris tantum uel animi fuisse in ordine illo, uel autoritatis. Idem q; memineram, nobis priuatis usq; ad Cæsarem & Bibulum cõsules, cum sententiæ nostræ magnũ in Senatu pondus haberent, unum ferè sensum fuisse bonorum omnium. Postea cùm tu Hispaniam citeriorẽ cum imperio obtineres, neq; respub. cõsules haberet, sed mercatores prouinciarum, & seditionũ seruos, ac ministros: iecit quidã casus caput meũ quasi

A Cæsaris meritis erga Qu. fratrem.

A repub.

A fide Pompeij data de Cicerone Cæsari.

Eadem sententia in Philoctete Sophoclis.

Antithesis.

quasi certaminis causa, in mediam contentionem, dissensionem q; ciuilem. Quo in discrimine, cùm mirifica Senatus, incredibilis Italiæ totius, singularis bonorum omnium consensio in me tuendo extitisset: non dicã, quid acciderit (multorum enim est, & uaria culpa) tantùm dicam breui, non mihi exercitum, sed duces defuisse. In quo ut iam sit in ijs culpa, qui me non defenderunt: non minor est in ijs, qui reliquerũt: et si accusandi sunt, si qui pertimuerũt, magis etiam reprehẽdendi, si qui se timere simularunt. Illud quidem certè nostrũ consilium iure laudandum est, quòd meos ciueis & à me conseruatos, & me seruare cupientes, spoliatos ducibus, seruis armatis obijci noluerim: declarareq; maluerim, quanta uis esse potuisset in consensu bonorum, * si ij pro me stante, pugna nõ destitissent, cùm afflictum excitare potuissent. Quorum quidem animum tu non perspexisti solum, cùm de me ageres, sed etiam confirmasti, atq; tenuisti. Qua in causa non modò non negabo, sed etiam semper & meminero, & prædicabo libenter: usus es quibusdã nobilissimis hominibus, fortioribus in me restituendo, quàm fuerant ijdem in tuendo: qua in sententia si constare uoluissent, suam autoritatem simul cum salute mea recuperassent. Recreatis enim bonis uiris consulatu tuo, & constantissimis, atq; optimis actionibus tuis excitatis, Cn. Pompeio præsertim ad causam adiuncto, cùm etiam Cæsar rebus maximis gestis, singularibus ornatus, & nouis honoribus, ac iudicijs senatus, ad autoritatem eius ordinis adiungeretur: nulli impro-

Si ijs pro me stante pugnare licuisset.

In Clodij scelera inuehitur.

bo ciui locus ad Rempublicã uiolandam esse potuisset. Sed attende quæso, quæ sint consecuta. Primùm illa furta muliebrium religionũ: qui non pluris fecerat Bonam deam, quàm treis sorores: impunitatem scelerũ, eorum

Bona Dea. Pompeij uidelicet & similium.

*sententijs est assecutus, qui, cùm tribunus pleb. pœnas à seditioso ciue per bonos uiros in iudicio persequi uellet, exemplum præclarissimum in posterum uindicandæ seditionis de Rep. sustulerunt, ijdemq; postea non meum monumentum (non enim illæ manubiæ meæ, sed operis locatio mea fuerat) monumentũ uerò senatus, hostili no

Indicat domum suam impendijs Reipub. extructam.

mine, & cruentis inustum literis esse passi sunt. Qui me homines quòd saluũ esse uoluerunt, est mihi gratissimũ: sed uellem nõ solùm salutis meæ, quemadmodum medici: sed etiam, ut aliptæ, uirium, & coloris rationem ha-

Amplificatio a simili.

bere uoluissent. Nũc ut Apelles Veneris caput, & summa pectoris politissima arte perfecit, reliquam partem corporis inchoatam reliquit: sic quidam homines in capite meo solùm elaborarunt, reliquũ corpus imperfectũ ac rude reliquerunt. In quo ego spem fefelli non modò inuidorum, sed etiam inimicorum meorum: qui de uno acerrimo, & fortissimo uiro, meoq; iudicio, omniũ magnitudine animi, & cõstantia præstantissimo Q. Metello Lucij filio, quondam falsam opinionem acceperũt: quem post reditum dictitant fracto animo, & demisso fuisse. Est uerò probandũ, qui & summa uoluntate cesserit, et egregia animi alacritate abfuerit, neq; sanè redire curaret, eum ob id ipsum fractũ fuisse, in quo cùm omnes homines, tum M. illum Scaurũ singularem uirũ constan-

constantia, & grauitate superasset? Sed quod de illo acceperant, aut etiam suspicabantur, de me idem cogitabant, abiectiore animo me futurũ: cum Respublica maiorem etiam mihi animum, quàm unquam habuissem, daret: quæ iam declarasset sese non potuisse me uno ciue carere: cumq; Q. Metellum unius tribuni plebis rogatio, me uniuersa Respub. duce senatu, comitante Italia, promulgantibus omnibus, referente Consule, comitijs centuriatis, cunctis ordinibus, hominibusq; incumbentibus, omnibus deniq; uiribus suis recuperasset. Neq; uerò ego mihi postea quicquam assumpsi, neque hodie assumo, quod quenquam maleuolentissimum iure possit offendere: tantum enitor, ut neq; amicis, neq; etiã alienioribus opera, consilio, labore desim. Hic meæ uitæ cursus offendit eos fortasse, qui splendorem, & speciem huius uitæ intuentur, solicitudinem autem & laborem perspicere non possunt. Illud uerò non obscurè querun

Quia Scaurus iurauit in legem pernicioſam.

Quo animo fuerit Cicero a ſuo ab exilio reditu.

tur in meis sententijs, quibus ornem Cæsarẽ, quasi * desstiterim pristina causa. Ego autem cùm illa sequor, quæ paulò antè proposui, tum hoc non in postremis, de quo cœperam exponere. Non offendes eundem bonorũ sensum Lentule, quem reliquisti: qui confirmatus consulatu nostro, nonnunquam posteà interruptus, afflictus antè te Consulem, recreatus abs te totus est: nunc ab ijs, à quibus tuendus fuerat, derelictus: idq; non solùm fronte, atq; uultu, quibus simulatio facilimè sustinetur, declarant ij, qui tum nostro illo statu optimates nominabantur: sed etiã *sensu sæpe iam, tabellaq; † docuerunt.

desciuerim a priſtina cauſa.

* ſententia

id eſt in ſuffragijs ſcriptis in tabella.

Itaq;

Ab autoritate Platonis, quem Cicero uehementer est secutus. Cur Plato a Repub. abstinuerit.

Itaq; tota iam sapientium ciuium, qualem me esse, & numerari uolo, & sententia, & uoluntas mutata esse debet. Id enim iubet idem ille Plato, quem ego autorem uehementer sequor, tantum contendere in Republica, quantum probare tuis ciuibus possis. Vim neq; parenti, neq; patriæ afferre oportere. Atq; hanc quidem ille causam sibi ait nõ attingendæ Reipublicæ fuisse, quòd cum offendisset populum Athenienſem propè iam desipientem senectute, cumq; eum nec persuadendo, nec cogendo rei posse uidisset, cùm persuaderi posse diffideret, cogi fas esse non arbitraretur. Mea ratio fuit alia, quòd neq; desipiente populo, neq; integra re mihi ad consulendum capesserém ne Rempublicam, implicatus tenebar. Sed lætatus tamen sum, quòd mihi liceret in eadem causa & mihi utilia, & cuiuis bono recta defendere. Huc accesit commemoranda quædam, & diuina Cæsaris in me, fratremq; meum liberalitas: qui mihi quascunq; res gereret, tuendus esset. Nunc in tanta felicitate, tantisq; uictorijs etiam si non in nos is esset, qui est, tamen ornandus uideretur. Sic enim te existimare uelim: cum à uobis meæ salutis autoribus discesserim, neminem esse, cuius officijs me tam esse deuinctum non sõlùm confitear, sed & gaudeam. Quod quoniam tibi exposui, facilia sunt ea, quæ à me de Vatinio, & de Crasso requiris. Nam de Appio quòd scribis, sicut de Cæsare, te non reprehendere: gaudeo consiliũ tibi probari meum. De Vatinio autem, primùm reditus intercesserat in gratiam per Pompeium, statim ut ille prætor factus est, cum quidem

A dissimili.

Transitio.

Cur Vatiniũ & defenderit, & laudarit.

A Pompeij persona.

quidem ego eius petitionem grauissimis in senatu sententijs oppugnassem, neq; tam illius lædẽdi causa, quàm defendendi, atq; ornandi Catonis. Pòst autem Cæsaris, ut illum defenderent, mira cõtentio est consecuta. Cur aũt laudarim, peto à te, ut id à me né ue in hoc reo, né ue in alijs quæras: ne tibi ego idem reponam, cum ueneris: tametsi possim uel absenti. Recordare enim quibus laudationẽ ex ultimis terris miseris, nec hoc pertimueris: nam à meipso laudantur & laudabuntur ijdem. Sed tamen defendendi Vatinij fuit etiam ille stimulus, de quo in iudicio, cum illum defenderem, dixi me facere quiddam, quod in Eunucho parasitus suaderet militi:

Vbi nominabit Phædriam, tu Pamphilam
Continuò: si quando illa dicet, Phædriam
Intromittamus comessatum: tu, Pamphilam
Cantatum prouocemus: si laudabit hæc
Illius formam: tu huius contrà. deniq;
Par pari referto, quod eam mordeat.

Sic petiui à iudicibus, ut quoniam quidam nobiles homines, & de me optimè meriti, nimis amarent inimicum meum: meq; inspectante sæpe eum in senatu modò seuerè seducerent, modò familiariter atq; hilarè amplexarentur: quoniamq; illi haberent suum Publium, darent mihi ipsi alium Publium, in quo possem eorum animos mediocriter lacessitus leuiter repungere. Neq; solum dixi: sed etiam sæpe facio, dijs hominibusq; approbantibus. Habes de Vatinio: cognosce de Crasso. Ego cùm mihi cum illo magna iam gratia esset, quòd eius omneis grauissi-

hoc est reo.

Ab exemplo Lentuli.

Ab æmulatione aduersariorum.

Cur cum Crasso in gratiam redierit.

grauissimas iniurias communis concordiæ causa uoluntaria quadam obliuione contriueram, eius repentinam defensionem Gabinij, quem proximis superioribus diebus acerrimè oppugnasset, tamen si sine ulla mea contumelia suscepisset, tulissem: sed cum me disputantem, non lacessentem læsisset, exarsi, non solùm præsenti, credo, iracundia (nam ea tam uehemens fortasse non fuisset) sed *cùm inclusum illud odium multarum eius in me iniuriarum, quod ego effudisse me omne arbitrabar, residuum tamen *insciente me fuisset, omne repentè apparuit. Quo quidem tempore ipso, quidam homines, & ijdem illi quos sæpe nutu, significationeq; appello, cùm se maximum fructum cepisse dicerent ex libertate mea, meq; tum deniq; sibi esse uisum Reipub. qualis fuissem, restitutum: cumq; ea contentio mihi magnum etiam foris fructum tulisset: gaudere se dicebant mihi & illum inimicum, & eos, qui in eadem causa essent, nunquàm amicos futuros. Quorũ iniqui sermones cum ad me perhonestissimos homines perferrentur: cumq; Pompeius ita contendisset, ut nihil unquam magis, ut cum Crasso redirem in gratiam: Cæsarq; per literas maxima se molestia ex illa contentione affectum ostenderet: habui nõ temporũ solum rationem eorũ, sed naturæ etiam meæ: Crassusq;, ut quasi testata populo Romano esset nostra gratia, penè à meis laribus in prouinciam est profectus. Nam cum mihi condixisset, cœnauit apud me in mei generi Caßipedis hortis. Quamobrẽ eius causam, quòd te scribis audisse, magna illius cõmendatione susceptã, defendi

Format enim natura prius nos intus, ad omnem fortunarum habitum.

*insciẽtẽ me fugisset

defendi in senatu, sicut mea fides postulabat. Accepisti quibus rebus adductus, quamq; rem, causamq; defenderim: quiq; meus in Republica sit pro mea parte capessenda status. De quo sic uelim statuas, me hæc eadem sensurum fuisse, si mihi integra omnia, ac libera fuissent. Nam neq; pugnandum arbitrarer contra tantas opes: neq; delendum, etiam si id fieri posset, summorũ ciuium principatum: neq; permanendum in una sententia conuersis rebus, ac bonorum uoluntatibus immutatis, sed temporibus assentiendum. Nunquàm enim præstãtibus in Repub. gubernanda uiris laudata est in una sententia perpetua permansio: sed ut in nauigãdo tempestati obsequi artis est, etiam si portũ tenere nequeas: cùm uerò id poßis mutata uelificatione assequi, stultũ est eum tenere cum periculo cursum, quem cœperis, potius, quàm eo cõmutato, quò uelis tandẽ peruenire: sic cùm omnibus modis in administranda Rep. propositum esse debeat, id quod à me sæpißime dictũ est, cũ dignitate otiũ: Non idem semper dicere, sed idem semper spectare debemus. Quamobrẽ, ut paulò antè posui, si essent omnia mihi solutißima, tamen in Rep. non alius essem, atq; nũc sum. Cum uerò in hunc sensum & alliciar beneficijs hominũ, & cõpellar iniurijs, facile patior ea me de Rep. sentire, ac dicere, quæ maximè cum mihi, tum etiã Repub. rationibus putẽ conducere. Apertius aũt hæc ago, ac sæpius, quòd & Qu. frater meus legatus est Cæsaris, & nullũ meũ minimũ dictum, non modo factũ, pro Cæsare interceßit, quod ille nõ ita illustri gratia exceperit, ut

Epilogus, cõtinẽs breuem repetitionem eorum quæ hactenus cõmemorata

A simili.

Locus communis, excusatio inconstantiæ.

Epilogus, repetẽs breuiter causas quibus moueatur ad cõciliandã gratiã Cæsaris.

Epilogus.

ut ego eum mihi deuinctum putarem. Itaq; eius omni et gratia, quæ summa est, & opibus, quas intelligis esse maximas, sic fruor, ut meis. Nec mihi aliter potuisse uideor hominum perditorum de me consilia frangere, nisi cum præsidijs ijs, quæ semper habui, * nunc etiã potentium beneuolentiam cõiunxissem. His ego consilijs si te præsentẽ habuissem, ut opinio mea fert, essem usus eisdem: noui enim temperantiam, & moderationem naturæ tuæ: noui animum, cum mihi amicissimum, tum nulla in cæteros maleuolentia suffusum: contraq; cum magnum, & excelsum, tum etiam apertum & simplicem. Vidi ego quosdam in te taleis, qualeis tu eosdem in me uidere potuisti. Quæ me mouerunt, mouissent eadem te profectò. Sed quocunq; tempore mihi potestas præsentis tui fuerit, tu eris omnium moderator cõsiliorum meorum: tibi erit eidem, cui salus mea fuit, etiam dignitas curæ. Me quidem certè tuarum actionum, sententiarum uoluntatum, rerum deniq; omnium socium, comitemq; habebis: neq; mihi in omni uita res tam erit ulla proposita, quàm ut quotidie uehementius te de me optimè meritum esse lætêre. Vale.

alias proditorum. Hanc etiam ingenij uidelicet & diligentiæ.

Apostrophe ad Lentulũ, in qua sua illi officia defert.

ARG. EPIST. SEQ.

Cicero scripsit tres libros carminum de suo consulatu, sed eos non edidit: de quibus & itẽ de alijs suis scriptis hic Lentulo scribit.

M. T. C. Publio Lentulo S. P. D. 10

De libris, quos scripsit, Lentulum certiorem reddit.

QVòd rogas, ut mea tibi scripta mittam, quæ post tuũ discessum scripserim: sunt orationes quædam, quas Menocrito dabo, neq; ita multæ, ut pertimescas. Scripsi etiam carmina quædam: nam ab orationibus disiungo me

me * interdũ, referoq; ad mansuetioreis musas, quæ me maximè, sicut iam à prima adolescentia, delectárunt. Scripsi etiam Aristotelico more, quemadmodum quidem uolui, treis libros in disputatione ac dialogo de Oratore, quos arbitror Lentulo tuo fore nõ inutileis. Abhorrent enim à communibus præceptis: & omnem antiquorum, & Aristotelicam, & Isocraticam rationem oratoriam complectuntur. Scripsi etiam uersibus treis libros de temporibus meis: quos iampridem ad te misissem, si esse edendos putassem. Sunt enim testes, et erũt sempiterni meritorũ erga me tuorum, meæq; in te pietatis. Sed * quia uerebar, nõ eos, qui se læsos arbitrarentur (etenim id feci parcè, & molliter) sed eos, quos erat infinitũ bene de me meritos omneis nominare, non misi. Quos tamen ipsos libros, si quem cui rectè committam, inuenero, curabo ad te perferendos. Atq; istam quidem partem uitæ, consuetudinisq; nostræ totam ad te defero. Quantum literis, quantum studijs, ueteribus nostris delectationibus cõsequi poterimus, id omne ad arbitrium tuum, qui semper hæc amasti, libentissimè conferemus. Quæ ad me de tuis rebus domesticis scribis, quæq; mihi commendas, ea tantæ mihi curæ sunt, ut me nolim admoneri: rogari uerò sine magno dolore uix possum. Quòd de Qu. fratris negotio scribis, te priore æstate, quòd morbo impeditus in Ciliciam non transieris, conficere non potuisse, nunc autem omnia facturum, ut conficias, id scito esse eiusmodi, ut frater meus uerè existimet adiuncto isto fundo patrimonium fore suum per te consti-

d tutum.

al. fere.

C. Long. uoluit hanc esse cum superiore cõtinuam.

Ideo nõ edidi quia uerebar nõ inimicos, quos perstrinxi, sed uerebar ne bene meritia me præteriti offenderentur.

Pollicetur suam partem in domesticis rebus Lentulo.

tutum. Tu me de tuis rebus omnibus, & de Lentuli tui nostriq; studijs, & exercitationibus uelim quàm familiarissimè certiorem, & quàm sæpissimè facias: existimesq; neminem cuiquam neq; chariorem, neq; iucundiorem unquam fuisse, quàm te mihi: idq; me, non modò ut tu sentias, sed ut omnes gentes, etiam ut posteritas omnis intelligat, esse facturũ. Appius in sermonibus antea dictitabat, posteà dixit etiam in senatu palàm, sese, si licitum esset, legem Curiatam ferre, sortiturum cum collega esse prouinciam: si Curiata lex nõ esset, se *pacturũ. tituru cum collega, tibiq; successurum, legemq; Curiatam consuli ferre opus esse, sibi necesse non esse: se, quoniam ex senatusconsulto prouinciam haberet, lege Cornelia Imperium habiturũ, quòd ad in urbem introijsset. Ego quid ad te tuorum quisq; necessariorum scribat, nescio: uarias esse opiniones intelligo. sunt qui putent posse te non decedere, quòd sine lege Curiata tibi succedatur: sunt etiã qui si decedas, à te relinqui posse, qui prouinciæ præsit. Mihi non tam de iure certum est (quanquam ne id quidem ualde dubium est) quàm illud ad tuam summam amplitudinem, dignitatem, liberalitatem, qua te scio libentissimè frui solere, pertinere, te sine ulla mora prouinciam successori concedere: præsertim cum sine suspicione tuæ cupiditatis non possis illius cupiditatem refutare: ego utrunq; puto meum esse, & quid sentiam ostendere, & quod feceris defendere. Scripta iam epistola superiore, accepi tuas literas de publicanis, quibus æquitatem tuam non potui non probare:

Lex Curiata scilicet de prouincijs.

Conclusio epistolæ.

re: facilitate autem, quod uellem, consequi potuisses, ne eius ordinis, quem semper ornasti, rem aut uoluntatem offenderes. Equidem non desinam tua decreta defendere: sed nosti consuetudinem hominum: scis quàm grauiter inimici illi ipsi Q. Scæuolæ fuerint. Tibi tamen sum autor, ut si quibus rebus possis, eum tibi ordinẽ aut reconcilies, aut mitiges. Id etsi difficile est, tamen mihi uidetur esse prudentiæ tuæ. Vale.

Publicani fuerunt apud Romanos, equites & nobiles iuri.

ARG. EPIST. SEQ.

Hæc epistola est respõsorio & adhortatorio & redeat in urbẽ, & nihil habet difficultatis. Item iocus quidam in Valerium, sed urbanus, quicq; aculeum in animo Valerij relinquat, sed is tamen figuratus ab aliorum testimonio, ne nouas causas contumeliæ excitet.

M. T. C. L. Valerio Iureconsulto S. P. D. II

CVr enim tibi hoc non gratificer, nescio: præsertim cùm his temporibus audacia pro sapiẽtia liceat uti. Lentulo nostro egi per literas tuo nomine gratias diligenter. Sed tu uelim desinas iam nostris literis uti, et nos aliquando reuisas: & ibi malis esse, ubi aliquo numero sis, quàm istic, ubi solus sapere uideare. Quanquàm qui istinc nunc ueniunt, partim te superbũ esse dicunt, quòd nihil respondeas: partim contumelioſum, quòd male respondeas. Sed iam cupio tecum coràm iocari. Quare fac, ut quàm primum uenias, neq; in Apuliam tuam *accedas, ut possimus saluum te uenisse gaudere. Nam illò si ueneris, tanquam Vlysses cognosces tuorum neminem. Vale.

Scilicet iure.

*concedas

DOCTISSIMORVM VIRORVM ANnotationes & castigationes in primum librum Epist. Famil. Ciceronis.

In Epist. 1.

B.Egnat. EGo omni officio.) Elegans exordium ab officio, quo sua officia, & quandam ueluti infirmitatem Lentulo homini amico cõmendat. Simile est exordium pro Archia poëta: Si quid est in me ingenij iudices.

Senatus religionis.) Variam senatus sententiam tulit de Ægypti rege reducendo, & Sibyllino carmine, quod Catone autore recitatum est, cauebatur, ne cum exercitu Ægypti rex reduceretur. Carmen hoc Georg. Valla ad istum modum refert: Si Ægypti rex auxilio quodam indigens uenerit, eius amicitiam ne abnueritis, sed illum quidem cum multitudine ne iuueritis: quod si aliter factũ fuerit, labores & pericula habebitis. Significat autem Cicero, ex senatu quosdã decreuisse, ut Lentulus Ægypti regem citra exercitum reduceret, idq; non magis metu religionis, quam nefas erat negligere, q; ut Lentuli reluctarentur uoluntati.

Sed plane.) Elegans loquutio, qua dicit in rogando Pompeio adhortandoq; nihil sibi fecisse reliqui, hoc est, illũ sedulo facturum omnia, nec opus habere admonitionibus. Apud Terentium in Andria est: Nihil est preci loci relictum, iam perturbaui omnia. Verba sunt Daui, suo ipsius cõsilio & astu decepti, qui omnibus precibus apud Simonem nunc exciderat.

Egit causam tuam.) Causam agere, docto sermone dicimus, fortunas & honores alicuius defendere, quod Terentius dixit: Ille ad defendendam causam adest. Similis fere locutio, cum aliquo stare, id est, consentire: ut in Phor. Cum illo haud stares Phædria. Porro dicere causam, quod Cicero, autore Budæo, uocat rationem uitæ, & magistratus gesti reposci, est exponere, quid in magistratu quisque gesserit. In Phormione hoc uerbo usus Terentius, Non causam dico, quin quod meritus est, ferat.

Marcellinum tibi.) Marcellum alij legunt. Hic fuit ex quindecim uiris & sacerdotibus unus, quibus Cato libros Sibyllinos inspiciendos dedit, non alio nomine Lentulo offensus, q; quod is uideretur religionem illam, hoc est, uaticinia eleuare.

Per eosdem creditores.) Hosce Rabirium Posthumum, & reliquos eius socios intelligi uult.

Calumniam.) Græci hanc diabolin, Iurisconsultus de uerborum significatu.

Hortensij & Luculli.) Is est Hortensius, qui multum eloquentia, sed tamen infra Ciceronem ualuit.

Qui

Qui cum imperio sunt.) Differt cum imperio esse & cum potestate. ille enim cum imperio ad urbem esse dicebatur, cui nominatim a populo demandabatur imperium: cum potestate, qui a populo alicui præficeretur negocio. Philip.

Bibulus.) Is est Marcus Bibulus, qui C. Cæsari in consulatu datus collega. Vide Suetonium.

Præter Seruilium.) Intellige Isauricum, ab Isauris debellatis Ciliciæ populis dictum.

Volcatium & Afranium.) Familiares hi Pompeij.

Libonis & Hipsei.) Familiares hi Põpeio: sed Hipseus cõsularis.

Nostram fidem.) Corrigenda in hunc modũ uerba Nostram fidem omnes, & amorem tui absentis, præsentes tui cognoscent.

Meritorum.) restitutionis.

Quoniam.) Modo, qui modo, quũ in ueteribus libris legimus.

Regis.) Ptolemæi Auletæ, de quo Strabo lib. xvij. & Dion. lib. xxxix. plura scribunt.

Religioms.) Statuæ Iouis & Sibyllini carminis. lege Dionem.

Reducas.) Al. deducas.

Possis.) Quippe cui prope in conspectu sit Ægyptus.

Autorem.) Senatusconsulti.

Ornasti.) Frumentariæ rei lege præfecisti.

Suspicio.) Pompeium reducendi regis desiderio teneri.

Cedit religioni.) hoc est, Nostra sententia est, quod tu Lentule debes eum reducere sine exercitu.

Et Afranium.) Afranius fuit unus ex ducibus Pompeij.

Vt quoniam tu nisi.) C. Long. ut quia cum, in archetypis haberi asserit, nec est quòd hoc alicui durum uidetur, etiam si in antapodosi repetatur, quia: sic enim Ciceroni subinde placuit, quo negligentior & summissior epistolarum stilus uideretur. Et cui dubium esse poterit hoc principium duriusculum uideri, propter insignem concursum, & quasi hiatum uocalium.

Nec studio, nec cõtentione. C. Long. neq; legit, hoc enim magis urgere & proposito accommodatum existimat, præsertim consentientibus exemplaribus.

In Epist. 2.

Altercatione Lentuli.) Quæ postridie in senatu acta sunt, narrat. Porro quid proprie sit altercari, & altercatio, uide Budæũ in annotationibus Pandect.

Bibuli sententia diuideretur.) Asconius Pædianus Ciceronis locum pro Milone exponens, ubi dicit: Diuisa sententia est postulante nescio quo, ita ait: Quum aliquis in dicenda sententia, duas plures ue res complectitur, & si non omnes eæ res probantur, postulat ut diuidantur, ut de rebus singulis referatur, hæc ille. Ita hoc

loco intellige sententiam diuisam, hoc est, de his relatum esse, non oportere regem contra religionem cum exercitu reduci. Et an satius fuerit regem per tres legatos sine exercitu reduci.

Hortensij sententiam. Quid sit in sententiam ire, & pedibus ire in sententiam, exponit Budæus in annotationibus.

Quod ad popularem. Rationem popularem, uocat populi iudicium, quod tumultuosum frequenter esse solet, & rixarum plenum. Alludit est ad morem Romanũ de lite dirimenda, ut quum a senatu lis omnino decidi non poterat, referretur ad populum. Idem libro primo de legibus popularem orationem dixit.

Aulo Trebonio, qui in tua prouincia. Hic alij tertiam epistolam incipiunt.

B.Egnat. Caninij. Is est, qui (autore Plutarcho in Pompeij uita) rogationem tulit, ut Pompeius regem gemino lictore restitueret,

Sententia diuideretur. Cicero in oratione pro Milone. Quid autem sit diuidere sententiam, uide Asconium.

Traducere. remouere, sed alibi infamare: quale illud in sacris literis cum nollet eam traducere.

Trebonio. Is Trebonius est, qui in Gallijs sub Cæsare militans, cum eo semper usq; ad bellt ciuilis exitum fuit.

Titus Appius. De hoc libro tertio plenius.

S.Cor. Discessionem. Per quam S.C. fiebat, senatoribus in duas partes diuisis.

Quam Coss. quorum id erat proprium munus.

Assentirentur. qui in Hortensij sententiam erant ituri.

Certis hominibus. Creditoribus regis qui pecunias aperte contra Lentulum suppeditabant.

Agi cum populo. rogari quid populus, quod suffragijs suis aut iubeat, aut uetet.

Saluis auspicijs. Ex augurum libris qui negant fas esse agi cum populo, cum de cœlo seruatum sit.

Legibus. Aelia & Fusia.

Cui Lupus. quod ipse C. Long. cum Lupus Trib. pleb. de Pompeio retulisset, contendere cœpit.

In Epist. 3.

Philip. Aulo Trebonio. Hæc epistola non debet a superiori esse separata, ut in impressis codicibus legitur, sed ut una eademq; sit, etc.

Aulo Trebonio. Narratio continens causam petitionis, & commendationem personæ.

Is cum antea. Cum hic non est coniunctio rationalis, sed copulatiua, ideo habet indicatiuum.

Quæ ne spes. Petitio.

Titus Appius. Ille Appius fuit, cui successit Lentulus in prouincia.

In Epist. 4.

Varietate. Hoc de coloribus proprie dicitur. B.Egnat.

Acerbum Curionem. a pomis immaturis sumpta translatio, quæ minime grati saporis sunt.

Studio. Vehemens est animi applicatio ad aliquid peragendum. Fabius.

Præstare. Verbum iurisconsultorum.

Legem Puppiam. qua per dies comitiales senatus haberi non poterat.

Reiectis legationibus. quoniam lege Gabinia sancium erat, cogi ex Calend. Feb. usq; ad Calend. Martias legatis senatum quotidie dari.

Inuidis. C. Catone præsertim.

Factum. Lupo contendente, ante se oportere discessionem facere, quam Coss.

Latrocinio. Tribunorum pleb. quorum unus C. Cato etiam postea concionatus est, comitia haberi non futurum, si sibi cum populo dies agendi essent exempti.

In magna uarietate. Non habet C. Longolij codex, quod & Naugerius probauit.

In Epist. 5.

Catonis. Huius promulgationis Cicero meminit epistola ad Quintum Fratrem, Cato, inquit, legem tulit de imperio Lentuli abrogando, quum Lentulus in Cilicia esset, legem tulit Cato, ut illi prouincia abrogaretur, quæ res & Ciceronis studia multorumq; fauores impediuit. B.Egnat.

De Alexandrina re. Regis causam puta. De qua propter uarias multorum opiniones & carmina Sibyllina nihil erat certi constitutum.

Tametsi. Epistolæ principium moratum.

Elargita. Mire admodum hoc uerbo rem expressit.

Postquam Pompeius. Locus hic totus exactis eorum temporum ab historia petendus. (notat.

Leuissimi hominis. C. Catonẽ non Vticensem, sed diuersum

Catonis promulgatio. de imperio tibi abrogando. S.Cor.

Minore cura. de reducendo rege.

Timorem. ne imperium tibi abrogetur.

Iactatus. a P. Clodio, & eius operis.

Pro Milone. priuato, & reo ac populũ, accusante P. Clodio.

Tuæ sapientiæ. Occupatio, quam opponit illius tantæ cogitationi, ex loco honestatis. Est q; etiam cõsolatio, ut æquo animo ferat, si res non successerit. Et ille est locus communis, in quo est collatio fortunæ & animi bonorum, suntq; ista rhetorica. Philip.

Acerbe nimium. C. Long. omnium magno sit.

In Epist. 6.

B.Egnat. Quorum imaginem.) Exilij sui calamitatem, in quam coniectus fuit Clodij impunita uitæ improbitate eo tẽpore, quũ uniuersi nobiles Romani, Ciceronis Arpinatis scilicet hominis, gloria & consulari dignitate contabescerent, & Pompeius facile sustineret in exilium detrudi Ciceronem, a quo tamen postea mutato consilio reuocatus est: idem hoc loco futurum autumat, ut Pompeius, qui offensus credebatur esse Lentulo, post statim de eo facturus sit idem, quod de se Cicerone antea fecerit.

Propugnatio, & defensio.) Nomina huiuscemodi nota maxime a Cicerone in epistolis usurpari solent.

Ciliciam. Asiatica hæc regia duplex, una Thebaica, altera Lyrnesia: quæ iterum sic diuiditur ut quædam Trachea, quædam Campestris uocatur.

Ptolemaide. Phœniciæ oppidum satis celebre Aceprius nuncupata, quoniam Græci acos medicamentum dicunt.

ἄκος. Lege Sempronia.) qua Sempronius tulit, ne successor Cæsari daretur.

Decem legati. quorum singuli singulis legionibus præessent: e quibus Qu. Ciceronis frater unus fuit.

Prospicies. Verbum est consiliis & euentui futuro accommodatum sic procul dubio legendum est.

Se assequi arbitrabantur. Rectius se assequi posse arbitrabantur. quis enim nouit terminum hunc, qui in clausula Ciceroni nimis quam frequens esse solet.

Ne lege Sempronia. Lege Sempronia post quinquennium dabatur in prouincia successor.

Vt tuis rebus. Long. codex castigatio est, sic enim habet: Id in tuis rebus, nec quisquam est, qui singularem dicendi modum Ciceronis reiscere possit.

Me in summo dolore. Consolatio. Et propositionem hanc in se transtulit. Me consolatur spes. Secundum argumentum est ab exemplo Ciceroniani casus.

Recordatio meorum temporum. Nam exempla consolantur nos: quia nemo æquo animo perferret id, quod sciret nemini alij accidisse. Exempla ergo prosunt, cogitatione debiti, & euentus ad consolandum.

Sed præsta te eum.) Conclusio, qua transfert suam consolationem ad Lentulum.

In Epist. 7.

Tempore Caniniano.) Lectionis huius argumentum fusius autor exposuit epistola secunda, ubi ait: Senatus autoritas grauissima intercesserat: cui tamen Cato & Caninius intercesserant.

Inter=

Interpositam autoritatem. Senatus autoritas uetuit cum exercitu rege Ægypti reduci, id quod Lentulo probabatur: eum igitur Cicero monet, ne contentionem sequatur in eo, quod nec obtineri, nec fieri citra neglectæ religionis crimen potest.

Nouitate mea. Passim queritur Cicero, suam dignitatem & gloriã a malenolis hominibus, adeoq; ignauis nobilibus cõuulsam & suppressam fuisse. Et quemadmodũ nouitatẽ hic suã, ita alibi nouum se appellat hominẽ quod animi sui uirtute, nullis maiorũ imaginibus dignitates consecutus sit. Et noui homines, Seruio autore, proprie dicuntur, quorum nulli maiores clari sunt, sed per seipsos, quum primum magistratum in Repub. adepti sunt.

Lege Sempronia.) Hac lege cauebatur, ne quis in prouincia maneret ultra constitutum tempus. Cæsar cum quinquennium in Gallia fuisset, quod tempus illi fuerat constitutum, alterum adhuc annum manere uoluit, & perfecit amicorum studijs & beneuolentia, ne alius succederet. Hoc ipsum Cicero non probat: etiam si in oratione de prouincijs proconsularibus se censuisse fateatur, ut Gallia prouincia iterũ cum decem legatis decerneretur Cæsari.

Crassipede.) Dederat enim Cicero filiam suam Tulliam in matrimonium Pisoni Crassipedi primũ, & post huius mortem Dolabellæ. Hinc est, quod dixerit, & de filia, & de Crassipede.

Legi literas tuas.) Exordium, captat beneuolentiam ex of- Philip.
ficio suo, de quo ad illius literas respondet.

Quorum alterum.) Est bona distributio in qua primum ponit gratitudinem, quæ est necessaria, deinde reliqua officia sunt benigni animi indicia.

Quod si rarius.) Excusat raritatem literarum.

Quod scire uis.) Narratio de uoluntatibus a multorum, & de negocio Alexandrino.

Etenim Pompeium.) Pompeius, quamuis clanculum aduersabatur Lentulo, tamen uolebat fauere causę Lentuli. Vult autem ita dicere Cicero: Tu Pompeium literis tuis retinuisti in officio, qui ante uidebatur tacite aduersari tibi.

Tempore Caniniano.) Id est, quando Caninius uoluit referre ad populum, ne rex reduceretur.

Quare ea quæ scribam.) Consilium illud est quasi principalis pars huius prioris epistolæ.

Te posse perspicere.) Hoc est, si per illas copias, quas habes, poteris regem reducere, licet tibi rem tentare. Reductio regis tibi non est adempta, sed exercitus nouus non est concessus.

Sed hæc sententia.) Correctio istius consilij. Vereor ne sit minis periculosum, ut tam paruis copijs tentes reducere regem.

Quod si hæc ratio.) Alia forma, qua possit regem reducere.

Quod mihi de nostro.) Alia narratio, hoc est, quasi alterius

epistolæ initium: fuerunt autẽ illo tempore contentiones inter Milonem & Clodium, anno ante hunc interfectum, inde incipit narrationem suorum consiliorum, quod non usq; adeo contendat in Repub. sicut antea, estq; expositio perfidiæ amicorum, quam sequitur excusatio quædam.

Quos fauendo incommuni.) Et poteram Reipub. prodesse, & dicere liberas sententias, nisi cogerer habere rationem mei periculi, cum intelligã ipsos etiam amicos meos ualde mihi inuidere, a quibus si desertus fuero, iterum mihi cedendum esse intelligo.

De uetere illa nostra. Liberiore scilicet, quia Cicero decreuerat esse addendum Cæsari stipendium, idq; tantum fecit in gratiam Cæsaris.

Poterat utrunq; præclare. Hoc est, ego possem & dignitatis & salutis pariter habere rationem, possem dicere liberas sententias sine periculo.

Illi. Pompeium intelligit, qui est imbecilli animo præditus, nec potest ferre in alio parem dignitatem.

Me meæ Adhortatio, tecte significans, ne nimium concupiscat ambitiosam reductionẽ regis, sed aliquid laudis afferat ex prouincia, redeatq; instructior ad regendum domi Rempub.

Vt hæc multo. Id est, ut cogites potius qualis redeas ad urbem, quid autoritatis huc adferas, quam ut aliquam militarem laudem augeas in prouincia.

Quod scribis te uelle scire. Ad aliam partẽ epistolæ accedit.

Summa dissentio. Pomponium & Cæsarem intelligit.

In Epist. 8.

B.Egnat. Vt qui busdã uidetur simulatione. Nam Ciceronem plerisq; inconstantiæ, instabilisq; animi notarunt.

Ne aduersarij quidem eius. Crassum & Catonem, Catonisq; æmulos, & Clodianorum quosdam intelligit.

V.Cor. Et hominem clarissimũ. Intelligit Pompeium, nõ Cæsarem.

Amicorũ nostrorum. Cn. Pompeij, M. Crassi, & C. Cæsaris.

Putasti. Quum de me reuocando ageres.

Quidam homines. M. Cato, & reliqui aduersarij.

Eorum. Catonis præcipue.

Ordinem. equestrem.

Philip. Animi inducti. Id est, oratio ad conciliandos animos populi.

Sed ut ad ea. Redit ad priorẽ epistolæ partem, de Pompeio.

Et eo consule. Fuit enim consul Pompeius sub id tempus quando Milo coactus est causam dicere.

In Epist. 9.

B.Egnat. Ille perennis inimicus. Clodium significare uidetur, qui pestis & uenenum optimum cuiusq; fuit. Eum Cicero subinde in orationibus conuicijs premit. Cum

Cum Appio esse in gratia.) Appius fuit pulcher cognominatus, de quo Plutarchus multa scribit. Cum hoc Cicero simultatem olim habuit, a quo tamen placatus, in gratiam rediit.

Domo expulsus.) Cicero in orationibus pro Milone, in Pisonem & alijs commemorat, se cum fratre armata manu Clodij reiectum esse. Hanc historiam lege apud Plutarchũ, in uita Ciceronis.

Arcem illius causæ inuadere.) Illustri usus metaphora, significat se causæ summam & statum impugnasse. Hoc opinor Fabius dicit in suis institutionibus rhetoricis, cardinem rei.

Stomachum facerent.) Facere stomachum, eadem fere metaphora, & figura prouerbiali dicimus, qua mouere bilem, hoc est, ad iram, ad furorem, & insaniam aliquem concitare.

Quales in Repub.) Simtlis sententia apud Herodianũ, quam Politianus sic uertit latine. Solent enim plerq; homines utam principis æmulari. Porro principes non intelligit, quos uulgus habet imperatores, sed qui dignitate & potentia alijs antecellunt.

Desipientem senectute.) Athenienſium Reip. administratio incumbebat in eos, qui longa senectute insignes erant, quales fuerunt Ariopagitæ, qui sicarios iudicare, & ipsam Remp. grauissime administrare consueuerunt: de his plura lege in Annot. Budæi.

Huc accessit.) Oratione pro M. Marcello Cicero mirifice laudat clementiam & liberalitatem Cæsaris, a quo cum ante in acie Pharsalica cecidisset Pompeius, & uniuersus senatus urbe cessisset, ipse tamen Cicero in urbem est reuocatus.

Fideli & benuolo.) Tria uidelicet sunt quæ in consiliarijs requiras: prudentiam, fidem, benuolentiam.

Quanquam ille perennis inimicus.) Clodium intelligit.

Vatinium autem.) Hic est P. Vatinius, cognomento Testis.

De auspicijs.) Legem Aeliam & Fusiam sublatam a Vatinio & Clodio tribunus pleb. intelligit.

Ex ultimis terris.) Hispaniam intellige, ubi præturam tunc temporis gessit Lentulus.

Inuidorum.) ut Catonis & Hortensij.

Philip. Perjucundæ.) Exordium a cõmemoratione officij sui, quantum debeat Lentulo: ac sequitur comparatio, si præsens affuisses: maiorum fructum cepisses.

Sed certe & ego.) Correctio.

Certiorem te per literas.) Narratio, in qua ponitur propositio.

Non tam acriter pugno, quam antea solebam. Causa consilij quia in Repub. non potuit obtinere quod decuit, tenuit igitur pro opportunitate temporum, quod potuit.

Primis temporibus.) Seruit tempori, uidendum est enim cui libet quod obtinere possit, & addit rationem.

Ex autoritate Senatus.) Quia reuersus Cicero ab exilio petijt,

tijt, ut ædes, quæ a Clodio erant demolitæ rursus ædificarentur.

In omnibus meis sententijs.) Ego dicebam liberas sententias non attendens Pompeium offendi. Et est adhuc illa pars minoris, quod Pompeius de eo sit questus.

Ego sedente.) Narratio, quæ res offenderit Cæsarẽ & Pompeium, uidelicet de agro Campano.

In arcem illius causæ.) Hoc est, dixi illa, quæ maxime erant dicenda in ea causa.

Hæc cum ad me frater.) Conclusio illius : periculum faciendum mihi fuit, ut uideret etiam gratus Pompeio. Itaq; remisi aliquid Pompeij causa.

Cum ipsa quasi Rempub.) Prosopopœia, quæ reddit totam rem illustriorem.

Ego si ab improbis.) Ratio quare cedat Pompeio, & Cæsari quia mediocris status ferendus est.

Quales in Repub. Antithesis. Illa forma Reipublicæ a me, constituta mutata est. Isocrat. ad Nic.

Eadem sententia est in Philoctete Sophoclis.

Et Claudianus inquit: Regis ad exemplũ totus componitur orbis.

Sed attende quæso.) Hæc omnia eo pertinent, quod dicit, Consensus Senatus est dissolutus: Multa fiunt iam impune.

Illa furta.) Intelligit furtiuum ingressum Publij Clodij in sacellum Bonæ deæ, in quod alioqui solis matronis ingredi licebat.

Per bonos uiros.) Pompeij scilicet & similium.

M. illũ Scaurũ.) Quia M. Scaurus iurauit in legẽ pernitiosam.

Tabellaq; docuerunt) id est in suffragijs scriptis in tabula. Inde lex tabellaria, quæ significabatur in tabula.

De Vatinio autem.) Alia causa continens excusationem, quare defenderit Vatinium inimicum uidelicet, odio Clodij in gratiam Cæsaris.

Cognosce de Crasso.) Alia causa quod in Pompeij gratiam reconciliatus sit Crasso.

Inclusum illud odium.) Format enim natura prius nos intus ad omnem fortunarum habitum.

Quamobrem eius.) Epilogus continens breuem repetitionem eorum, quæ hactenus commemorata sunt.

In una sententia petpetua permansio.) Locus communis, excusatio inconstantiæ.

Vt paulo ante posui.) Epilogus repetens breuiter causas, quibus moueatur ad conciliandum gratiam Cæsaris.

Legatus est Cæsaris.) Legatus non semper significat nuntium, sed etiam ut plurimum in Cicerone, Vicarium, quem & uulgo locum tenentẽ uocant, quia Proconsules Romæ poterant amicos suos creare legatos. Ita Qu. Cicero fuit legatus Cæsaris in Gal-

Gallia,

lia, id est, habuit aliquã prouinciã, aliquas copias quas gubernaret.

Præsidijs ijs.) Ingenij uidelicet & diligentiæ.

Apertum & simplicem.) Simplex nõ significat stultum, sed rectum ingenium, & est contrarium peruerso & fucato. Et ita debent esse Heroum ingenia, sicut etiam sunt leones, qui nihil fucate, sed omnia aperte agunt.

Sed quocunq; tempore mihi potestas.) Apostrophe ad Lentulum, in qua sua illi officia defert.

In Epist. 10

Sed quia uerebar.) Ideo non edidi, quia uerebar non inimicos quos perstrinxi, sed uerebar ut ne bene meriti a me præteriti offenderentur.

Quæ ad me de rebus tuis.) De rebus domesticis Lentuli, & alijs breuioribus negocijs.

Prouinciam habere.) Aliud est imperium habere, aliud habere prouinciam. Habere prouincia est tantum præesse prouinciæ. Habere imperium, est habere ius etiam conscribendi exercitus.

M. T. CICERONIS EPISTOLARVM FAMILIARIVM LIBER II.

ARG. EPIST. SEQ.

In secundo libro plæræq; omnes sunt Rhetoricæ, id est, ex quibus multum sumere possumus. Hæc autem epistola habet tres partes, excusationem silentij, gratulationem & adhortationem. Totus autem locus de excusatione silentij est eiusmodi, ut eum ipsi quoq; imitari possimus. Curio fuit orator & superbus iuuenis, ideo quoq; superbe ad eum scribit. Et est ille qui primum dedit causas belli ciuilis, in quo etiam interfectus est.

M. T. C. *Curioni* S. P. D. 12

QVANQVAM *me nomine negligentiæ tibi suspectum esse doleo, tamen non tam molestum mihi fuit accusari abs te officium meũ, quàm iucundum requiri: præsertim cum in quo accusabar, culpa*

Captat beneuolentiam a dolore suo quem cepit, quod Curio eum negligentiæ accu-

hæc-

sat, & uoluptate qua adficiatur, quod Curio officiũ eius requirat.

uacarem: in quo autem desiderare te significabas meas literas, præ te ferres perspectũ mihi quidem, sed tamen dulcem, & optatum amorem tuum. Equidem neminem prætermisi, quem quidem ad te peruenturũ putarem, cui literas non dederim: etenim quis est tam inscribendo impiger, quàm ego? A te uerò bis, ter úe ad summũ, & eas perbreues accepi. Quare si iniquus es in me iudex, condemnabo eodem ego te crimine: sin me id facere noles, te mihi æquum præbere debebis. Sed de literis hactenus: non enim uereor, ne nõ scribendo te expleam: præsertim si in eo genere studium meum non asperna-

Dilemma.

Transitio.

Secũda pars epistolæ.

Captat beneuolentiam cum adhortatione.

bere. Ego te abfuisse tamdiu à nobis & doleo, quòd carui fructu iucundissimæ consuetudinis tuæ: & lætor, quòd absens omnia cum maxima dignitate es consecutus, quodq; in omnibus tuis rebus, meis optatis fortuna respondit. Breue est quod me tibi præcipere meus incredibilis in te amor cogit: tanta est expectatio uel animi, uel ingenij tui, ut ego te obsecrare, obtestarique non dubitem, sic ad nos confirmatus reuertare, ut quam expectationem tui concitasti, hanc sustinere, ac tueri possis. Et quoniam meam tuorum erga me meritorum memoriam nulla unquam delebit obliuio, te rogo, ut memineris, quantæcunq; tibi accessiones *fuerunt & fortunæ, & dignitatis, eas te non potuisse consequi, nisi meis puer olim fidelissimis, atq; amantissimis consilijs paruisses. Quare hoc animo in nos esse debebis, ut ætas nostra iam ingraueſcens, in amore, atq; in adoleſcentia tua conquiescat. Vale.

Ab expectatione hominum.

Ab obseruatione & obtestatione.

*Fient.

Epilogus.

ARG.

ARG. EPIST. SEQ.

In hac epistola puto aliquid deesse, necsi enim cohærent omnia. Exordium est sumptum a testimonio amoris, & est laudatiuicon, quod allegat patrem. Deinde epistola habet consilium de ludis, & in ipso consilio confutationem & reprehensionem sententiæ Curionis. In fine est adhortatiuncula.

M. T. C. Curioni S. P. D. 13

GRaui teste priuatus sum amoris summi erga te mei patre tuo clarissimo uiro: qui cùm suis laudibus, tum uerò te filio superasset omnium fortunam, si ei contigisset, ut te antè uideret, quàm è uita discederet. Sed spero nostram amicitiam non egere testibus. Tibi patrimoniũ dij fortunent. Me certè habebis, cui & charus æquè sis & periucundus, ac fuisti patri. Nempe studium meum non defuit declarandorum munerum tuo nomine: sed nec mihi placuit, nec cuiquam tuorũ, quicquam te absente fieri, quod tibi cùm uenisses, non esset integrum. Meã quidem sententiã aut scribam ad tè posteà pluribus: aut, ne ad eam meditere, imparatum te offendam: coramq; contra istã tuam * rationem, meã dicam: ut aut te in meam sententiã adducam, aut certè testatum apud animũ tuum relinquã, quid senserim: ut si quando (quod nolim) displicere tibi tuum consilium cœperit, possis meum recordari. Breui tamen sic habeto, in eum statum temporum tuum reditum incidere, ut ijs bonis, quæ tibi natura, studio, fortuna data sunt, facilius omnia, quæ sunt in Rep. amplissima cõsequi possis, quàm muneribus: quorum neq; facultatem quisquam admiratur (est enim copiarũ, non uirtutis) neq; quisquam est, quin satietate iam defessus sit. Sed aliter atq; ostenderã, facio,

Beneuolentiam captat a dolore quem cepit ex morte patris Curionis.

Consolatur Curionem.

*rationem edisseram. ut, &c.

Paucis inducit causas, cur munera Curioni non danda esse censeat.

Ratio dissuasionis publicorum munerum.

Correctio.

facio, qui ingredior ad explicandam rationẽ sententiæ meæ. Quare omnem hanc disputationem in aduentum tuũ differo. Summa scito te in expectatione esse, eaq; à te expectari, quæ à summa uirtute, summoq; ingenio expectanda sunt: ad quæ si es, ut debes, paratus (quod ita esse confido) plurimis, maximisq; muneribus & nos amicos, & ciues tuos uniuersos, & Rempub. afficies. Illud profecto cognosces, mihi te neq; chariorem, neq; iucundiorem esse quenquam.

Epilogus ad hortatiunculæ.

Conclusio continens pathi, per quæ breuiter adhortatur eũ, ut paratior ueniat.

ARG. EPIST. SEQ.

Hæc epistola fuit scripta sub initium belli ciuilis, in qua hortatur Curionem iterum ad eas res perficiendas, de quibus antea sæpe ad eum scripserat.

M. T. C. Curioni S. P. D. 14

Hortatoria epistola.

EPistolarum genera multa esse non ignoras: sed unum illud certissimum, cuius causa inuenta res ipsa est, ut certiores faceremus absenteis, si quid esset, quod eos scire, aut nostra, aut ipsorum interesset. Huius generis literas à me profectò non expectas: domesticarum enim rerum tuarum habes & scriptores, & nuncios. In meis autem rebus nihil est sanè noui. Reliqua sunt epistolarũ genera duo, quæ me magnopere delectant: unum familiare & iocosum: alterum seuerum, & graue. Vtro me minus deceat uti, non intelligo. Iocer ne tecum per literas? ciuem me hercule nõ puto esse, qui temporibus his ridere possit. An grauius aliquid scribam? quid est, quod possit grauiter à Cicerone scribi ad Curionem, nisi de Republica? atq; in hoc genere hæc mea causa est, ut neque ea quæ nunc sentio, uelim scribere. Quamobrem quoniam

Exordium ex uarietate epistolarum per distributionem, reliqua genera præter unum adhortatoriũ negat sibi hic concessum esse.

quoniam mihi nullum scribendi argumentum relictum est, utar ea clausula, qua soleo, teq; ad studium summæ laudis cohortabor. Est enim tibi grauis aduersaria constituta, & parata incredibilis quædã expectatio: quam tu una re facillimè uinces, si hoc statueris, quarum laudum gloriam adamaris, quibus artibus eæ laudes comparantur, in ijs esse elaborandum. In hanc sententiam scriberem plura, nisi te tua sponte satis incitatum esse confiderem: & hoc quicquid attigi, non feci inflammandi tua causa, sed testificandi amoris mei. Vale.

Epilogus ab hortatione.

Propositio.

Ab expectatione hominum.

Ratio.

Conclusio.

ARG. EPIST. SEQ.

Hoc est breue epistolium, & tamen rhetoricum, præter uerba nihil continens, nisi quod ita ex seipso aliquid procreat. Habet autem tres locos, Reiectionem, quod mihi scribat de Republica. Gratulationem, quod absit in prouincia, & res honeste gerat. Postremo est adhortatio.

M. T. C. Curioni S. P. D. 18

Epistola hortatoria.

HAec negotia quomodo se habeãt, ne epistola quidem narrare audeo tibi: etsi ubicunq; es (ut scripsi ad te antea) in eadem es naui: tamen quòd abes, tibi gratulor: uel quia non uides ea, quæ nos: uel quòd excelso, & illustri loco sita sit laus tua, in plurimorum et sociorum, & ciuium cõspectu: quæ ad nos nec obscuro, nec uario sermone, sed & clarissima, et omnium una uoce perfertur. Vnum illud nescio, gratuler ne tibi, an timeam, quòd mirabilis est expectatio reditus tui: non quò uerear, ne tua uirtus opinioni hominũ non respondeat, sed mehercule, ne cùm ueneris, non habeas iam, quod cures: ita sunt omnia debilitata, et iam propè extincta. Sed hæc ipsa nescio rectè ne sint literis commissa: quare cætera cognosces

Captat benevolentiam & a rebus, quæ in repub. geruntur, & a gratulatione.

Hortatio est tacita.

Correctio.

e

Epilogus ab hortatione.

sces ex alijs. Tu tamen siue habes aliquã spem de repub. siue desperas: ea para, meditare, cogita, quæ esse in eo ciue, ac uiro debent, qui sit rempub. afflictã, & oppressam miseris temporibus, ac perditis moribus, in uetere libertatem, ac dignitatem uindicaturus.

ARG. EPIST. SEQ.

Hæc epistola est accurate & diligenter scripta, quia plurimum intererat Cicetonis, ut Milo fieret Consul.

M. T. C. Curioni S. P. D. 16

Petitoria est epistola.
A narratione est ductũ exordium.
Attentionẽ captat.
A uerecundia beneuolentiam aucupatur, uel ab exteuuatione suorum erga Curionem meritorum.
A benefactis Curionis beneuolentiam uenatur.

NOndum erat auditum, te ad Italiam aduentare, cum Sextum Cloelium Milonis mei familiarem cum his ad te literis misi: sed tamẽ cùm appropinquare tuus aduentus putaretur, & te iam ex Asia Romam uersus profectum, esse constaret, magnitudo rei fecit, ut non uereremur, ne nimis citò mitteremus, cùm has ad te perferri quàm primum literas magnopere uellemus. Ego si mea in te essent officia solùm Curio tanta, quanta magis à te ipso prædicari, quàm à me ponderari solent, uerecundius à te, si qua magna res mihi petenda esset, contenderem. Graue est enim homini pudenti, petere aliquid magnum ab eo, de quo se bene meritum putet: ne id quod petat, exigere magis, quàm rogare, & in mercedis potius, quàm beneficij loco numerare uideatur. Sed quia tua in me uel nota omnibus, uel ipsa nouitate meorum temporum clarissima, & maxima beneficia extiterunt: Estq; animi ingenui, cui multũ debeas, eidem plurimum uelle debere: nõ dubitaui id à te per literas petere, quod mihi omnium esset maximum, maximeq; necessarium. Neq; enim sum ueritus, ne sustinere tua in me uel innumerabilia

A suo remunerandi studio.

merabilia * beneficia non possem: cùm præsertim confiderem, nullam esse gratiam tantam, quam uel non capere animus meus accipiendo: uel remunerando, cumulandoq; illustrare posset. Ego omnia mea studia, omnẽq; operam curam, industriam, cogitationem, mentem deniq; omnem in Milonis cõsulatu fixi, & locaui, statuiq; in eo me nõ officij solùm fructũ, sed etiã pietatis laudem quærere debere. Neq; uerò cuiquam salutẽ, ac fortunas suas tantæ curæ fuisse unquam puto, quantæ mihi sit honos eius, in quo omnia mea studia posita esse decreui. Huic te unũ tanto adiumento esse, si uolueris, posse intelligo, ut nihil sit prætereà nobis requirendũ. Habemus hæc omnia: bonorũ studiũ cõciliatũ ex tribunatu, propter nostram (ut te spero intelligere) causam: uulgi ac multitudinis, propter magnificentiam munerũ, liberalitatemq; naturæ: iuuentutis, & gratiosorũ in suffragijs studia, propter ipsius excellentẽ in eo genere uel gratiã uel diligentiam: nostrã suffragationẽ, si minus potentẽ, approbatam tamen, & iustam, & debitã, & propterea fortasse etiam gratiosam. Dux nobis & autor opus est, & eorũ uentorũ, quos proposui, moderator quidã, & quasi gubernator: qui si ex omnibus unus exoptãdus esset, quẽ tecũ cõferre possemus, non haberemus. Quamobrem si me memorem, si gratũ, si bonũ uirũ uel ex hoc ipso, quòd tam uehementer de Milone laborem, existimare potes: si dignũ deniq; tuis beneficijs iudicas: hoc à te peto, ut subuenias huic meæ sollicitudini, ut huic meæ laudi, uel (ut uerius dicã) propriæ saluti tuũ studiũ dices.

Narratio quid agat, aut quid petat, qua deniq; in re sibi opus sit opera Curionis, & est præparatio ad petitionẽ.
A rei, quam petit honestate.
Ab officio quo inductus sit ad petendum pro Milone.
Propositio.
A facili & possibili.
A laude Curionis.
A sua persona & Milonis.
A rei honestate.

A remuneratione, uel gratitudine Milonis.

De ipso T. Annio tantum tibi polliceor, te maioris animi, grauitatis, constantiæ, beneuolentiæq; erga te, si cõplecti hominem uolueris, habiturũ esse neminem. Mihi uerò tantum decoris, tantum dignitatis adiunxeris, ut eundem te facilè agnoscam fuisse in laude mea, qui fueris in salute. Ego ni te uidere scirem, cum hæc ad te scriberem, quantũ officij sustinerẽ, * quantoperè mihi esset in hac petitione Milonis omni nõ modò cõtentione, sed etiam dimicatione elaborandũ, plura scriberem. Nunc tibi omnẽ rem, atq; causam, meq; totũ cõmendo atq; trado. Vnũ hoc sic habeto: si à te hanc rem impetraro, me penè plus tibi quàm ipsi Miloni debiturũ: nõ enim mihi tam mea salus chara fuit, in qua præcipuè sum ab illo adiutus, quàm pietas erit in referenda gratia iucunda: eam autem unius tui studio me assequi posse confido. Vale.

Ab utili, quod sibi accessurum sit.

A sua persona.

Epilogus.

* quantoq; opere.

Artificiosissima amplificatio ex collatione salutis & pietatis.

ARG. EPIST. SEQ.

Excusatio seræ gratulationis. Deinde est tota adhortatio. Et est negligenter scripta, nisi quod est pathetica, & continet præfagia tribunatus Curionis, qui præbuit causam belli ciuilis.

M. T. C. Proconsuli Curioni Tribuno Pleb. S. P. D. 17

Beneuolentiam captat a gratulatione:

SEra gratulatio reprehendi nõ solet, præsertim si nulla negligentia prætermissa est: longè enim absum, audio serò. Sed tibi et gratulor: et, ut sempiternæ laudi tibi sit iste tribunatus: exopto: teq; hortor, ut omnia gubernes, et moderere prudentia tua: ne te auferant aliorum cõsilia. Nemo est, qui tibi sapiẽtius suadere posit te ipso nunquàm labẽre, si te audies. Nõ scribo hoc temerè, cui scribam uideo: noui animũ, noui cõsiliũ tuũ, nõ uereor, nequid

Hortatur Curionem, ut omnia ex suo cõsilio gerat.

nequid timidè, nequid stultè facias, si ea defendes, quæ ipse recta esse senties. Quòd in id Reipub. tempus non incideris, sed ueneris (iudicio enim tuo, non casu in ipsum discrimen rerum contulisti tribunatũ tuum) profectò uides, quanta uis in Repub. temporum sit, quanta uarietas rerum, quàm incerti exitus, quàm flexibiles hominum uoluntates, quid insidiarum, quid * uanitatis in uita sit, non dubito, quin cogites. Sed amabo te, cura & cogita nihil noui, sed illud idẽ quod initio scripsi: tecum loquere, te adhibe in consilium, te audi, tibi obtempera. Alteri qui melius dare consilium possit, quàm tu, non facile inueniri potest: tibi uerò ipsi certè nemo melius dabit. Dij immortales, cur ego non adsum uel spectator tuarum laudum, uel particeps, uel socius, uel minister consiliorum? tametsi hoc minimè tibi deest: sed tamen efficeret magnitudo, & uis amoris mei, consilio te ut possem iuuare. Scribam ad te plura aliâs: paucis enim diebus eram missurus domesticos tabellarios: ut, quoniam sanè feliciter, & ex mea sententia Rempub. gessimus, unius literis totius æstatis res gestas ad Senatũ perscriberem. De sacerdotio tuo quantã curam adhibuerim, quanquàm difficili in re, atq; causa, cognosces ex ijs literis, quas * Thrasoni liberto tuo dedi. Te mi Curio pro tua incredibili in me beneuolentia, meaq; item in te singulari, rogo, atq; oro, ne patiare mihi quicquam ad hanc prouincialem molestiã temporis prorogari. Præsens tecum egi, cùm te tribunum pleb. isto anno fore non putarem: itemq; petiui sæpius per literas: sed tum quasi

Tribunatum recte gerendum.

* uarietatis.

Exclamatio.

Reiectio.

Hoc obiter interserit.

* Thessalo

Conclusio epistolæ a petitione. nam petit Curionem, ut det operam, ne tempus prouinciæ ei prorogetur.

Ab honestate rei.

à senatore nobilissimo, tum adolescente gratiosissimo: nunc à tribuno pleb. & à Curione tribuno: non ut decernatur aliquid noui, quod solet esse difficilius: sed ut nequid noui decernatur: ut & senatusconsultum, & leges defendas, eaq; mihi conditio maneat, qua profectus sum. Hoc te uehementer etiam atq; etiam rogo. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Ista epistola habet initio reprehensionem argumentorum epistolæ, ut solet fieri in respondendo, ubi aut approbamus aut reprehendimus aliquid. Deinde sequitur narratiuncula. Est epistolã fere familiaris, non est una ex ijs, quæ sunt ualde rhetoricæ. Qui uult intelligere istas epistolas ad Cælium, legat octauum librum.

M. T. C. Proconsul M. Cælio S. P. D. 18

Obiurgatoria & hortatoria epistola Captat bene uolẽtiam ex abrupto, & a familiari obiurgatione.

Vidē tu me hoc tibi mandasse existimas, ut mihi gladiatorum compositiones, ut uadimonia dilata, & Chresti compilationem mitteres, & ea quæ nobis, cum Romæ sumus, narrare nemo audeat? Vide quantum tibi meo iudicio tribuam: nec me hercule iniuria: πολιτικώτερον enim te adhuc neminem cognoui: ne illa quidem curo mihi scribas, quæ maximis in rebus reipub. geruntur quotidie, nisi quid ad me ipsum pertinebit: scribent alij: multi nunciabunt: perferet etiam multa ipse rumor. Quare ego nec præterita, nec præsentia abs te, sed ut ab homine longè in posterum prospiciente futura expecto, ut ex tuis literis, cũ formam reipublicæ uiderim, qualẽ ædificium futurum sit, scire possim. Neq; tamen adhuc habeo, quod te accusem: neq; enim fuit, quod tu plus prouidere posses, quàm quiuis nostrũm, in primisq; ego, qui cum Pompeio complures dies nullis in alijs, nisi de republica sermonibus uersatus sum: quæ nec possunt

Id est ciuiliorem.

Qualia uelit scribi. Correctio.

Hortatur Cælium, ut se Pompeio det, & in eius amicitiam se insinuet.

sunt scribi, nec scribenda sunt: tantum habeto, ciuem egregium esse Pompeiũ, & ad omnia, quæ prouidenda sunt in Repub. & animo, & consilio paratum. Quare da te homini: complectetur, mihi crede. Iam ijdem illi et boni & mali ciues uidẽtur, qui nobis uideri solent. Ego cùm Athenis decem ipsos dies fuissem, multumq; mecũ C. noster Caninius, proficiscebar inde pridie Nonas Quintileis, cum hoc ad te literarum dedi. Tibi cum omnia mea cõmendatissima esse cupio, tum nihil magis, quàm ne tẽpus nobis prouinciæ prorogetur: in eo mihi sunt omnia. Quod, quando, & quomodo, & per quos agendum sit, tu optimè constitues. Vale.

Epilogus narratione & petitio

ARG. EPIST. SEQ.

Excusatio tarditatis in scribẽdo. Sequitur gratulatio: inde facit hypotyposin illius qui petijt cũ Cælio ædilitatẽ, & præsentat quosdam illius gestus. Ædilis Curulis a sella curruli dicitur. Fuerunt aũt duplices Aediles, superiores ex patritijs, & alij ex plebeis.

M. T. C. Cælio Rufo Aedili Curuli designato S. P. D. 19

Exordium a gratulatione, ob ædilitatẽ curulẽ, quam Cælius adeptus erat, & a gratiarum actione.

PRimùm tibi, ut debeo gratulor, lætorq; cùm præsenti, tum etiam sperata tua dignitate, serius, non negligentia mea, sed ignoratione rerum omnium. In his enim sum locis, quò & propter longinquitatem, & propter latrocinia tardissimè omnia perferuntur. Et cum gratulor, tum uerò quibus uerbis tibi gratias agam, non reperio, quòd ita factum sit, ut dederis nobis, quem admodũ scripseras ad me, quẽ semper ridere possemus. Itaq; cum primum audiui, ego ille ipse factus sum: scis quem dico: egiq; omneis illos adolescẽteis, quos ille iactitabat. diffi-

Irridet competitorẽ Cælij in ædilitate & est sarcasmos.

cile est loqui: te autem contemplans absentem, & quasi tecum coràm loquerer, nõ ædepol quantam egeris rem, neq; quantum facinus feceris: quod quia præter opinionem mihi acciderat, referebam me ad illud: Incredibile hoc factum obijcitur. repentè uerò inceßi omnibus lætitijs. In quo cùm obiurgarer, quòd nimio gaudio penè desiperem, ita me defendebã: Ego uoluptatem* homini nimiam. Quid quæris? dum illum rideo, penè sum factus ille. Sed hæc pluribus, multaq; alia & de te, & ad te quàm primum ero aliquid nactus otij. Te uerò mi Ruse diligo, quem mihi fortuna dedit amplificatorem dignitatis meæ, ultorem nõ modò inimicorum, sed etiam inuidorum meorum: ut eos partim scelerum suorum, partim etiam ineptiarum pœniteret. Vale.

Sunt fragmẽta uel mutilati uersus ex aliqua tragedia.

*al. habui uel, animi.

Epilogus ab amore quo Cælium prosequitur.

ARG. EPIST. SEQ.

Est simplex narratio, & commune epistolare exordium, querela scilicet de perfidia tabellariorum. Vineæ fuerunt tabulata tecta, sub quibus arietes admouebantur muris.

M. T. C. Imperator M. Cælio Ruso Aedili Curuli designato S. P. D.

*al. temerè.

Nunciatoria epistola. Exordiuntur a reprehensione malæ fidei tabellariorũ, & ab excusatione Cælij, ut qui haud dubiè sæpe scripserit, sed

TV uide quàm * timidè, cùm ad me literæ non perferantur: non enim adduci possum, ut abs te posteà quàm Aedilis factus es, nullas putem datas: præsertim cum esset tãta res, tantæ gratulationes: de te, quia quod sperabam: de Hillo (balbus enim sum) quod non putaram. Atqui sic habeto, nullam me epistolam accepisse tuam post comitia ista præclara, quæ me lætitia extulerunt: ex quo uereor, ne idem eueniat in meas literas. Equidem nunquàm domum misi unam epistolam, quin esset

esset ad te altera: nec mihi est te iucundius quicquam, nec charius. Sed Balbi non sumus: ad rem redeamus. Vt optasti, ita est: uelles enim ais, tantũ modò ut haberem negotij, quod esset ad Laureolam satis. Parthos times, quia diffidis copijs nostris: ergo ita accidit. Nam Parthi có bello nuntiato, locorum quibusdam angustijs & natura montium fretus, ad Amanum exercitum adduxi, satis probè ornatũ auxilijs, & quadam autoritate apud eos, qui me non norant, nominis nostri. Multum est enim in his locis, Hiccine est ille, qui urbem? quem Senatus? nosti cætera. Cum uenissem ad Amanum, qui mons mihi cum Bibulo communis est, diuisies aquarum diuortijs, Cassius noster, quod mihi magnæ uoluptati fuit, feliciter ab Antiochia hostem reiecerat. Bibulus prouinciã acceperat. Intereà cum meis copijs omnibus uexaui Amanienseis hosteis sempiternos: multi occisi, capti: reliqui dissipati: castella munita improuiso aduentu capta, & incensa. Ita uictoria iusta Imperator appellatus apud Issum: quo in loco sæpe, ut ex te audiui, Clitarchus tibi narrauit, Darium ab Alexandro esse superatum: abduxi exercitum ad infestissimam Ciliciæ partem. Ibi quintum et uigesimum iam diem aggeribus, uineis, turribus oppugnabam oppidum munitissimum Pindenissum, tantis * operibus, tantoq; negotio, ut mihi ad summã gloriam nihil desit, nisi nomen oppidi: quòd si, ut spero, cepero, tum uerò literas publicè mittã. Hæc ad te in præsenti scripsi, ut speres te assequi id, quod optasses. Sed, ut redeam ad Parthos, hæc æstas habuit hũc exitum satis

litteras eius perlatas non esse.

Propositio.

Narratio est de rebus a se gestis in bello Parthico.

Altera narratio. Minensiu.

Instructio bellica, de quibus Vegetius.

*opibus.

Ad narrationem rerum, a se in bello Parthico gestarum redit. Hortatio. Petitio. Conclusio.

felicem. Ea quæ sequitur magno est in timore. Quare mi Rufe uigila, primum ut mihi succedatur: sin id erit, ut scribis, &, ut ego arbitror, serius: illud quod facile est, ne quid mihi temporis prorogetur. De Repub. ex tuis literis, ut antea tibi scripsi, cùm præsentia, tum etiam futura magis expecto. Quare, ut ad me omnia quàm diligentissimè perscribas, te uehementer rogo. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Elegans adynaton est in exordio: Nullis uerbis consequi possum, quantopere cupiam discedere ex prouincia, & statim redire Romam. Deinde exponit causas huius consilij.

M. T. C. Imper. Cælio Aedili Curuli S. P. D. 21

Exorditur ab admiratione. Dubitatio. Propositio quid uelit fieri. Recenset uarias causas propter quas sit cupidus decedendi de prouincia.

PVtarés ne unquam accidere posse, ut mihi uerba deessent, neq; solùm ista uestra oratoria, sed hæc etiam leuia nostratia? desunt autem propter hanc causam, quòd mirificè sum solicitus, quidnam de prouincijs decernatur. Me mirũ desiderium tenet urbis, incredibile meorũ, atq; in primis tui: satietas autem prouinciæ: uel quia uidemur eam famam consecuti, ut non tam accessio quærenda, quàm fortuna metuenda sit: uel quia totũ negotium non est dignum uiribus nostris, qui maiora in Republica onera sustinere et posimus, & soleamus: uel quia belli magni timor impendet, quod uidemur effugere, si ad constitutam diem decedemus. De pantheris per eos qui uenari solent, agitur mandato meo diligẽter: sed mira paucitas est, & eas quæ sunt, ualde aiunt queri, quòd nihil cuiquã insidiarũ in mea prouincia, nisi sibi, fiat: itaq; cõstituisse dicuntur in Cariam ex nostra prouincia

Narrationẽ festiuam addit, quid fiat cum Pantheris, quas Cælius in apparatu ædilitij muneris habere cupiebat.

uincia decedere. Sed tamen sedulò fit, & in primis à Patischo. Quicquid erit, tibi erit: sed quid planè esset, nesciebamus. Mihi mehercule magnæ curæ est ædilitas tua: ipsa dies me admonebat: scripsi enim hæc ipsis Megalensibus. Tu uelim ad me de omni Reipub. statu quàm diligẽtissimè perscribas: ea enim certissima putabo, quæ ex te cognouero. Vale. Conclusio.

ARG. EPIST. SEQ.

Primus locus huius epistolæ nihil habet, nisi quod flagitat literas, & illi flagitationi causas quasdam præponit, postea sequuntur quædam narratiunculæ. Quinquatria festi dies ludorum seu Mineruæ erãt, & in his diebus cõtenderũt Curio et Antonius de cõsulatu Cæsaris, quę res prębuit causam belli ciuilis: De his hic loquitur.

M. T. C. Imperator M. Cælio Aedili Curuli S. P. D. 22

Hortatoria epistola. Captat bene uolentiam a sua solicitudine, quam de rebus urbanis habuit. Tacite irridet. Pompeium & Attilium.

SOlicitus equidem eram de rebus urbanis, ita tumultuosæ conciones, ita molestæ Quinquatrijs afferebantur: nam citeriora nondum adiebamus: Sed tamen nihil me magis solicitabat, quàm in his molestijs non me si qua ridenda essent, ridere tecum: sunt enim multa, sed ea non audeo scribere. Illud molestè fero, nihil me adhuc his de rebus habere tuarum literarum. Quare & si cùm tu hæc leges, ego iam annuum munus cõfecero: tamen obuiæ mihi uelim sint literæ tuæ, quæ me erudiant de omni Repub. ne hospes planè ueniam: hoc melius, quàm tu, nemo facere potest. Diogenes tuus homo modestus à me cum Philone Pasinunte discessit: iter habebãt ad *Laium regẽ: quanq̃ omnia nec benigna, nec copiosa cognorant. Vrbem mi Rufe, cole, & in ista luce uiue. Omnis enim peregrinatio (quod ego ab adolescentia iudicaui)

A facili. Narratiuncula interponit.

*Deietarũ

Ab inhonesto.

Rursus Cælium hortatur, ut urbem colat.

iudicaui) obscura, & sordida est ijs quorum industria Romæ potest illustris esse. Quod cùm probè scirem, utinam in sententia permansissem. Cum una mehercule ambulatiuncula, atq; uno sermone nostro omneis fructus prouinciæ non confero. Spero me integritatis laudem consecutum: non erat minor ex cõtemnenda, quàm ex conseruata prouincia spes triumphi. In qua satis gloriosè triumpharem, si non essem tandiu quidem in desiderio rerũ mihi charissimarũ. Sed (ut spero) propediẽ te uidebo: tu mihi obuiam mitte epistolas te dignas.

Ab utili.

Prolepsis est uel occupatio, an in prouincia maneat.

Epilogus.

ARG. EPIST. SEQ.

Epistola hæc generis iudicialis est, quia est purgatio, quæ habet excusationẽ. Deinde se concilio Cælij acquiescere uelle ostendit.

M. T. C. M. Cælio Aedili Curuli S. P. D. 22

Captat benuolentiam a suauitate, quam accipiat ex literis Cælij.

RAras tuas quidem (fortasse enim non perferuntur) sed suaueis accipio literas: uel quas proximè accepe ram, quàm prudentis, quàm multi & officij, & consilij? Etsi omnia sic constitueram mihi agenda, ut tu admonebas, tamen confirmantur nostra consilia, cùm sentimus prudentibus, fideliterq; suadentibus idem uideri.

Exordium a commendatione literarum.

Ego Appium (ut sæpe tecum locutus sum) ualde diligo, meq; ab eo diligi statim cœptum esse, ut simultatem deposuimus, sensi. Nam & honorificus cõsul in me fuit, & suauis amicus & studiosus studiorum etiam meorum. Mea uerò officia ei nõ defuisse, tu es testis: quoniã κώμικὸς μάρτυς (ut opinor) accedit Phania. & mehercule etiã pluris eum feci, quòd te amari ab eo sensi. Iam me Pompeij totum esse scis. Brutum à me amari intelligis. Quid est causæ, cur mihi non in optatis sit com-

Cur Appium diligere debeat, ostendit

id est, comicus testis.

Epilogus.

plecti

plecti hominem florentem ætate, opibus, honoribus, ingenio, liberis, propinquis, affinibus, amicis? collegam meum præsertim, & in ipsa collegij laude, & scientia studiosum mei? Hæc eo pluribus scripsi, * quòd mihi significabant tuæ literæ subdubitare, qua essem erga illum uolũtate. Credo te audisse aliquid: falsum est, mihi crede, si quid audisti. Genus institutorum, & rationum mearum dissimilitudinem nonnullam habet cum illius administratione prouinciæ. Ex eo quidam suspicati fortasse sunt, animorum contentione, non * opinionum dissensione me ab eo discrepare. Nihil autẽ feci unquam, neq; dixi, quod contra illius existimationem esse uellem. Post hoc negotium autem, & temeritatem nostri Dola bellæ, deprecatorẽ me pro illius periculo præbeo. Erat in eadem epistola uetemus ciuitatis: gaudebam sanè, & congelasse nostrum * amicum lætabar otio. Extrema pagella pupugit me tuo chirographo: Quid ais? Cæsarem nunc defendit Curio? quis hoc putaret præter me? nam * ita in uia putaui. Dij immortales quàm ego risum nostrum desidero. Mihi erat in animo, quoniam iurisdictionem confeceram, ciuitates locupletaram, publicanis etiam superioris lustri reliqua, sine sociorum ulla querela, conseruâram: priuatis, summis, infimis fueram iucũdus: proficisci in Ciliciam Nonis Maijs, et cùm primùm æstiua attigissem, militarẽq; rem collocassem, decedere ex senatusconsulto. Cupio te ædilem uidere, miroq; desiderio me urbs afficit, & omnes mei, tuq; in primis. Vale.

*quod non nihil signi.

Purgatio & principalis expolitio.

Diluit quandam obiectionem.

*uolũtatũ.

Respõdet ad alia quædam epistolæ Cælij. Iocum admiscet.

Notat inconstantiam Curionis, qui cũ antea infensus esset Cæsari, mox eũ defendat.

* ita, uiuã, puta Curionem.

ARG.

ARG. EPIST. SEQ.

Epistola est commendatitia, cui additæ sunt rationes commendationis.

M. T. C. Imperator M. Cælio Aedili Curili S. P. D. 24

Commendatoria epistola Exorditur a causis, quibus ad commendandum Fabium adductus sit.

FAbio uiro optimo, & homine doctißimo familiarißimè utor, mirificéq; eum diligo, cum propter summum ingeniũ eius summamq; doctrinam, tum propter singularem modestiam. Eius * negotium sic uelim suscipias, ut si esset res mea. Noui ego uos magnos patronos: hominem occîdat oportet, qui uestra opera uti uelit: sed in hoc homine nullam accipio excusationem. Omnia relinques, si me amabis, cùm tua opera Fabius uti uolet. Ego res Romanas uehementer expecto, & desidero: in primisq; quid agas, scire cupio: nam iandiu propter hyemis magnitudinem nihil noui ad nos afferebatur. Vale.

Prolepsis est nam anteuertit obiectionẽ Petitio. Conclusio.

ARG. EPIST. SEQ.

Habet diuersas narrationes hæc epistola: & primum est de supplicatione: quando enim aliquis rem præclare gesserat, tunc Romæ fuit ei decreta supplicatio.

M. T. C. M. Cælio Curuli Aedili S. P. D. 25

Captat bene uolentiam a laude rei gestæ, & a Cælio, & Curione.

NOn potuit accuratius agi, neque prudentius, quàm actum est à te cum Curione de supplicatione: & mehercule cõfecta res ex sententia mea est, cum celeritate, tum quòd is, qui erat iratus, competitor tuus, & idem meus, assensus est ei, qui ornauit res nostras diuinis laudibus. Quare scito me sperare ea, quæ sequuntur: ad quæ tu te para. Dolabellam à te gaudeo primum laudari,

laudari, deinde etiam amari. Nam ea, quæ speras Tulliæ meæ prudentia temperari posse, scio cui epistolæ tuæ respondeant. Quid si meam legas, quam ego tum ex tuis literis misi ad Appium? Sed quid agas? sic uiuitur. Quod actum est, Dij approbent. Spero fore iucundum generum nobis: multum in eo tua nos humanitas adiuuabit. Respublica me ualde solicitat: faueo Curioni: Cæsari honestißimè cupio: pro Põpeio emori possum sed tamen ipsa Republica nihil mihi est charius, in qua tu non ualde te iactas: districtus enim mihi uideris esse, quòd & bonus ciuis, & bonus amicus es. Ego de prouincia decedens, Quæstorem Cælium præposui prouinciæ. Puerum inquis? at quæstorẽ, at nobilem adolescentem, at omnium ferè exemplum: neq; erat superiore honore * ullus quem præficerem. Pontinius multò antè discesserat: à Quinto fratre impetrari non poterat: quem tamen si reliquissem, dicerent iniqui, non me planè post annum, ut Senatus uoluisset, ex prouincia decessisse: quoniam alterum me reliquissem. Fortasse & illud adderent, Senatum eos uoluisse prouincijs præesse, qui antea nõ præfuissent, fratrem meum triennium Asiæ præfuisse. Denique nunc solicitus non sum: si fratrem reliquissem, omnia timerem. Postremò nõ tam mea sponte, quàm potentißimorum * duorum exemplo, qui omneis Cassios, Antoniosq; complexi sunt, hominem adolescentem non tam allicere uolui, quàm alienari nolui. Hoc tu meum consilium laudes necesse est: mutari enim non potest. De Cella parum planè ad me scripseras, & in actis non

Epist. xiij. lib. viij.

Narratio est, qua narrat, cur Cælium quæstorem prouinciæ Ciliciæ præposuerit.

* usus.

Allusio est ad etymologiam uocabuli frater, qui dictus est quasi fere alter.

* uirorum exemplo, qui iuuenes Cass.

non erat. Tuæ res gestæ ita notæ sunt, ut trans mon-
*matrimonio. tem Taurum etiam de * Matrinio sit auditum. Ego nisi quid me Etesiæ morabuntur, celeriter (ut spero) uos uidebo. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Excusat se a falsa suspicione Cælij quam in contrariam uoluntatem detorquet, tantum scilicet se a Cæsaris & Pompeij dissidijs dissidere, ut nihil pace & tranquillitate Reipub. charus habeat.

M. T. C. Imper. M. Cælio S. P. D. 26

Exordium a causis, cur literæ Cælij eũ non dolore adfecerunt.

MAgno dolore me affecissent tuæ literæ, nisi iam & ratio ipsa depulisset omneis molestias, & diuturna desperatione rerũ obduruisset animus ad dolorẽ nouum. Sed tamen quare acciderit, ut ex meis superioribus literis id suspicarere, quod scribis, nescio. quid enim fuit in illis præter querelam temporum, quæ non animũ meum magis solicitum haberent, quàm tuum? Nam non eam cognoui aciem ingenij tui, quod ipse uideam, te id ut nõ putem uidere. Illud miror, adduci potuisse te, quî me penitus nosse deberes, ut existimares, aut me tam improuidum, qui ab exercitata fortuna ad inclinatam, & propè iacentem desciscerem: aut tam inconstantem, ut collectam gratiam florentissimi hominis effunderem, à meq; ipse deficerem, & quod initio, semperq; fugi, ciuili bello interessem. Quod est igitur meum triste consilium? ut discederem fortasse in aliquas solitudines? nosti enim non modò stomachi mei, cuius tu similem quondam habebas, sed etiam oculorum in hominum insolentium indignitate fastidium. Accedit etiam molesta hæc pompa lictorum meorum, nomenq; imperij, quo appellor.

Occupatio.

Narrat causas cur non in urbem redeat.

A suis natura

appellor. Eo si onere carerem, quamuis paruis Italiæ latebris contentus essem. Sed incurrit hæc nostra laurus non solùm in oculos, sed iam etiam in uoculas maleuolorum. Quod cum ita esset, nihil tamen unquã de profectione, nisi uobis approbantibus, cogitaui. Sed mea prædiola tibi nota sunt: in his mihi necesse est esse, ne amicis molestus sim. Quòd autem in maritimis sum, facilè moueo nonnullis suspicionem, uelle me nauigare: quod tamen fortasse non nollem, si possem ad otium: nam ad bellum quidem quî conuenit? præsertim contra eum, cui spero me satis feciisse: ab eo, cui tamen satis fieri nullo modo potest. Deinde sententiam meam tu facilimè perspicere potuisti iam ab illo tempore, cum in Cumanum mihi obuiam ueneris: nõ enim te celaui sermonem. Sed nónne tum prouidisti, quàm abhorrerem ab urbe relinquenda? quod cum audissem, nónne tibi affirmaui, quidnis me potius perpessurum, quàm ex Italia me ad bellum ciuile exiturum? Quid ergo accidit, cur cõsiliũ mutarem? nónne potius omnia, ut in sententia permanerem? Credas hoc mihi uelim, quod puto te existimare, ex his miserijs nihil aliud me quærere, nisi ut homines aliquando intelligant, me nihil maluisse, quàm pacem: ea desperata nihil tam fugisse, quàm arma ciuilia. Huius me constantiæ puto fore, ut nunquàm pœniteat. Etenim memini in hoc genere gloriari solitum esse familiarẽ nostrũ Qu. Hortensium, quòd nunqnàm bello ciuili interfuisset. Hoc nostra laus erit illustrior, quòd illi tribuebatur ignauiæ: de nobis id existimari posse non arbitror.

Subiectio.

Tollit suspicionẽ, quam multi captabant, quod is in locis maritimis ageret.

Ad Pompeium contra Cæsarem.

Aliud consilium de non repetenda urbe propter bella ciuilia Cælio præcognitum fuisse scribit.

Ab incõstantiæ reprehensione.

Ab honesto.

Ab exemplo Hortensij.

Occupatio.

arbitror. Nec me ista terrent, quæ mihi à te ad timorem fidissimè, atq; amantissimè proponuntur. Nulla est enim acerbitas, quæ non omnibus hac orbis terrarũ perturbatione impendêre uideatur: quam quidẽ ego à Republica, meis priuatis & domesticis incõmodis libentissimè uel istis ipsis, quæ tu me mones ut caueã, redemissem. Filio meo, quẽ tibi charũ esse gaudeo, si erit ulla Resp. satis amplum * patronum relinquam memoria nominis mei: sin aũt nulla erit, nihil accidet ei separatim à reliquis ciuibus. Nam quòd rogas, ut respiciam generũ meũ adolescentem optimum, mihiq; charissimũ: an dubitas, cum scias quanti cum illum, tum uerò Tulliam meam faciam, quin ea me cura uehemẽtissimè solicitet? & eò magis, quòd in cõmunibus miserijs hac tantùm oblectabar specula. Dolabellam meũ, uel potius nostrũ, uidebam fore ab ijs molestijs, quas liberalitate sua contraxerat, liberũ. Velim quæras, quos ille dies sustinuerit: in urbe dum fuit, quàm acerbos sibi, quàm mihi ipsi socero nõ honestos. Itaq; ego neq; hunc Hispaniensem casum expecto, de quo mihi exploratum est ita esse, ut tu scribis: nec quicquam astutè cogito. Si quãdo erit ciuitas, erit profectò nobis locus: sin aũt non erit, in eadem solitudines tu ipse (ut arbitror) uenies, in quibus nos consedisse audies. Sed ego fortassis uaticinor: & hæc omnia meliores habebunt exitus. Recordor enim desperationes eorum, qui senes erãt adolescente me. Eos ego fortasse nũc imitor, & utor ætatis uitio. Velim ita sit. Sed tamen togam prætextã texi Oppio, puto te audisse: nam Curtius noster

* patrimonium.

De Dolabella & Tullia Cælio respõdet obiter.

Specula a specie deducta uox diminutiua. Intelligit bellum ciuile, quod a Cæsare gerebatur contra Petreium & Afranium, quos apud Ilerdã obsederat.

Facetum miscet.

noster dibaphum cogitat, sed eum infector moratur. Hæc aspersi, ut scires me tamen in stomacho solere ridere. De Dolabella, quod scripsi, uideas suadeo, tanquã si res tua agatur. Extremum illud erit, nos nihil turbulenter, nihil temerè faciemus. Te tamen oramus, quibuscunq; erimus in terris, ut nos liberosq; nostros ita tueare, ut amicitia nostra, & tua fides postulabit. Vale.

Conclusio a precibus.

ARG. EPIST. SEQ.

Hæc epistola est soluta & habet multa quæ simpliciter coniunguntur sine ulla diligenti compositione. Est enim congeries multarum narrationum, & earum breuissimarum.

M. T. C. Caninio Sallustio Prætori S. P. D. 27

Literas à te mihi * stator tuus reddidit Tarsi ad XVI. Calend. Sextiles. His ego ordine, ut uideris uelle, respondebo. De successore meo nihil audiui, nec quenquã fore arbitror. Quin ad diem decedam, nulla causa est, præsertim sublato metu Parthico. Commoraturum me nusquam sanè arbitror. Rhodum Ciceronem causa puerorum accessurum puto, neq; id tamen certum. Ad urbem uelim † quãprimũ uenire, sed tamen iter meũ Reip. & rerũ urbanarũ ratio gubernabit. Successor tuus non potest ita maturare ullo modo, ut tu me in Asia possis cõuenire. De rationibus referendis, nõ erat incõmodum te nullã referre, quam tibi scribis à Bibulo fieri potestatẽ: sed id uix mihi uideris per legẽ Iuliam facere posse, quã Bibulus certa quadã ratione non seruat: tibi magnopere seruandam censeo. Quòd scribis Apamea præsidium deduci non oportuisse, uidebã idem cæteros existimare,

Respondet ad uaria capitula epistolæ Caninij.

Stratores erãt serui, quibus utebantur inter lictores & quos mittebant ad uiros honestiores & optimates.

† uolo.

molesteq; ferebam de ea re minus commodos sermones maleuolorum fuisse. Parthi transierint, nec ne, praeterte, uideo dubitare neminem: itaq; omnia praesidia, quae magna & firma parauerã, * commotus hominum non dubio sermone, dimisi. Rationes mei Quaestoris nec uerum fuit me tibi mittere, nec tum erant confectae: eas nos Apameae deponere cogitabamus. De praeda mea praeter Quaestores urbanos, id est, populum Romanum, terunciũ nec attigit, nec tacturus est quisquam. Laodiceae me praedes accepturum arbitror omnis pecuniae publicae, ut & mihi, & populo cautum sit sine uecturae periculo. Quòd scribis ad me de drachmis CCCLIII. nihil est quod in isto genere cuiquam possim commodare. Omnis enim pecunia ita tractatur, ut praeda à praefectis: quae autem mihi attributa est, à Quaestore curetur. Quòd quaeris, quid existimem de legionibus, quae decretae sunt in Syriam, antea dubitabam uenturae ne essent: nunc mihi non est dubium, quin, si antea auditum erit otium esse in Syria, uenturae non sint. Marium quidem successorem tardè uideo esse uenturũ, propterea quòd senatus ita decreuit, ut cum legionibus iret. Vni epistolae respondi: uenio ad alteram. Petis à me, ut Bibulo te quàm diligentissimè commendem: in quo mihi uoluntas non deest, sed locus uidetur esse tecum expostulandi. Solus * enim tu ex omnibus, qui cum Bibulo sunt, certiorem me nunquam feceris, quàm ualde Bibuli uoluntas à me sine causa abhorreret. Permulti enim ad me detulerunt, cum magnus Antiochiae metus esset, et magna spes in

Longolio magis placuit.

Prędes, id est qui curẽt Romae solui pecuniam, accepta hic pecunia praesenti.

Transitione utitur.

Ad alteram epistolam respondet.

Expostulat cum Caninio agitq; id obliter.

Extenuatio, quare inuitus commendet.

in me, atq; in exercitu meo, solitum dicere, quiduis se perpeti malle, quàm uideri eguisse auxilio meo. quod ego officio quaestorio adductum te, reticere de praetore tuo non molestè ferebam: quanquàm quemadmodum tractarêre, audiebam. Ille autem, cùm ad Thermum de Parthico bello scriberet, ad me literam nunquam misit, ad quem intelligebat eius belli periculum pertinere. Tantum de auguratu filij sui scripsit ad me: in quo ego misericordia commotus, & quòd semper amicissimus Bibulo fui, dedi operam, ut ei quàm humanissimè scriberem. Ille si * omnibus est maleuolus (quod nunquàm existimaui) minus offendor in me: sin à me est alienior, nihil tibi literae meae proderunt. Nam ad Senatum, quas Bibulus literas misit: in ijs, quod mihi cum illo erat commune, sibi soli attribuit: se ait curasse, ut cum quaestu populi pecunia permutaretur: quod autẽ meum erat proprium, ut alarijs transpadanis uti negarem, id etiam populo se remisisse scribit: quod uerò illius erat solius, id mecum communicat: equitibus auxiliarijs egere se inquit, cùm amplius frumenti postularemus. Illud uerò pusilli animi, & ipsa maleuolẽtia ieiuni, atq; inanis, quòd Ariobarzanem, quem Senatus per me regem appellauit, mihiq; commendauit, iste in literis non regem, sed regis Ariobarzanis filiũ appellat. Hoc animo qui sunt, deteriores fiunt rogati. Sed tibi morem gessi: literas ad eum scripsi: quas cùm acceperis, facies quod uoles.

Vale.

Argumentatio, quare Bibulus uideatur abalienatus.

Ad institutũ redit, nempe eam epistolae partem, qua Caninius petebat Cicero nem, ut eum Bibulo commendaret.

In Bibulum inuehitur.

Aliud argumentum maleuolentiae Bibuli.

Epilogus.

Conclusio cum correctione.

ARG. EPIST. SEQ.

Suasoria est. Habet autem commemorationem beneuolentiæ, & est generis deliberatiui. Consulit enim, ut quæstorem adolescentem nobilem retineat in prouincia, ac sumit argumentum ab utilitate & opibus ac dignitate illius adolescẽs, estq; epistola rhetorica.

Suasoria epistola: nam suadet Thermo ne discedens de prouincia quæstorem legatis postponat, dum legatis potius q̃ quæstori prouinciam commendat.

M. T. C. Imperator Q. Thermo Prætori S. P. D. 28

Captat beneuolẽtiam et a gaudio quod captat ex gratitudine Thermi, & a sua cura quam adhuc habeat in augenda dignitate Thermi.

OFficium meum erga Rhodonem, cæteraq; mea studia, quæ tibi ac tuis præstiti, tibi homini gratissimo grata esse uehementer gaudeo: mihiq; scito in dies maiori curæ esse dignitatem tuam: quæ quidem à teipso integritate, & clementia tua sic amplificata est, ut nihil addi posse uideatur. Sed mihi magis magisq; quotidie de rationibus tuis cogitãti, placet illud meũ consilium, quod initio Aristoni nostro, ut ad me uenit ostendi, gratueis te susceptur um inimicitias, si adolescẽs potens, & nobilis à te ignominia affectus esset: et hercle sine dubio erit ignominia: habes enim neminem honoris gradu superiorem. Ille autem, ut omittam nobilitatem, hoc ipso uincit uiros optimos, hominesq; innocentissimos legatos tuos, quòd & quæstor est, & quæstor tuus. Nocere tibi iratũ neminem posse perspicio: sed tamen treis fratres summo loco natos, promptos, nõ indisertos, te nolo habere iratos, iure præsertim, quos uideo deinceps tribunos plebis per triennium fore. Tempora aũt Reip. qualia futura sint, quis scit? mihi quidem turbulenta uidentur fore. Cur ergo te *uelim incidere in terrores tribunitios? præsertim cùm sine cuiusquam reprehensione legatis quæstorem possis anteferre? Qui si dignũ se maioribus

Ab inhonesto.

Ab officio quæstoris.

Occupatio.

Ab inutili.

Ab officio amplificatio est in quæstorem ducta a persona Thermi.

A temporibus.

A laudabili.

ioribus suis præbuerit (ut spero, & opto) tua laus ex aliqua parte fuerit: sin quid offenderit, sibi totũ, nihil tibi offenderit. Quæ mihi ueniebãt in mentem, quæq; ad te pertinere arbitrabar, quòd in Ciliciam proficiscebar, existimaui me ad te oportere scribere. Tu quod egeris, id uelim Dij approbent. Sed si me audies, uitabis inimicitias, & posteritatis otio consules. Vale.

Antithesis quod in suo consilio nihil sit periculi.

Conclusio.

ARG. EPIST. SEQ.

Hæc epistola est periodica, quia habet unum tantum & perpetuum argumentũ, quo significat gaudiũ suum, ob quæstorẽ illi datũ, quem uoluerat. Est autem exordium a uoto, uel a spe.

M. T. C. Imperator C. Cælio L. Filio S. P. D. 29

Captat beneuolẽtiam et a gaudio quod a nuntio Cælium quæstorem suũ creatum acceperit, & a modestia qua Cælius adfectus sit.

CVm optatissimũ nuntium accepissem, te mihi quæstorem obtigisse, eò iucundiorem mihi eam sortem sperabam fore, quo diutius in prouincia mecum fuisses. Magni enim uidebatur interesse, ad eam necessitudinẽ, quam nobis sors tribuisset, consuetudinẽ quoq; accedere. Posteà, cum mihi nihil neq; à te ipso, neq; ab ullo alio de aduentu tuo scriberetur, uerebar, ne id ita caderet, quod etiã nunc uereor, ne antè, quàm tu in prouinciam uenisses, ego de prouincia discederem. Accepi *autem à te missas literas in prouincia, cum essem in castris, ad duodecimum Calen. Quintileis, scriptas humanissime: quibus facilè & officiũ, et ingenium tuũ perspici possit: sed neq; unde, neq; quo die datæ essent, aut quo tẽpore te expectarẽ, significabãt: nec is qui attulerat, à te acceperat, ut ex eo scirem, quo ex loco, & quo tẽpore essent datæ. Quæ cũ essent incerta, existimaui tamen faciundũ

Narratio, cui est adiecta adhortatio.

Qui cum Ciceroni uetusta fuit amicitia.

esse, ut ad te statores meos, & lictores cum literis mitterem: quas si satis opportuno tempore accepisti, gratissimũ mihi feceris, si ad me in Ciliciam quàm primum ueneris. Nam quòd ad me Curius consobrinus tuus (ut scis) mihi maximè necessarius: quòd item *C. Virginius propinquus tuus familiarissimus noster de te accuratissimè scripsit, ualet id quidem apud me multum, sicuti debet hominum amicissimorum diligens cõmendatio: sed tuæ literæ de tua præsertim dignitate, & de nostra coniunctione, maximi sunt apud me ponderis. Mihi quæstor optatior obtingere nemo potuit. Quamobrem * quæcunq; à me ornamenta in te proficiscentur, elaborabo, ut omnes intelligant, à me habitam esse rationem tuæ, maiorumq; tuorum dignitatis. Sed id iam facilius consequar, si ad me in Ciliciam ueneris: quod ego & mea, & Reipublicæ, & maximè tua interesse arbitror. Vale.

Adhortatiuncula.

Defert officium suum.

DOCTIS=

DOCTISSIMORVM VIRORVM ANnotationes et castigationes in secundum librum Epist. Famil. Ciceronis.

In Epist. 1.

A Te peruenturum.) in Asiam. S.Cor.
Erga me meritorum.) tempore furoris Clodiani.
Quanquam me nomine negligentiæ.) Suasorij generis est. Exordium per inuersionem: non est molestum, me accusari.
Equidem neminem prætermisi) Colligit causam accusati silentij, scilicet desiderium & amorem.
In quo te desid.) Propositio.
Equidem neminem.) Excusatio silentij per inficiationem.
Etenim quis est.) Anticatigoria.
Ego te abfuisse tamdiu.) Alia narratio.
Breue est, quod me tibi.) Gratulatio & adhortatio.
Te rogo ut memineris.) Commendatio sui.

In Epist. 2. & 3.

Patre tuo.) C. Scribonio Curione.
Clarissimo uiro.) consulatu, quem cum Cn. Octauio gessit.
Nempe.) Al. nuper. Al. Rupæ: ut sit liberti alicuius nomen, cui id mandatum esset.
Declarandorum.) in funere patris tui.
Munerum.) lege Plin. lib. xxxvi. cap. xv. Philip.
Graui teste priuatus sum.) Narratio, qua deplorat mortem patris Curionis, & narrat quædam consilia de non publicandis muneribus.
Summa te scito in expectatione esse.) Conclusio, continens pathi, per quæ breuiter adhortatur eum, ut paratior ueniat.

In Epist. 4.

Quæ nunc sentio.) nedum quæ futura puto.
Admiraris.) Al. Adamaris.
Reliqua genera.) præter unum adhortatorium, quod negat sibi hic concessum esse.
Quamobrem quoniam.) Propositio.
Est enim tibi grauis aduersaria.) Ratio.
Quarum laudum.) Hoc est, ut in ijs artibus elabores, quibus hæ laudes comparantur, quas tu amas Pleonasmus: ideo subobscurum est.
In hanc sententiam.) Conclusio.

In Epist. 5.

In eadem es naui.) in communi periculo. S.Cor.

Tamen quod abes.) in Asia.

Etsi ubicunq; es (ut scripsi ad te antea) in eadem es naui, tamen quod abes, gratulor) In eadem es naui dixit, pro eo quod est in communi periculo.

Hæc negotia quomodo se habeant) Narratio, in qua est adynaton, quod non queat scribere quæ uelit.

Tamen quod abes) Gratulatio.

Quare cætera cognosces) Adhortatio.

In Epist. 6.

Sext. Iulium) Seruilium plures habent libri.

Milonis consulatu) Quem tunc cum P. Plantio Hipseo, & Qu. Metello Scipione petebat.

Te unum) tanquam iuuentutis principem.

Ex tribunatu) Ipsius Milonis.

Causam) restitutionis.

Magnificentiam munerum) in quæ Milo tria effudisse patrimonia dicitur, ut plebem & infimam multitudinem delinire.

Philip. Non erat auditum) Causa, cur mittat literas tam cito.

Ego si mea in te) Captat beneuolentiam a suis meritis, quæ tamen extenuat, & facit inuersionem: Ideo peto, quia tu me antea affecisti multis beneficijs, non quia ego bene meritus sum.

Innumerabilia beneficia) Confirmatio a sua gratitudine.

Ego omnia studia mea) Narratio quid agat, aut quid petat, qua denicp in re sibi opus sit opera Curionis, & est præparatio ad petitionem.

Hoc a te peto) Petitio, & causa petitionis.

De ipso T. Annio) Ratio a gratitudines Milonis.

Mihi uero tantum) A sua persona.

Vnum hoc sic habeto) Artificiosissima amplificatio ex collatione salutis & pietatis.

In Epist. 7.

S.Cor. Aliorum) ut M. Antonij.

Iudicio enim tuo) quoniã his temporibus Tribunatũ petisti.

In ipsum discrimen) quod ex Pompeij & Cæsaris dissensione imminebat. (legimus.

De sacerdotio tuo) auguratu, siue pontificatu. nam utrunq;

Et ut S.C.) de obtinenda Cilicia prouincia per annum.

Leges) Forte, Sempronian, Curiatam, & Corneliam.

Philip. Teq; hortor ut omnia.) Adhortatio plena affectuum & sollicitudinis, Tribunatum recte gerendum esse.

Dij immortales) Votum, optat se adesse.

De sacerdotio tuo) Narratio, de certo negotio.

Itaq; petiui scpius) Petitio, quę etiã nihil pertinet ad superiora.

In

In Epist. 8.

Vadimonia dilata) constitutos ad sistendum dies productas. S.Cor.

Nemo audeat) quod lenia sint, & uiro graui indigna.

Quare ego nec præterita) qualia uelit scribi.

In Epist. 9.

Factus sis) Ædilis Curulis, quamuis passim, Factũ sit legatur. S.Cor.

Scripseras) Epist. iij. libro octauo quum scripsisti, si fio, tota uita risus nobis deesse non poterit.

Quem) Hirrum.

Difficile est loqui) præ lætitia.

Primum tibi, ut debeo) Gratulatio.

Itaq; quam primum audiui) icon quo amplificat & repræsentat gestus quosdam illius, qui uictus fuerat in petitione ędilitatis. Philip.

Vide secundam epistolam octaui libri.

In Epist. 10.

Sperabam) respondet illis uerbis epistola iiij. libro octauo. S.Cor.

De Hillo) Hirro. Sic enim legam, donec melius inueniam.

Balbus enim sum) quippe qui Hillum, non Hirrum dicam.

Post comitia ista) ædilitia.

Vt optasti) in epistola quinta libro octauo.

Parthico bello) Epistola quarta. lib. xv.

Issum) urbem non procul ab Amonicis pylis positam, epistola quarta lib. xv. & Curtius & Strabo.

Vt scribis.) Epistola quinta libro octauo.

Serius) Al. spissius: utrunq; recte.

Tu uide quam timide) Conquestio de non redditis literis.

In Epist. 11.

Satietas autem) Ex uetere libro autem, non autem, ut sit, Satietas prouinctæ me tenet ante omnia. S.Cor.

Patisco) Epistola nona libro octauo.

In Epist. 12.

Conciones) C. Curionis L. Æmilij Pauli. S.Cor.

Diogenes) Græcus, Epistola octaua libro octauo.

Philone.) liberto.

Deiotarum) regem Armeniæ quidem minoris a senatu appellatum, sed Gallo Græciæ tetrarcham.

Quinquatrijs) Quinquatria festi dies ludorum seu Minervæ erant, & in his diebus cõtenderunt Curio & Antonius de cõsulatu Cæsaris, quæ res præbuit causam belli ciuilis. De his hic loquitur. Philip.

Ne hospes) id est, insçius omnium rerum, ut sciam quomodo res in urbe habeant.

In

In Epist. 13.

S.Cor. Literas.) Epist.vj.lib.viij.
Simultatem deposuimus.) Autore Cn.Pompeio.
Cos.) Cum L.Domitio Ænobarbo.
Phania.) Appij libertas epist.j.lib.iij:
Veternus) legendum ueternus non ueteranus, quia hoc uerbum posuit Cælius lib.viij. in epistola cuius initium Non dubito.
Philip. Ego Appium.) Narratio, in qua est expositio consilij sui de Appio.
Hæc ego pluribus) Purgatio & principalis propositio.
Ex eo quidem suspicati) Causa offensionis.
Nostri Dolabellæ.) Is est, qui accusauit Appium, accusauit ante eum priusquam factus est gener Ciceronis.

In Epist. 14.

S.Cor. Fabio) M.Fabio Gallo, ad quem libro septimo scribit.
Eius negotium) De Herculanensi fundo, a Qu. Fabio fratre proscripto, Epist.xxv.libro nono.
Noui ego uos) Iocus est: quasi diceret: Vos nullam paruam causam suscipitis.

In Epist. 15.

S.Cor. Competitor tuus) Hirrus epistola nona libro octauo.
Assensus est ei) M. Catoni.
Antoniosq;) M. Antonium in Hispania Cæsaris Quæstorem autore Dione lib.xlv.
Matrimonio) Dolobellæ & Tulliæ, te autore confecto etsi, Matrinio, male quidam legunt.
Spero fore iucundum generum) Id est quod Dolobella ducit filiam meam.

In Epist. 16.

Philip. Illud miror) Propositio: non offendam Cæsarem.
Quod est igitur) Narratio, aporia. Fugerem, sed propter lictores non possum.
Hæc nostra laus) Diluit argumenta Cælij, quod non timeat priuatis bonis.

In Epist. 17.

Philip. Petis a me) Excusatio quare inuitus commendet.
Permulti ad me) Argumentatio, quare Bibulus uideatur alienatus.
Ille si omnibus est) Conclusio harum argumentationum.
Equitibus auxiliarijs.) Auxiliarij equites sunt milites qui mittuntur ad supplendas cohortes.

In

In Epist. 18.

Philip. Quæ tibi ac tuis) Exordium a gratitudine Thermi.
Sed mihi magis) Propositio.
Habes enim neminem.) Rationes in quibus pericula colligit & simul utilitatem indicat.

M. T. CICERONIS EPISTOLARVM FAMILIARIVM LIBER III.

ARG. EPIST. SEQ.

Ista epistola nihil aliud habet, nisi quandam commemorationem beneuolentiæ, in qua recitat primum suam erga illum beneuolentiam, deinde offert officium suum.

M. T. C. Appio pulchro Imperatori
S. P. D. 30

SI IPSA Respublica tibi narrare posset, quo modo sese haberet, non facilius ex ea cognoscere posses, quàm ex libero tuo Phania: ita est homo non modò prudens, uerumetiam (quod uidi) curiosus: quapropter ille omnia tibi explanabit: id enim mihi & ad breuitatem est aptius, et ad reliquas res prouidentius. De mea autem beneuolentia erga te, etsi potes ex eodem Phania cognoscere, tamẽ uidentur etiam aliquæ meæ partes. * Sic enim persuade tibi, charissimum te mihi esse, cum propter multas suauitates ingenij, officij, humanitatis tuæ, tum quòd ex literis tuis, & ex multorũ sermonibus intelligo, omnia, quæ à me profecta sunt in

Epistola partim demonstratiua, partim commendatoria.

Exorditur a laude liberti, & prædicatione fidei tabellarij.

Propositio.

Cur Appius sibi charus sit ostendit.

in te, tibi accidisse gratissima. Quod cum ita sit, * perficiam profectò, ut longi temporis usuram, qua caruimus, intermissa nostra consuetudine, & gratia, & cre britate, & magnitudine officiorum meorum sarciam: idq; me (quoniam tu ita uis) puto non inuita Minerua esse facturum: quam quidem ego, si fortè de tuis sumpsero, non solum Pallada, sed etiam Appiada nominabo. Cilix libertus tuus antea mihi minus fuit notus: sed ut mihi à te reddidit literas plenas & amoris, & officij, mirificè ipse suo sermone subsecutus est humanitatem literarum tuarum. Iucũda mihi eius oratio fuit, cum de animo tuo, cum de sermonibus, quos de me haberes quotidie, mihi narraret. Quid quæris? Biduo factus est mihi familiaris, ita tamen, ut Phaniam ualde sim desideraturus: quem cum Romam remittes, quod (ut putabamus) celeriter eras facturus, omnibus, ei de rebus, quas agi, quas curari à me uoles, mandata des uelim. L. Valerium Iurisconsultum ualde tibi commendo, sed ita etiam, si non est Iurisconsultus. Melius enim ei cauere uolo, quàm ipse alijs solet. Valde hominem diligo. est ex meis domesticis, atq; intimis familiaribus: omnino tibi agit gratias: sed idem scribit, meas literas maximũ apud te pondus habituras. Id eum ne fallat, te etiam atq; etiam rogo. Vale.

Defert officium.

Adagium.

Alia narratio

Narratiuncula.

Hortatiuncula.

Epilogus est a commendatione Valerij iurisconsulti.

ARG. EPIST. SEQ.

Hæc est generis suasorij, hoc est, est petitio quædam. petit enim ne relinquat multa intricata negotia in prouincia & primum est narratio, inde petitio.

M. T. C.

M. T. C. Proconsul Appio Pulchro Imperatori S. P. D. 31

CVm & contra uoluntatem meam, & præter opinionem accidisset, ut mihi cum imperio in prouinciam proficisci necesse esset: in multis, & uarijs molestijs, cogitationibusq; meis, hæc una consolatio occurrebat, quòd neq; tibi amicior, quàm ego sum, quisquam posset succedere: neq; ego ab ullo prouinciam acciperę, qui mallet eam mihi quàm maximè * aptam explicatamq; tradere. Quòd si tu quoq; eandẽ de mea uoluntate erga te spem habes, ea te profectò nunquam fallet. A te maximopere pro nostra summa cõiunctione, tuaq; singulari humanitate etiam atq; etiam peto, & quæso, ut quibuscunq; rebus poteris (poteris autem plurimis) prospicias, & consulas rationibus meis. Vides ex Senatusconsulto prouinciam esse habendam: si eam (quoad eius facere potueris) quàm expeditissimam mihi tradideris, facilior erit mihi quasi decursus mei temporis. Quid in eo genere efficere possis, tui consilij est. Ego te, quod tibi ueniet in mentem mea interesse, ualde rogo. Pluribus uerbis ad te scribere, si aut tua humanitas longiorem orationem * expectaret: aut id fieri nostra amicitia pateretur: aut res uerba desideraret, ac non pro se ipsa loqueretur. Hoc uelim tibi persuadeas, si rationibus meis prouisum à te esse intellexero, magnam te ex eo, & perpetuam uoluptatem esse capturum. Vale.

Petitoria epistola. Exorditur ab insinuatione qua captat animum Appij, cui in prouincia successurus erat.

*al. apertã

Petitio.

A necessario
Ab utili.
A possibili.
Reiectio.

*expeteret.

Epilogus ab utili.
Apodioxis.
Præcisio.

ARG.

ARG. EPIST. SEQ.

Illa epistola habet idem argumentum cum proxima. Est enim generis suasorij, & est petitoria in qua petit, ut prouincia sibi tradatur quam tranquillissima. Primum autem habet narratiuncu-lam quandam.

M. T. C. Appio Pulchro S. P. D. 32

Narratio, de supplemento exercitus.

Petitoria epistola.

A narratione exorditur.

DXVI. Calendas Iunias Brundusium cum uenissem, Q. Fabius legatus tuus mihi præstò fuit, eaq; me ex tuis mandatis monuit, quæ non modò mihi, ad quem pertinebant, sed uniuerso Senatui uenerant in mentem, præsidio firmiori opus esse ad istam prouinciam. Censebãt enim omnes ferè, ut in Italia supplementum meis, & Bibuli legionibus scriberetur. Id cum Sulpitius Consul passurũ se negaret, multa nos quidem questi sumus: sed tantus consensus Senatus fuit, ut maturè proficiscemur, parendum ut fuerit: itaq; fecimus. Nunc * quod à te petij literis ijs, quas Romæ tabellarijs tuis dedi, uelim tibi curæ sit, ut quæ successori cõiunctissimo & amicissimo commodare potest, is qui prouinciam tradit, ea pro nostra † constantissima uoluntate ega te, cura, ac diligentia tua complectare, ut omnes intelligãt, nec me beneuolentiori cuiquam succedere, nec te amatiori potuisse prouinciam tradere. Ex ijs * literis, quarũ ad me exemplum misisti, quas in Senatu recitari uoluisti, sic intellexeram, permultos à te milites esse dimissos: sed mihi Fabius idem demonstrauit id te cogitasse facere: sed cùm ipse à te discederet, integrum militũ numerum fuisse. Id si ita est, pergratum mihi feceris, si istas exiguas copias, quas habuisti, quàm minimum imminueris: qua de re Senatusconsulta quæ facta sunt, ad te missa esse arbitror.

Altera pars epistolæ. Petitio.

Ab honesto.

A laudabili.

† consocia tissima, alij codices nõ cõtemnẽdi

Tertia pars epistolę, estq; alia narratio, de retinendis cohortibus.

Petitio est.

arbitror. Equidem pro eo quanti te facio, quicquid feceris, approbabo. Sed te quoq; cõfido ea esse facturum, quæ mihi intelliges maximè esse accommodata. Ego C. Pontinium legatũ meum Brundusij expectabam: eumq; ante Calendas Iunias Brundusium uenturum arbitror. Qui cùm uenerit, cùm * primũ nauigandi nobis facultas data erit, ea utemur. Vale.

Narratiuncula.

* quæ

ARG. EPIST. SEQ.

Ista est rhetorica, tota generis demonstratiui. Estq; commemoratio suæ erga illum beneuolentiæ, in qua postea offert suum officium, & est tantum officiosa epistola.

M. T. C. Appio Pulchro S. P. D. 33

Nunciatoria uel narratoria.

A narratiuncula exorditur.

De suo erga Appium studio narrat.

PRidie Nonas Iunij, cum essem Brundusij, literas tuas accepi: quibus erat scriptum, te L. Clodio mandasse, quæ illum loqui mecum uelles. Eum sanè expectabam, ut ea, quæ à te afferret, quàm primum cognoscerem. Meum studium erga te, & officium tametsi multis iam rebus spero tibi esse cognitum, tamen in ijs maximè declarabo, quibus plurimũ significare potero, tuam mihi existimationem, & dignitatem charissimam esse. Mihi & Q. Fabius Vergilianus, & C. Flaccus L. filius, & diligentissimè M. Octauius Cn. filius demonstrauit me à te plurimi fieri: quod egomet plurimis * argumẽtis iam antea iudicáram, maximeq; illo libro augurali, quem ad me amantissimè scriptum suauissimũ misisti. Mea * in te omnia summa necessitudinis officia constabunt. Nam cùm te ipsum, ex quo tempore tu me diligere cœpisti, quotidie pluris feci, tum accesserunt etiam coniunctiones necessariorum tuorum: duos * enim duarũ ætatum

Narratio alia Amplificatio a personis ducta.

* multis

Defert officium.

Ratio, cur eũ tantopere amet.

plurimi facio, Cn. Pompeium filiæ tuæ socerum, & M. Brutum generum tuum. Collegijq; coniunctio, præsertim tam honorificè à te approbata, non mediocre uinculũ mihi quidẽ attulisse uidetur ad uoluntates nostras copulandas. Sed si Clodiũ conuenero, ex illius sermone ad te scribam plura: & ipse operam dabo, te ut quàm primũ uideam. Quòd scribis, tibi manendi causam eã fuisse, ut me cõuenires, id mihi, ne mẽtiar, gratũ est. Vale.

Erant enim ambo augures.

Conclusio.

ARG. EPIST. SEQ.

Duas partes habet hæc epistola, prior nihil est nisi commemoratio quædam beneuolentiæ: altera pars est, petitio de itineribus. Prior autem pars est nostris rebus accommodatior, qua nos plurimum uti possumus.

Est epistola partim narratoria, partim petitoria. A narratione exordiũ est ductum.

M. T. C. Appio Pulchro S. P. D. 34.

TRalleis ueni ad XIII. Calendas Sextiles: ibi mihi præstò fuit L. Lucilius cum literis, mandatis q; tuis: quo quidem homine neminem potuisti, nec mihi amicio rem, nec (ut arbitror) ad ea cognoscenda, quæ scire uolebam, aptiorem, prudentioremue mittere. Ego autem & tuas literas legi libenter, & audiui Lucilium diligenter. Nunc quoniam & tu ita sentis (scribis enim quæ de nostris officijs ego ad te scripserã, etsi tibi iucunda fuerint, tamen quoniam ex alto repetita sunt, non necessaria te putasse) & re uera confirmata amicitia, & perspecta fide, commemoratio officiorũ superuacanea est, eam partẽ orationis prætermittã. tibi tamen agã, ut debeo, gratias. Animaduerti enim, et didici ex tuis literis, te omnibus in rebus habuisse rationẽ, ut mihi cõsuleres restitueres q;, & præparares quodammodo omnia, quò mea ratio facilior, & solutior esse posset. Hoc tuũ officium

Respondet ad alterũ Appij epistolæ partem.

Ætiologia est a sententia.

A gratiarum actione, & cur Appio gratias agere debeat.

cium cùm mihi gratißimum esse dicam, sequitur illud, ut te existimare uelim, mihi magnæ curæ fore, atq; esse iam: primùm, ut ipse tu, tuiq; omnes, deinde etiam ut reliqui scire possint, me tibi esse amicißimum. Quod quibus adhuc non satis est perspectum, ij mihi nolle magis hoc animo nos esse, quàm non intelligere uidentur. Sed profectò intelligent: neq; enim obscuris personis, nec paruis in causis res agetur. Sed †hoc fieri melius, quàm dici, aut scribi uolo. Quòd itinerum meorum ratio te nonnullam in dubitationem uidetur adducere, uisurus ne me sis in prouincia, ea res sic habet: Brunduſij cùm loquerer cum Phania liberto tuo, ueni in eum sermonem, ut dicerem, libẽter me ad eam partem prouinciæ primùm esse uenturum, quò te maximè uelle arbitrarer. tũc mihi ille dixit, classe te uelle decedere: perfore accomodatũ tibi, si ad †Sidam, maritimã partem prouinciæ, nauibus acceßissem. dixi me esse facturum: itaq; feciſſem, niſi mihi L. Clodius noſter Corcyræ dixisset, minimè id esse faciendũ: te Laodiceæ fore ad meum aduentum. Erat id mihi multò breuius, multoq; cõmodius, cum præsertim te ita malle arbitrarer. Tua ratio postea est commutata. Nunc quid fieri possit, tu facilimè statues: ego tibi meum consilium exponam. Pridie Calẽdas Sextiles puto me Laodiceæ fore, ubi per paucos dies, dũ pecunia accipitur, quæ mihi ex publica permutatione debetur, cõmorabor. Deinde iter faciam ad exercitũ, ut circiter Idus Sextileis putem me ad Iconium fore. Sed si quid nũc me fallit in scribendo (procul

Remunerationẽ offert.

A cõsequentibus.

Reiectio.

Ad aliam Appij epistolæ partem respondet.

† hæc

Narratio, qua suspicionem purgat, quasi cõgressum fugiat.

† illam

Alia narratio

*& enim absum ab re ipsa, & locis) simul *ac progredi cœpero, quàm celerrimis potero, et quàm creberrimis litteris faciam, ut tibi nota sit omnis ratio dierum, atq; itinerum meorũ. Oneris tibi imponere nec audeo quicquam nec debeo. Sed quod tuo commodo fieri posit, utriusq; nostrũ magni interest, prius ut te conueniam, quàm decedas. Quam facultatẽ si quis casus eripuerit, mea tamẽ in te omnia officia cõstabunt, nõ secus ac si te uidissem. Tibi de nostris rebus nihil sum antè mandaturus per literas, quàm desperaro coràm me tecũ agere posse. Quòd te à Scæuola petijsse dicis, ut dum tu abesses ante aduentum meum, prouinciæ præesset: eum ego Ephesi uidi, fuitq; mecũ familiariter triduum illud, quod ego Ephesi commoratus sum: nec ex eo quicquam audiui, quod sibi à te mandatum diceret. Sanè uellem potuisse obsequi uoluntati tuæ: non enim arbitror noluisse. Vale.

Honesta & uerecunda petitio, petit enim ut ita instituantur itinera, ut possint colloqui

Conclusio a narratiũcula

Figurata reprehensio.

ARG. EPIST. SEQ.

Expostulatio est, quare defugerit congressum, & diutius iusto prouinciam tenuerit.

M. T. C. Appio Pulchro S. P. D. 35

Epistola est contentiosa

A propositione collationis factorum.

Narrat suum factum Cicero cũ amplificatione.

CVm meum factum cum tuo comparo, etsi non magis mihi faueo in nostra amicitia tuenda, quàm tibi: tamen multò magis meo facto delector, quàm tuo. Ego enim Brunduſij quæsiui ex Phania, cuius mihi uidebar & fidelitatem erga te perspexisse, et nosse locum quem apud te is teneret: quam in partem prouinciæ maximè putaret te uelle, ut in succedẽdo primũm uenirẽ. Cũ ille mihi respondisset, nihil me tibi gratius facere posse, q̃ si ad Sidã nauigassem: et si minus dignitatis habebat ille aduentus,

aduentus, & ad multas res mihi minus erat aptus, tamen ita me dixi esse facturũ. Idem ego cum L. Clodium Corcyræ cõueniſſem, hominem ita tibi cõiunctum, ut mihi, cum illo cum loquerer, tecum loqui uiderer: dixi ei, me ita facturum esse ut in eam partem, quam Phania rogasset, primùm uenirem. Tunc mihi ille cum gratias egisset, magnopere à me petiuit, ut Laodiceam protinus irem: te in prima prouincia uelle esse, ut quàm primum decederes: quĩ nisi ego successor essem, quem tu cuperes uidere, te antea, quàm tibi successum esset, decessurum fuisse: quòd quidem erat consentaneum cum ijs literis, quas ego Romæ acceperam: ex quibus perspexisse mihi uidebar, quàm festinares decedere. Respõdi Clodio me ita esse facturum, ac multò quidem libentius, quàm si illud esset faciendum, quod promiseram Phaniæ. Itaq; & consiliũ mutaui: & ad te statim mea manu scriptas literas misi: quas quidem ex tuis literis intellexi satis maturè ad te esse perlatas. Hoc ego meo facto ualde delector: nihil enim potuit fieri amantius. Considera nunc uicissim tuum. Non modò ibi nõ fuisti, ubi me quàm primum uidere posses, sed eò discessisti, quò ego te ne persequi quidem posim triginta diebus, qui tibi ad decedendum lege (ut opinor) Cornelia constituti essent: ut tuum factum illis, qui quo animo inter nos simus, ignorant, alieni hominis (ut leuissimè dicam) & fugientis congressum: meum uerò coniunctissimi & amicissimi esse uideatur. At mihi tamen antè, quàm in prouinciam uenissem, redditæ sunt à te literæ: quibus etsi te Tarsum pro-

Epilogus. subiecta ratione.

Narrat factũ Appij.

Lege Cornelia prouidebatur, ut finito anno magistratui liceret tantũ esse in prouincia triginta dies.

ficisci demonstrabas, tamen mihi non dubiam spem mei cõueniendi afferebas: cũ intereà, credo equidẽ, maleuoli homines (latè enim patet hoc uitiũ, & est in multis) sed tamẽ probabilem materiam nacti sermonis, ignari meæ cõstantiæ, conabãtur alienare à te uoluntatẽ meam, qui te fortũ Tarsi agere, statuere, multa decernere, iudicare dicerẽt, cũ posses iam suspicari tibi esse successum: quæ ne ab ijs quidẽ fieri solerẽt, qui breui tempore † sibi successũ iri putarent. Horũ ego sermone nõ mouebar: quin etiã (credas mihi uelim) si quid tu ageres, leuari me putabam molestia: & ex annua prouincia, quæ mihi longa uideretur, propè iã undecim mensiũ prouinciã factam esse gaudebam, si absenti mihi unius mensis labor detractus esset. Illud (uerè dicam) me mouet, et in tanta militũ paucitate abesse treis cohortes, quæ sunt plenissimæ: nec me scire ubi sint. Molestissimè aũt fero, quòd te ubi uisurus sim, nescio: eoq; ad te tardius scripsi, quòd quotidie teipsum expectabam: cum interea ne literas quidem ullas accepi, quæ me docerent quid ageres, aut ubi te uisurus essem. Itaq; uirum fortem, mihiq; in primis probatum Antonium præfectum euocatorum misi ad te, cui, si tibi uideretur, cohortes traderes: ut dum tempus anni esset idoneum, aliquid negotij gerere possem. In quo, tuo consilio ut me sperarem esse usurum, & amicitia nostra, & literæ tuæ fecerant: quod ne nunc quidem despero. Sed planè quando, aut ubi te uisurus sim, nisi ad me scripseris, ne suspicari quidem possum. Ego, ut me tibi amicissimum esse & æqui, & iniqui intelligant,

† tibi succedi.

Quid sibi in fastis Appij displiceat.

Euocati dicuntur ueterani.

Epilogus

Petitio.

gant, curabo. De * tuo in me animo iniquis secus existimandi uideris nõnihil loci dedisse: id si correxeris mihi ualde gratum erit. Et * ut habere rationem possis, quo loco me salua lege Cornelia cõuenias, ego in prouinciã ueni pridie Calendas Sextileis: iter in Ciliciam facio per Cappadociam: castra moui ab Iconio pridie Calendas Septembris. Nunc tu & ex diebus, et ex ratione itineris si putabis me esse conueniendum, constitues quo loco id commodissimè fieri possit, & quo die. Vale.

Figurata reprehensio.

Conclusio, in qua est petitio, ut adhuc illum conueniat, ut deliberet quę uideantur apta esse.

ARG. EPIST. SEQ.

Epistola est iudicialis generis. Nam tota in confutandis ijs, quæ ab Appio obiecta erant, & in expostulatione de itinere constitit.

M. T. C. Appio Pulchro S. P. D. 36

PLuribus uerbis ad te scribam, cùm plus otij nactus ero. Hæc scripsi subitò, cum Bruti pueri Laodiceæ me cõuenissent, & se Romam properare dixissent. Itaq; nulla ijs præterquàm ad te, & ad Brutum dedi literas. Legati Apameani mihi uolumen à te plenum querelæ iniquissimæ reddiderunt, quòd eorum ædificationẽ literis meis impedissem. Eadem aũt epistola petebas, ut eos quàm primũ, ne in hyemẽ inciderẽt, ad facultatem ædificandi liberarem: & simul peracutè quererẽ, quòd eos tributa exigere uetarẽ prius quàm ego re cognita permisissem: genus enim quoddam fuisse impediendi, cum ego cognoscere non possem, nisi cùm ad hyemem me ex Cilicia recepissem. Ad omnia accipe, & cognosce æquitatem expostulationis tuæ. Primùm, cum ad me aditum esset ab ijs, qui dicerent à se intolerabilia

Excusationes.

Epistola est iudicialis: nã tota in confutandis ijs quę ab Appio obiecta erãt cõsistit.

Narratio

A reiectione exorditur.

Propositiones epistolæ Appij, ad quas responsurus est Cicero.

Propositio.

A iusto.

Occupatio obiectationis.

Altera occupatio.

Transitio.

Noua propositio ex epistola Appijet purgatio ex locorum distantia.

Narratio.

Excusatio quod nõ prodierit obuiã.

* uenire.

Propositio ex narratione.

Argumentũ uoluntatis.

Amplificatio ironiæ plena.

tributa exigi: quid habuit iniquitatis, me scribere, ne facerent antequàm ego rem, causamq; cognoscerem? Non poteram, credo, antè hyemem: sic enim scribis. quasi uerò ad cognoscendum ego ad illos, non illi ad me uenire debuerint. Tam longè inquis? quid, cùm dabas ijs literas, per quas mecum agebas, ne eos impedirem, quò minus antè hyemem ædificarent, non eos ad me uenturos arbitrabãre? Tametsi id quidem fecerunt ridiculè: quas enim literas afferebãt, ut opus æstate facere possent, eas mihi post brumam reddiderunt. Sed scito, & multò plureis esse, qui de tributis recusent, quàm qui exigi uelint: & me tamen, quod te uelle existimẽ, esse facturum. De Apameanis hactenus. A Pausania Lentuli liberto, ac Cæsonio audiui, cùm diceret, te secum esse questum, quòd tibi obuiam non prodijssem: Scilicet contempsi te: nec potest fieri me quicquam superbius? Cum puer tuus ad me secunda ferè uigilia uenisset, isq; te antè lucem Iconium mihi uenturum nuntiasset, incertumq; utra uia, cum essent duæ: altera Varronem tuũ familiarissimum, altera Qu. Leptam præfectum fabrûm meum tibi obuiam misi: mandauiq; utriq; eorum, ut antè ad me excurrerent, ut tibi obuiam *prodire possem. Currens Lepta uenit, mihiq; nuntiauit, te iam castra prætergressum esse: confestim Iconium ueni: cætera iam tibi nota sunt. An ego tibi obuiam non prodirem? primùm Appio Claudio? deinde, imperatori? deinde, more maiorum? deinde, quod caput est, amico? præsertim cùm in isto genere multò etiam ambitiosius facere soleam, quàm hos

Cõmoratio

Confutat ab indigno, indignũ circumstantijs exagerat.

Locus est cõmunis, uera nobilitas nõ cõsistit in uetustate & splendore generis, sed in uirtutibus & recte factis.

Id est excellentia.

Id est nobilitas.

Ad institutum redit.

Id est, Apud me & alij qui me honora-

nos meus, & dignitas postulat. Sed hæc hactenus. Illud idẽ Pausania dicebat te dixisse: Quid ni? Appius Lentulo, Lentulus Appio proceßit obuiam, Cicero Appio noluit? Quæso, etiam ne tu has ineptias, homo (mea sententia) summa prudentia, multa etiam doctrina, plurimo rerum usu, addo urbanitatẽ, quæ est uirtus, ut Stoici rectißimè putant: ullam Appietatem, aut Lentulitatem ualere apud me plus, quàm ornamenta uirtutis existimas? Cùm ea consecutus nondum eram, quæ sunt hominum opinionibus amplißima, tamen ista uestra nomina nunquàm sum admiratus: uiros eos qui ea uobis reliquissent, magnos arbitrabar. Posteà uerò, quàm ita & cepi, & geßi maxima imperia, ut mihi nihil neq; ad honorem, neq; ad gloriam acquirendam deesse putarem: superiorem quidem nunquam, sed parem uobis me speraui esse factum. Nec mehercule aliter uidi existimare, uel Cn. Pompeium, quem omnibus, qui unquam fuerũt, uel P. Lentulum, quem mihi ipsi antepono. Tu si aliter existimas, nihil errabis, si paulò diligentius: ut quid sit ἀξιοχρεὼ, quid sit εὐγνώμων intelligas: & si Athenodorus Sandonis filius quid de his rebus dicat, attenderis. Sed ut ad rem redeam, me tibi non amicum modo, uerum etiam amicißimum existimes uelim: profectò omnibus meis officijs efficiam, ut ita esse uerè posßis iudicare. Tu autem si id agis, ut minus mea causa, dum ego absum, debere uidearis, quàm ego tua laborarum: libero te ista cura. παρ' ἐμοί γε καὶ ἄλλοι, οἱ κέμε τιμήσουσι, μάλιστα δὲ μητίετα Ζεύς. Si autẽ natura es φιλαίτιος,

bũt, maxime autem consiliarius Iupiter. Homer. i. Iliad. Et sunt uerba Agamemnonis aduersus Achillem. Id est, querulus.

illud non perficies, quo minus tua causa uelim: hoc assequêre, ut in quam partem accipias, minus laborem. Hæc ad te scripsi liberius, fretus cõscientia officij mei, beneuolentiæq; quam à me certo iudicio susceptam, quoad tu uoles, conseruabo. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Hæc epistola non est ex illis, quæ sunt compositæ periodicos. Est epistola generis iudicialis. Breue exordiũ est, quod habet extenuationem suspitionum Appij, qua significat eum quum in urbem uenerit, re ipsa intellecturum eas nihil esse. Ad primum crimen opponit suspicionibus, & obscuris signis publicas laudationes. Secundum crimen, de legatis est inficiatio, se non impedisse legatos, sed minuisse sumptus. Ratio habet syllogismum. Nõ solum iustitia, sed etiam misericordia est minuere sumptus egentissimarũ ciuitatum. Ciuitates istæ sunt egentissimæ, & postulant minui sumptus. Ergo recte feci. Exorditur autem Cicero a minore. Narrat ciuitates postulasse, ut decretum proponeret. Postea addit maiorem, in qua alludit ad locum communem de iustitia. Tertio reprehendit figuratam expostulationem, quæ non deceat inter amicos. Postremum argumento ab utili facit uerisimile, quod non noluerit offendere Appium. Quia nunc mihi tua beneuolentia opus est.

M. T. C. Salutem dicit Appio Pulchro 37

Epistola est iudicialis, nã in confutandis obiectionibus cõsistit

Exorditur a causa, ob quã Appio hanc epistolã scribat.

ETsi, quantum ex literis tuis intelligere potui, uidebam te hanc epistolam, cum ad urbem esses, esse lecturũ, refrigerato iam leuissimo sermone hominũ prouincia iũ: tamen cum tu tam multis uerbis ad me de improborum oratione scripsisses, faciendum mihi putaui, ut tuis literis breui responderem. * Sed prima duo capita epistolæ tuæ tacita mihi quodammodo relinquenda sunt. Nihil enim habent, quod aut definitum sit, aut certum: nisi me uultu, & taciturnitate significasse tibi non esse amicũ: idq; pro tribunali, cum aliquid ageretur, & nõnullis in conuiuijs intelligi potuisse. Hoc totum nihil esse,

Reiectio.

Ad quædam capita epistolæ Appij per reiectionem respondet.

esse, possum intelligere: sed cum sit nihil, nec quid dicatur quidẽ, intelligo: Illud quidẽ scio, meos multos, & illustreis, & ex superiore, & ex æquo loco sermones habitos cum tua summa laude, & cũ magna significatione nostræ familiaritatis, ad te uerè potuisse deferri. * Nã quod ad legatos attinet, quid à me fieri potuit, aut elegantius, aut iustius, quàm ut sumptus egentißimarum ciuitatũ minuerem sine ulla imminutione dignitatis tuæ, præsertim ipsis ciuitatibus postulantibus? Nam mihi totum genus legationum tuo nomine proficiscentium, notum non erat. Apameæ cum essem, multarum ciuitatum principes ad me detulerunt sumptus decerni legatis nimis magnos, cùm soluendo ciuitates non essent. Hic ego multa simul cogitaui: primùm te hominẽ, non solùm sapientem, uerumetiã (ut nunc loquimur) urbanũ, non arbitrabar genere isto legationũ delectari: idq; me arbitror Synnadis pro tribunali multis uerbis disputauisse. Primùm, Appium Claudium senatui, populoq; Romano non Myndensiũ testimonio (de ea enim ciuitate mentio facta est) sed sua * sponte esse laudatum. Deinde me ista uidisse multis accidere, ut eorum causa legationes Romam uenirent: sed his legationibus nõ meminisse ullum tempus laudandi, aut locum dari: studia mihi eorũ placere, quòd in te bene meritò grati essent: consilium totum uideri minimè necessarium. Si autem uellent declarare in eo officium suum, laudaturũ me, si quis suo sumptu functus esset officio: concessurũ, si legitimo: nõ permissurum si infinito. Quid enim * reprehendi potest, nisi

Propositio de legatis, estq; conclusio syllogismi

Respondet ad aliud caput epistolæ Appij.

Ab honesto.

A necessario

Amplificatio a persona Appij, & ab adiunctis.

Vrbanus uocabulum natum Ciceronis seculo.

Id est per se, & propria uirtute.

A non necessario.

A iusto.

Epilogus

Occupatio obiectionis

nisi quòd addis, uisum *esse quibusdam, edictum meum, quasi consultò ad istas legationes impediendas esse accommodatum? Iam uerò non tantum mihi uidentur iniuriam facere ij, qui hæc disputant, quàm is, cuius aures ad hanc disputationem patent. Romæ composui edictũ, nihil addidi, nisi quòd publicani me rogarunt: cùm Samum ad me uenissent, ut de tuo edicto totidem uerbis transferrem in meum. Diligentissimè scriptũ caput est, quod pertinet ad minuendos sumptum ciuitatum: quo in capite sunt quædam noua, salutaria ciuitatibus, quibus ego magnopere delector. Hoc uerò, ex quo suspicio nata est, me exquisisse aliquid, in quo te offenderem, tra latitiũ est. neq; enim eram tam desipiens, ut priuatæ rei causa legari putarẽ, qui & tibi non priuato, & pro re nõ priuata sua, sed publica: nõ in priuato, sed in publico orbis terræ consilio, id est, in senatu, ut gratias agerent, mittebantur: neq; *etiam cùm edixi, ne quis iniussu meo proficisceretur, excluſi eos, qui me in castra, & qui trans Taurũ persequi nõ possent. Nam id est maximè in tuis literis deridendum. Quid enim erat, quòd me perse querentur in castra, Taurum úe transirent? cum ego Laodicea usq; ad Iconium iter ita fecerim, ut me omniũ illarum diœcesium, quæ cis Taurum sunt, omniumq; earum ciuitatum magistratus, legationesq; conuenirent. Nisi fortè posteà cœperint legare, quàm ego Taurum transgressus sum: quod certè non ita est. Cùm enim Laodiceæ, cùm Apameæ, cum Synnadis, cùm Philomeli, cùm Iconij essem, quibus in oppidis omnibus commoratus sum,

* est — Verba ex epistola Appij sumpta.

Confutatio.

A translatione, nam transfert rem in publicanos.

Translatio.

*enim — A falso confutat.

sum, omnes iam istius generis legationes erant constitutæ. Atq; hoc tamen te scire uolo, me de isto sumptu legationũ aut minuendo, aut remittendo decreuisse nihil, nisi quòd principes ciuitatũ me postulassent, ne in *uenditionem tributorum, & illam acerbissimam exactionem (quam tu non ignoras) capitum, atq; ostiorum inducerentur sumptus minimè necessarij. * Ego autẽ cùm hoc suscepissem, non solùm iustitia, sed etiam misericordia adductus, ut leuarem miserijs perditas ciuitates, & perditas maximè per magistratus suos: non potui in illo sumptu non necessariò negligens esse. Tu, cùm istiusmodi sermones ad te delati de me sunt, non debuisti credere. Si aũt in eo genere delectaris, ut quæ tibi in mentem ueniant, alijs attribuas, genus sermonis inducis in amicitiam minimè liberale. Ego si in prouincia de tua fama detrahere unquam cogitassem, non ad generum tuum Lentulum, neq; ad libertum tuũ Brunduſij, neq; ad præfectum fabrûm Corcyræ, quem in locum me uenire uelles, retulissem. Quare potes, doctissimis hominibus autoribus, quorum sunt de amicitia gerenda præclarissimè scripti libri, genus hoc totum orationis tollere, disputabant, ego contrà disserebam. dicebant, ego negabam. An mihi de te nihil esse dictum unquam putas? ne hoc quidem, quòd cùm me Laodiceam uenire uoluisses, Taurum ipse transisses? quòd ijsdem diebus meus cõuentus erat Apameæ, Synnadis, Philomeli: tuus Tarsi? Non dicam plura, ne in quo te obiurgem, id ipsum uidear imitari. Illud dicam, ut sentio: si ista, quæ alios loqui dicis, ipse

* indictionem.

Epilogus aliquarum obiectionũ, quas confutauit.

Maior syllogismi, in qua alludit ad locum cõmunẽ

Recriminatut Appium.

Ab inhonesto.

A facto quodam suo.

Indicat ratio nem tollendi suspiciones.

Recriminatio.

A sua modestia.

Dilemmate utitur.

Deprecatur astutiam.

ipse sentis, tua summa culpa est: sin aũt alij tecũ hæc loquuntur, tua tamen, quòd audis, culpa nõnulla est. Mea ratio in tota amicitia nostra cõstans, et grauis reperietur. Quòd si quis me astutiorem fingit, quid potest esse incallidius, quàm, cùm te absentem semper defenderim, cùm præsertim mihi usu uenturum non arbitrarer, ut ego quoq; absens à te defendendus essem: nunc committere, ut tu iure optimo me absentem deserere posses? Vnum genus excipio sermonis, in quo persæpe aliquid dicitur, quod te putem nolle dici: * si aut legatorũ tuorum quispiam, aut præfectorum, aut tribunorum militum male dicit: quod tamen ipsum nõ mehercule adhuc accidit me audiente, ut aut grauius diceretur, aut impurius, quàm mecum Corcyræ Clodius est locutus: cùm in eo genere maximè quereretur te aliorum improbitate minus felicem fuisse. Hos ego sermones, quòd & multi sunt, & tuam existimationem, ut ego sentio, non offendunt, lacessiui nunquàm, sed non ualde repressi. Si quis est, qui neminem bona fide in gratiam putet redire posse: non nostrã is perfidiam coarguit, sed indicat suã: simulq; non de meis peius, quàm de te existimat. Sin aũt quenquam mea instituta in prouincia non delectant: quadam dissimilitudine institutorum meorum, ac tuorum lædi se putat, cùm uterq; nostrum rectè fecerit, sed non idem uterq; secutus sit: hunc ego amicũ habere non curo. Liberalitas tua ut hominis nobilissimi, latiùs in prouincia patuit. Nostra si angustior erit, & si de tua prolixa, beneficaq; natura † limabit aliquid posterior annus

† si aut de legatorum tuorũ cuipiam, &c. malè dicitur.

Ad aliud epistolæ Appij caput respondet.

Occupatio

Ratio dissimilitudinis ex utriusq; persona, Tu es nobilis, debes ergo esse munificus.

Clã carpit liberalitatem Appij in rebus alienis.

† elimabit.

annus, propter quandam tristitiam temporum, non debent mirari homines, cùm & natura semper ad largiendum ex alieno fuerim restrictior, & temporibus quibus alij mouentur, ipsiem ego mouear: me esse acerbum sibi, ut sim dulcis mihi. De rebus urbanis quòd me certiorem feci, li, cùm per se mihi gratum fuit, tum quòd significasti tibi omnia mea mandata curæ fore. In quibus unum illud te præcipuè rogo, ut cures, ne quid mihi ad hoc negotij aut oneris accedat, aut temporis: Hortensiumq; nostrum collegam, & familiarem roges, ut si unquam mea causa, quicquam aut sensit, aut fecit, de hac quoq; sententia * bima decedat: qua mihi nihil potest esse inimicitius. De nostris rebus quòd scire uis, Tarso Nonis Octob. Amanum uersus profecti sumus. Hæc scripsi postridie eius diei, cùm castra haberem in agro Mopsestiæ. Si quid egero, scribam ad te: neq; domũ unquam ad meos literas mittam, quin adiungã eas, quas tibi reddi uelim. De * Parthis quòd quæris, fuisse nullos puto. Arabes qui fuerunt admisto Parthico ornatu, dicuntur omnes reuertisse. Hostem esse in Syria negant ullum. Tu uelim ad me quàm sæpissimè & de tuis rebus scribas, & de meis, & de omni Reipublicæ statu: de quo sum solicitus eo magis, quòd ex tuis literis, cognoui, Pompeium nostrum in Hispaniam iturum. Vale.

Respondet ad aliud.

Petitio.

Id est, quod debeam prouinciam tenere per biennium.

Narratiuncula.

Conclusio a rogatione.

Quia tum impẽdebat bellum Parthicũ

ARG. EPIST. SEQ.

Hæc est ualde rhetorica: prior pars est breuis, Principio habet literarum approbationem, secundo gratulationem, tertio petitionem: partim demonstratiui, partim suasorij generis est.

M. T. C.

M. T. C. Appio Pulchro S. P. D. 38

Epistola gratulatoria & petitoria.

VIx tandem legi literas dignas Appio Clodio, plenas humanitatis, officij, diligentiæ. Aspectus uidelicet uris tibi tuam pristinã urbanitatem reddidit. Exorditur a ioco et a molestia, quam ex literis qui busdam Appij acceperit. Nam quas ex itinere antè, quàm ex Asia egressus es, ad me literas misisti, unas de legatis à me prohibitis proficisci, alteras de Apameorum ædificatione impedita, legi perinuitus. Itaq; conscientia meæ constantis erga te uoluntatis rescripsi tibi subiratus. Repetit locũ ex literis Appij. Iis uerò literis lectis, quas Philotimo liberto meo dedisti, cognoui, intellexiq; in prouincia multos fuisse, qui nos, quo animo inter nos sumus, esse nollent. Ad urbem uerò ut accesseris, uel potius ut primum tuos uideris, cognosse te ex ijs, qua in te absentem fide, qua in omnibus officijs tuendis erga te obseruantia, & constantia fuissem. Itaq; * quanti illud me æstimare putas, quod est in tuis literis scriptum? si quid Conclusio. * inciderit, quod ad meã dignitatem pertineat, etsi uix * acciderit fieri posset, tamen te parem mihi gratiam relaturũ. Tu uerò facilè facies: nihil est enim quod studio, & beneuolentia, uel amore potius effici nõ possit. Ego, etsi & ipse ita iudicabam, & fiebam crebrò à meis per literas certior: tamen maximam lætitiam cepi ex tuis literis de spe minimè dubia, & planè explorata triumphi tui: neq; uerò ob eam causam, quò ipse facilius consequerer (nam id quidem ὑπερφυὲς est) sed mehercule quòd tua dignitas, atque amplitudo mihi est ipsa chara per se. Quare quoniã plureis tu habes, quàm cæteri, quos scias in hanc prouinciam proficisci, quòd te adeũt ferè omnes, si quid uelis: Gratulatur Appio, quod is sibi triumphum decretum rescripserat. Occupatio. Id est, Epicureum. Petitio a facili. A grato.

uelis: gratissimũ mihi feceris, si ad me simulatq; adeptus eris quod & tu confidis, & ego opto, literas miseris. Longi * subsellij (ut noster Pompeius appellat) iudicatio, & mora, si quem tibi item unum, alterum ue diem abstulerit (quid enim potest amplius?) tua tamen dignitas suum locum obtinebit. Sed si me diligis, si à me diligiuis, ad me literas, ut quàm primum lætitia afficiar, mittito. Et uelim, reliquum quod est promissi ac muneris tui, mihi persoluas. Cum ipsam cognitionem iuris augurij consequi cupio, tum mehercule tuis incredibiliter studijs erga me, muneribusq; delector. Quòd autẽ à me tale quiddam desideras, sanè mihi considerandum est, quonam te remunerer potissimum genere. nam profectò non est meum, qui in scribendo (ut soles admirari) tantum industriæ ponam, committere ut in scribendo negligens fuisse uidear: præsertim cum id nõ modò negligentis, sed etiam ingrati animi crimen futurũ sit. Verum hæc uidebimus. Illud quod polliceris, uelim pro tua fide, diligentiaq;, & pro nostra nõ instituta, sed iam inueterata amicitia, cures, enitare, ut supplicatio nobis quàm honorificentissimè, quàm primum q; decernatur. Omnino serius misi literas, quàm uellẽ: in quo cum difficultas nauigandi fuit odiosa, tum in ipsum discessum senatus incidisse credo meas literas. Sed id feci adductus autoritate, & consilio tuo: idq; à me recte factum puto, quòd non statim, ut Imperator appellatus sim, sed alijs rebus additis, æstiuisq; confectis, literas miserim. Hæc igitur tibi erunt curæ, quemadmodum ostendis: meq; Suffragatio ignobiliam senatorum. Occupatio Hortatur Appiũ, ut libros Augurales absoluat. A remuneratione. Rogat Appium, ut det operam, quo supplicatio ei decernatur pro re bene gesta in prouincia. Cur senatui serius de rebene gesta in prouincia scripserit. Conclusio.

totum, & mea, & meos commendatos habebis. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Hæc quæ sequitur est magis rhetorica, estq; in ea etiam compositio accuratior. Principio est querela, & consolatio. Queritur enim fieri iniuriam Appio a Dolabella. Postea consolatur eum, ut æquo animo id ferat, & admiscet breuem rationem sumptam ex loco communi. Secundo defert suum officium. Tertio de Pontinio. Quarto de tempore administrationis. Quinto gratulatur ei ciuium studia, & addit translationem. Dicit se Reip. causa gratulari. Sexto uituperat Dolabellam. Septimo est purgatio sumpta ex suasorijs locis honestatis scilicet & utilitatis. Estq; ualde rhetorica.

Querela. Epistola partim iudicialis partim petitoria.

Consolatio ex facili.

M. T. C. Appio Pulchro S. P. D. 39

CVm est ad nos allatum de temeritate eorum, qui tibi negotiũ facesserent, etsi grauiter primo nuntio commotus sum, quòd nihil tam præter opinionem meam accidere potuit: tamen ut me collegi, cætera mihi facilima uidebantur: quòd & in te ipso maximam spem, et in tuis magnam habebam: multaq; mihi ueniebant in mentem, quamobrem istum laborem tibi etiam honori putarem fore. Illud * planè molestè tuli, quod certissimũ, & iustissimum triumphum, hoc inuidorum cõsilio esse tibi ereptum uidebam. Quod tu si tanti facies, quanti ego semper iudicaui faciundum esse: facies sapiẽter, & ages uictor ex inimicorum dolore triumphum iustissimum. Ego enim planè uideo fore neruis opus, sapientiaq; tua, uehementer, ut inimicos tuos pœniteat intemperantiæ suæ. De me * tibi sic, obtestans omneis deos, promitto, atq; cõfirmo, me pro tua dignitate (malo enim dicere q̃ pro salute) in hac prouincia, cui tu præfuisti: rogando, deprecatoris: laborãdo, propinqui, autoritate, chari hominis (ut spero) apud ciuitates: grauitate, imperatoris susce-

Captat benuolentiam a molestia, quã accepit ob negatum triumphum

Alia querela

Consolatur Appium ab extenuatione & a uindicta parata de aduersarijs.

A suo studio in defendenda Appij dignitate.

Secundus locus consolatur, a suis officijs, auxilio &c.

susceptum officia, atq; parteis. Omnia uolo à me & postules, & expectes: uincã meis officijs cogitationes tuas.

Narratiuncula.

Qu. Seruilius perbreueis à te mihi literas reddidit, quæ mihi tamen nimis longæ uisæ sunt. Iniuriam enim mihi fieri putabam, cũ rogabar. Nollem † accidisset tempus, in quo perspicere posses, quanti ego te, quanti Pompeium, quem unum ex omnibus facio, ut debeo, plurimi: quanti Brutum facerem: quanquàm in cõsuetudine quotidiana perspexisses, sicut perspicies: sed quoniam accidit, si quid à me prætermissum fuerit, cõmissum facinus, & admissum dedecus cõfitebor. Pontinius, * qui à te tractatus est præstanti, ac singulari fide, cuius tui beneficij sum ego testis: præstat tibi memoriã, beneuolentiamq;, quam debet: qui, cùm maximis suis rebus coactus à me inuitissimè deceßisset: tamen, ut uidit * tua interesse, cõscendens iam nauem Ephesõ Laodiceam reuertit. Talia cùm te studia uideam habiturũ esse innumerabilia: planè dubitare non possum, quin tibi amplitudo ista solicitudo futura sit. Si uerò efficeris, ut Censor creeris: & si ita gesseris Censuram, ut & potes, & debes, non tibi solum, sed tuis omnibus uideo in perpetuũ summo te præsidio futurum. Illud * pugna, & enitere, neq; nobis temporis prorogetur: ut, cùm hîc tibi satisfecerimus, istic quoque nostram in te beneuolentiam nauare possimus. Quæ de hominum, atque ordinum omnium erga te studijs scribis ad me, minimè mihi miranda, & maximè iucunda acciderũt, eademq; ad me perscripta sunt à familiaribus meis. Itaq; * capio magnam uoluptatem, cùm

Narratio.

Tertius locus

Redit ad auxilia.

Quartus locus.

Petitio est, nã petit Cic. Appium, ut laboret, ne sibi ultra tempus legitimũ in prouincia manendum sit.

Gratulatur Appio fauorem omnium ordinum.

Quintus locus.

tibi, cuius mihi amicitia non solùm ampla, sed etiam iucunda est, ea tribui uideo, quæ debebantur: tum uerò etiamnum remanere in ciuitate nostra studia propè omnium consensu erga fortes, & industrios uiros: quæ mihi ipsi unà semper tributa merces est laborum, & uigiliarum mearum. Illud uerò mihi permirum accidit, tantam temeritatem fuisse in eo adolescente, cuius ego salutem duobus capitis iudicijs summa contentione defendi: ut tuis inimicitijs suscipiendis, obliuisceretur patroni omnium fortunarum, ac rationum suarum: præsertim cùm tu omnibus uel ornamẽtis, uel præsidijs redundares: illi (ut leuissime dicam) multa deessent: cuius sermo stultus, & puerilis * erat iam antea ad me à M. Cælio familiari nostro perscriptus: de quo item sermone multa scripta sunt abs te. Ego autem citius ab eo, qui tuas inimicitias suscepissẽt, ueterem coniunctionem diremissem, quàm nouã cõciliassem. Neq; enim de meo erga te studio dubitare debes: neq; id est obscurum cuiquam in prouincia, nec Romæ fuit. Sed * tamen significatur in tuis literis suspicio quædam & dubitatio tua: de qua alienũ tempus est mihi tecum expostulandi: purgandi autem mei, necessarium. Vbi enim ego cuiquam legationi fui * impedimento, quo minus Romam ad laudem tuã mitteretur? Aut in quo potui, si te palàm odissem, minus, quod tibi obesset, facere? si clàm, magis apertè inimicus esse? Quòd * si essem ea perfidia, qua sunt ij, qui in nos hæc conferunt: tamen ea stultitia certè non fuissem, ut aut in obscuro odio apertas inimicitias, aut

Plerique Dolabellã, plerique Vatinium intelligunt.

Amplificat temeritatem adolescentis a circunstantijs.

Sextus locus

Purgat se Cicero Appio, quod is legationibus tardum, et impedimento fuisse Ciceronẽ scripserat.

Septimus locus. Inficiatio.

Patio ex unã.

aut in quo tibi nihil nocerem, summam ostenderem uoluntatem nocendi. Ad me adire quosdam memini, qui decerẽt nimis magnos sumptus legatis decerni: quibus ego non tam imperaui, quàm censui, sumptus legatis quàm maximè ad legem Corneliam decernendos. Atq; in eo ipso me nõ perseuerasse, testes sunt rationes ciuitatum: in quibus quantũ quæq; uoluit legatis tuis datum, † induxit. Te autẽ quibus mendacijs homines leuissimi onerarunt? non modò sublatos sumptus, sed etiam à procuratoribus eorum, qui iam profecti essent, repetitos, & ablatos: eamq; causam multis omnino non eundi fuisse. Quererer tecum atq; expostularem, nisi (ut supra scripsi) purgare me tibi hoc †tuo tempore, quàm accusare te mallem: idq; putarem esse rectius. Itaq; nihil de te, quòd credideris de me: quamobrem non debueris credere, pauca dicam. Nam si me uirum bonum, si dignum ijs studijs, eaq; doctrina, cui me à pueritia dedi: si satis magni animi, non minimi cõsilij in maximis rebus perspectũ habes: nihil in me non modò perfidiosum, & insidiosum, et fallax in amicitia, sed ne humile quidẽ, aut ieiunũ debes agnoscere: Sin aũt me astutũ, et occultũ libet fingere: quid est, quod minus cadere in eiusmodi naturã possit, q̃ aut florentissimi hominis aspernari beneuolentiam, aut eius existimationem oppugnare in prouincia, cuius laudem domi defenderis? aut in ea re animũ ostendere inimicum in qua nihil obsis? aut id eligere ad perfidiam, quod ad indicandum odium apertissimũ sit, ad nocendum, leuissimũ? Quid * erat aũt, cur ego in te tam impla-

Narratiuncula.

Translatio cum extenuatione.

Ad aliã excusationem respondet.

† indixit

Dilemmate utitur.

Propositio.

† toto tempore.

Prima pars dilemmatis.

Ab ingenio & natura sua colligit.

Secũda pars dilemmatis.

A natura astutorum & occultorũ.

A persona Appij.

A stulto.

Ab absurdo.

A meritis.

& persona Appij.

implacabilis essem, cùm te ex fratre meo ne tunc quidē, cùm tibi propè necesse esset eas agere parteis, inimicum mihi fuisse cognouissem? Cùm uerò reditum nostrum in gratiam uterq; expetissēt: quid in consulatu tuo frustra mecum egisti, quod me aut facere, aut sentire uoluisses? Quid mihi mādisti, cùm te Puteolis prosequerer, in quo non expectationem tuā diligentia mea uicerim? Quòd si id est maximè astuti, omnia ad suam utilitatē referre: quid mihi tandē erat utilius, quid cōmodis meis aptius, quàm hominis nobilissimi, atq; honoratissimi coniunctio, cuius opes, ingeniū, liberi, affines, propinqui mihi magno uel ornamento, uel præsidio esse possent? Quæ tamen ego omnia in expetenda amicitia tua, non astutia quadā, sed aliqua potius sapiētia, secutus sum. Quid, illa uincula quibus quidem libentissimè astringor, quanta sunt? studiorū similitudo, suauitas consuetudinis, delectatio uitæ, atq; uictus, sermonis societas, literæ interiores: Atq; hæc domestica. Quid illa tandē popularia? reditus illustris in gratiam, in quo ne per imprudentiam quidē errari potest sine suspicione perfidiæ: amplissimi sacerdotij collegium, in quo non modò amicitiā uiolari apud maiores nostros fas non erat, sed ne cooptari quidem sacerdotem licebat, qui cuiquam ex collegio esset inimicus. Quæ ut omittā tam multa, atq; tanta: quis unquam tanti quenquā fecit, aut facere potuit, aut debuit, quanti ego Cn. Pompeiū socerū filiæ tuæ? Etenim si merita ualent, patriā, liberos, salutem, dignitatē, memetipsum mihi per illū restituta puto. Si consuetudinis iucunditas:

A natura calidi, & est cōmoratio.

Ab utilitate quam ex Appij munere capere posset

A studiorum similitudine, & ab aliis rebus quas habebat cū Appio communes.

A claritate utriusq; reditus in gratiā.

A munere publico sibi cum Appio communi.

A Pompeij persona & meritis. Porro filius Pompeij filiā Appij uxorem habebat.

cunditas: quæ fuit unquā amicitia Consulariū in nostra ciuitate coniunctior? Si ulla amoris, atq; officij signa: quid mihi ille non cōmisit? quid non mecum cōmunicauit? quid de se in senatu, cùm ipse abesset, per quenquam agi maluit? quibus ille me in rebus nō ornatū uoluit amplissimè? qua deniq; ille facilitate, qua humanitate tulit contentionē meam pro Milone aduersantem interdum actionibus suis? quo studio prouidit, ne qua me illius tēporis inuidia attingeret, cùm me consilio, cùm autoritate, cum armis deniq; texit suis? quibus quidem temporibus hæc in eo grauitas, hæc animi altitudo fuit, nō modò ut Phrygi alicui, aut Lycaoni, quod tu in legatis fecisti: sed ne summorū quidem hominū maleuolis de me sermonibus crederet. Huius igitur filius cū sit gener tuus: cumq; præter hanc coniunctionem affinitatis, quàm sis Cneo Pompeio charus, quàmq; iucundus, intelligam: quo tandem animo in te esse debeo? cùm præsertim eas ad me is literas miserit, quibus etiam si tibi, cui sum amicissimus, hostis essem, placarer tamen: totūq; me ad eius uiri ita de me meriti uoluntatē, nutumq; conuerterem. Sed hæc hactenus. pluribus enim etiam fortasse uerbis, quàm necesse fuit, scripta sunt. Nunc ea, quæ à me † perfecta, quæq; instituta sunt, cognosce. Atq; hæc agimus, et agemus magis pro dignitate, quàm pro periculo tuo. Te enim (ut spero) propediem Censorē audiemus: cuius magistratus officia, quæ sunt maximi animi, summiq; consilij, tibi diligentius, & accuratius, quàm hæc, quæ nos de te agimus, cogitanda esse censeo. Vale.

Epilogus. Transitio cū correctione.

Conclusio et præcisio ab adhortatiuncula.

† profecta, quæq; constituta sunt

ARG. EPIST. SEQ.

Huius epistolæ duo sunt diuersa argumenta: primũ enim gratulatur Appio, quod liberatus sit periculis iudiciorũ. Deinde agit gratias, quod miserit descriptam conditionem seu formam Reipub.

M. T. C. Appio Pulchro (ut spero) Censori S. P. D. 40

Narratio brevis.

CVm essem in castris ad flumen Pyramum, redditæ mihi sunt uno tempore à te epistolæ duæ, quas ad me Qu. Seruilius Tarso miserat. Earum in altera dies erat adscripta Nonarũ Aprilium: in altera, quæ mihi recentior uidebatur, dies nõ erat. Respõdebo igitur superiori prius, in qua scribis ad me de absolutione maiestatis: de qua, etsi † permultũ antè certior factus eram literis, nuntijs, fama deniq; ipsa (nihil enim fuit clarius: non quò quisquam aliter putasset: sed nihil de insignibus ad laudem uiris obscurè nuntiari solet) tamen eadem illa * lætiora fecerunt mihi tuæ literæ: non solùm quia planius loquebãtur, & uberius, quàm uulgi sermo: sed etiã quia magis tibi uidebar gratulari, cum de te ex teipso audiebam. Complexus igitur sum cogitatione te absentem: epistolam uerò osculatus, etiam ipse mihi gratulatus sum. Quæ enim à cuncto populo, à Senatu, à iudicibus, ingenio, industriæ, uirtuti tribuũtur: quia ipse mihi assentior fortasse, cũ ea esse in me fingo: mihi quoq; ipsi tribui puto. Nec tam glorioſum exitum tui iudicij extitisse, sed tam prauam inimicorum tuorũ mentem fuisse mirabar. De * ambitu uerò quid interest, inquies, an de maiestate? † ad rem nihil: alterũ enim non attigisti, alteram auxisti. Veruntamen est maiestas (ut Sylla uoluit)

Epistola gratulatoria, responsoria, & petitoria.

A narratione exorditur.

Propositio.

† plurimũ.

Emphasis & pathos cum propositione ornata gestu.

Gratulatur Appio, quod crimine læsæ maiestatis absolutus esset.

Ætiologia gratulationis

Collatio & retractio ambitus & læsæ maiestatis.

† ad te nihil.

ne in quemuis impunè declamare liceret. Ambitus uerò, ita apertam uim habet, ut aut accusetur ỏmprobé, aut defendatur: quì enim facta, & nõ facta largitio ignorari potest? Tuorum aũt honorum cursus, cui suspectus unquam fuit? Me miserum, qui non affuerim: quos ego risus excitassem? Sed de maiestatis iudicio duo mihi illa ex tuis literis iucundißima fuerunt: unũ, quòd te ab ipsa Repub. defensum scribis: quæ quidem, etiam in summa bonorũ, & fortium ciuium copia, tueri taleis uiros deberet: nunc uerò eò magis, quòd tanta penuria est in omni uel honoris, uel ætatis gradu, ut tam orba ciuitas taleis tutores complecti debeat: alterum * quòd Pompeij, & Bruti fidem, beneuolentiamq; mirificè laudas. Lætor uirtute, & officio cum tuorum necessariorũ, meorũ amicißimorum: tum maximè alterius omnium seculorum, & gentium principis: alterius, iampridem iuuentutis, celeriter (ut spero) ciuitatis. De mercenarijs testibus à suis ciuitatibus notandis, nisi iam aliquid factũ est per Flaccum, fiet à me, cum per Asiam decedam. Nunc ad alteram epistolam uenio. Quòd ad me quasi formam communium temporum, & totius Reipublicæ misisti expressam: prudentia literarũ tuarũ ualde est mihi grata. Video enim & pericula leuiora, quàm timebam, & & maiora præsidia. si quidem (ut scribis) omnes uires ciuitatis se ad Pompeij ductum applicauerunt: tuumq; simul promptum animũ, & alacrem perspexi ad defendendam Rempublicam: mirificamq; cepi uoluptatẽ ex hac tua diligentia, quòd in summis tuis occupationibus,

Redit ad gratulationẽ, & est amplificatio gratulationis a circumstantijs.

Videtis esse fucatam prædicationẽ, & fucatas laudes.

Ad alteram quandam epistolam Appij respondet, & est responsoria ad nuntiatoriam.

mihi tamen Reipub. ſtatum per te notum eſſe uoluiſti. Nam auguraleis † libros ad commune utriuſq; noſtrum otium ſerua. Ego enim à te, cum tua promiſſa per literas flagitabã, ad urbem te otioſiſsimũ eſſe arbitrabar: nunc tamen, ut ipſe polliceris, pro auguralibus libris orationes tuas confectas omneis expectabo. Tullius, cui mandata ad me dediſti, non cõuenerat me: nec erat iam quiſquam mecum tuorum, præter omneis meos, qui ſunt omnes tui. Stomachoſiores meas literas quas dicas eſſe, non intelligo: bis ad te ſcripſi me purgans diligenter: te leniter accuſans in eo, quòd de me citò credidiſſes: quòd genus querelæ mihi quidem uidebatur eſſe amici. Sin autem tibi diſplicet, non utar eo poſthac. Sed ſi ut ſcribis, hæ literæ non fuerunt diſertæ, ſcito meas non fuiſſe. Vt enim Ariſtarchus Homeri uerſum negat, quem non probat: ſic tu (libet enim mihi iocari) quod diſertũ nõ erit, ne putaris meũ. Vale, & in Cenſura, ſi iam es Cenſor (ut ſpero) de proauo multum cogitato tuo.

Illa ſunt uaria, quæ ſequuntur.

Petit ut pro libris augura libus orationes, quas habuit, ſibi mittat.

Reſpõdet ad aliud quoddam ab Appio ſcriptum

Extenuat literas ſuas, quibus Appij crudelitatẽ ſtomachoſius ſolito reprehenderat

Cõcluſio eſt a ioco.

Elegantiſsimus iocus.

ARG. EPIST. SEQ.

Proposítio.

Epiſtola gratulatoria & excuſatoria.

Exordium a diuiſione epiſtolæ.

Gratulatur Appio de abſolutione ambitus.

Amplificatio ab Appij perſona.

Iſta epiſtola primum habet gratulationem cum amplificatione, ſcilicet cum admiratione. Deinde ſequitur excuſatio, in qua tranſfert cauſam affinitatis contractæ, cum Dolabella in mulieres.

M. T. C. Appio Pulchro S. P. D. 41

GRatulabor tibi prius (ita enim rerũ ordo poſtulat) deinde ad me conuertar. Ego uerò uehementer gratulor de iudicio ambitus: neq; id, quod nemini dubium fuit, abſolutum te eſſe: ſed illud, quòd quò melior ciuis, quò uir clarior, quò fortior amicus es, quoq; plura uirtutis, & induſtriæ ornamenta in te ſunt, eò mirandũ eſt magis,

magis, nullam ne in tabellæ quidẽ latebra fuiſſe abſconditam maleuolentiam, quæ te impugnare auderet: nõ horum temporũ, non horum hominũ, atq; morum negotium: nihil iam ſum pridem admiratus magis. De me aũt ſuſcipe pauliſper meas parteis, & eum te eſſe finge, qui ego ſum: ſi facilè inueneris quid dicas, noli ignoſcere hæ ſitationi meæ. Ego uerò uelim mihi, Tulliæq; meæ (ſicut tu amiciſsimè, & ſuauiſsimè optas) proſperè euenire ea, quæ me inſciente facta ſunt à meis: ſed ita cecidiſſe, ut agerentur eo tempore, ſpero omnino cum aliqua felicitate, & opto: ueruntamen plus me in hac ſpe, tua ſapientia, & humanitas cõſolatur, quàm opportunitas temporis. Itaq; quemadmodũ expediam exitum huius inſtitutæ orationis, non reperio: neq; enim triſtius dicere quicquam debeo ea de re, quam tu ipſe omnibus optimis proſequeris: neq; non me tamen mordet aliquid: in quo unũ † uereor, ne tu parùm perſpicias ea, quæ geſta ſint, ab † illis eſſe geſta, quibus ego ita mandaram, ut cũ tam longè abfuturus eſſem, ad me ne referrent: agerent, quod probaſſent. In hoc aũt mihi illud occurrit, Quid tu igitur ſi affuiſſes? rem probaſſem: de tempore, nihil te inuito, nihil ſine conſilio egiſſem tuo. Vides ſudare me, iandudum laborantẽ quomodo ea tuear, quæ mihi tuenda ſunt, & te non offendam. Leua * me igitur hoc onere: nunquàm enim mihi uideor tractaſſe cauſam difficiliorem. Sed tamen ſic habeto: niſi iam tunc omnia * negotia cum ſumma tua dignitate diligentiſsimè confeciſſem, tametſi nihil uidebatur ad meum priſtinum erga

Excuſat ſe Cicero, quod abſente ſe, Tullia Dolabellæ Appij inimico nupſerit.

Purgatio.

Translatione utitur.

† non

† alijs.

Occupatio obiectionis.

A ſuo cõſtanti erga Appium ſtudio.

Præciſio.

De officio ſuo, id quod eſt principale in hac cauſa.

erga te ſtudium addi poſſe: tamen hac mihi affinitate renuntiata, non maiore equidem ſtudio, ſed acrius, apertius, ſignificantius dignitatem tuam defendiſſem. Decedenti mihi, & iam imperio annuo terminato, ante Nonas Sextiles, cùm ad Sidam naui accederem, & mecum Qu. Seruilius eſſet, literæ à meis ſunt redditæ: dixi ſtatim Seruilio (etenim uidebatur eſſe cõmotus) ut omnia à me maiora expectaret. quid multa? beneuolẽtior * tibi quàm fuerim, nihilo ſum factus: diligentior quidem ad declarandã beneuolentiam multo. Nam ut uetus noſtra ſimultas anteà ſtimulabat me, ut cauerem, ne cui ſuſpicionem fictè reconciliatæ gratiæ darẽ: ſic affinitas noua curam mihi affert cauendi, ne quid de ſummo meo erga te amore detractum eſſe uideatur. Vale.

Narratiuncula.

Elegans interſtio.

ARG. EPIST. SEQ.

Eſt elegantiſſima epiſtola: Eſtq; gratiarum actio, agit enim gratias, quod Appius ornauerit Ciceronem in ferendis ſententijs.

Epiſtola eſt officioſa.

Exorditur a ſuo erga Appium officio, & ab Appij in reponendis beneficijs gratitudine.

Extenuat ſua in Appiũ collata beneficia.

Amplificat beneficia Appij.

Locus communis.

M. T. C. Appio Pulchro S. P. D. 42

QVaſi diuinarem tali in officio fore mihi aliquando expetendum ſtudium tuum: ſic, cum de tuis rebus geſtis agebatur, inſeruiebam honori tuo. Dicam tamen uerè: plus, quàm acceperas, reddidiſti. Quis enim ad me non perſcripſit, te non ſolum autoritate orationis, ſententia tua, quibus ego à te tali uiro contentus eram: ſed etiam opera, conſilio, domum ueniendo, conueniendis meis, nullum onus officij cuiquam reliquum feciſſe. Hæc mihi ampliora multò ſunt, quàm illa ipſa, propter quæ hæc elaborãtur. Inſignia enim uirtutis multi etiam ſine uirtute aſſecuti ſunt: talium uirorũ tanta ſtudia aſſequi ſola

ſola uirtus poteſt. Itaq; mihi propono fructum amicitiæ noſtræ ipſam amicitiam, qua nihil eſt uberius, præſertim in ijs ſtudijs, quibus uterq; noſtrûm deuinctus eſt. Nam tibi me * profiteor, et in republica ſocium, de qua idem ſentimus: & in quotidiana uita coniunctum, cum ijs artibus, ſtudijsq;, quæ colimus. Velim ita fortuna tuliſſet, ut quanti ego omneis tuos facio, tanti tu meos facere poſſes: quod tamen * ipſum, neſcio qua permotus animi diuinatione, non deſpero. Sed hoc nihil ad te: noſtrũ eſt onus: Illud uelim ſic habeas, quod intelliges, hac re * nouata additum potius aliquid ad meum erga te ſtudium, cui nihil uidebatur addi poſſe, quàm quicquam eſſe detractum. Cum hæc ſcribebam, Cenſorem iam te eſſe ſperabam: eò breuior eſt hæc epiſtola, & ut aduerſus magiſtrum morum, modeſtior. Vale.

Vicissim defert officiũ.

Tacite hortatur Appium, ut inimicitias deponat.

Hęc dicit propter Dolabellam, id eſt cõtracta cum Dolabella. Iſta omnia recte dicit.

DOCTIS-

DOCTISSIMORVM VIRORVM ANnotationes & castigationes in tertium librum Epist. Famil. Ciceronis.

In Epist. 1.

S.Cor. Ta est homo) In peruetere libro ita erat scriptum: Ita est homo I non modo prudens, uerumetiam æquus & (quod uidi) curiosus. Nonnulli uero quod iuuet, legunt: non, quod uidi.

Intermissa) propter simultatem.

Quam quidem) Mineruam: & uidetur suam illam urbis custodem significare. sit tamen coniectura, non iudicium.

De tuis) Clodijs: si de Pallade custode loquitur.

Philip. Quapropter ille tibi) Hoc non tam est exordium, q̃ reiectio quædam eorum, de quibus alioqui merito debeat scribere.

Sic enim tibi persuade) Propositio, in qua commemorat de suo erga illum animo.

In Epist. 2.

S.Cor. In prouinciam) Ciliciam.

Quam maxime apertam) Al. quam maxime aptam.

Philip. Quum & contra) Exorditur ex collatione periculi, & commodi, uidelicet quod hoc habeat commodi periculo successionis, quod Appio successurus sit.

In Epist. 3.

Philip. Milites esse dimissos) Romæ fuit consuetudo, ut quiuis decem annos militaret, postea dimittebãtur. Sed inde creuit numerus usq; ad xv. & ad xx. annos: & dabantur militi per mensem tres ducati.

In Epist. 4.

S.Cor. Te L. Clodio) In uetere libro totus hic locus sic legitur. Te Lentulo & Clodio mandasse, quæ mecum loqui uelles, eos sane expectabam, &c. de Lentulo epistola octaua huius libri.

Illo libro aug.) Vno, nam reliquos nondũ absoluerat, epist. ix.

Collegij) auguratus.

Philip. Meum studium) Narrat sua & illius mutua officia.

Mea in te omnia) Defert officium.

In Epist. 5.

S.Cor. Ad Sidam) Ex sequenti epistola, etsi in omnibus fere libris ueteribus, ad illam, legimus.

Iconium) Lycaoniæ urbem, ubi erant castra.

Interest, prius ut te conueniam) In antiquis libris hæc uerba non sunt, sed in unius peruteris libri margine ita scriptum inuenimus. Interest ut te uideam antequam decedas, quę lecta ita placet, ut eam pene legitimam putem.

Tralleis

Tralleis ueni) Exordiũ, & figurata officij cõmemoratio per reiectionẽ, in qua significat se id maxime uelle testari quod omittit.

Hoc tuum officium) Defert uicissim officium.

Quod quibus adhuc) Locus communis de moderata officij commemoratione.

Sane autem uellem) Figurata reprehensio.

In Epist. 6.

In prouinciam) Laodiceam, quæ non erat in Appij prouincia.

Quum meum) Propositio. Reprehendo tuum factum, quod Philip. fugisti congressum.

Euocatorum) Euocati dicuntur Veterani, quibus iam missione facta licebat esse otiosis, & tamen postea sponte militabant.

In Epist. 7.

Legati Apameani) Al. Appiani.

Ædificationem) alicuius statuæ in Appij honorem. S.Cor.

Ex Cilicia recepissem) in Asiam.

Tam longe inquis) Ex Phrygia, siue Lyaconia in Ciliciam.

Vrbanitatem) in uetere libro humanitatem legimus.

Quæso etiam) Locus communis de nobilitate: quasi dicat, Philip. Puerile est nobilitatem opponere ornamentis uirtutis.

In Epist. 8.

Vultu &) Vultu taciturnitatis duobus libris legimus.

Vrbanum) Fauorem & Vrbanum Cicero noua credit, inS.Cor. quit Quinutil. libro octauo, capite tertio.

Lentulum) Epistola quarta huius libri.

Libertum tuum) Phaniam.

Præfectum fabrum) Clodium.

Synnadis) Synnade, in duobus ueteribus libris legitur, sicut & libro quinto ad Atticum.

Mopsicheſtiæ) urbis a Mopso uate conditæ, etsi Mosheſtia etiam legitur.

Etsi quantum) Exordium de causa respondendi.

Refrigerato iam) id est, ubi ultro abijcies suspiciones contra Philip. me conceptas.

Multarum ciuitatum) Ratio, ciuitates postularunt: estq; sumpta ratio ex causa necessaria. Et est minor syllogismi.

Vrbanum) Id est, non ambientem, fugitantem istas ineptas laudationes.

Tu quum istiusmodi) Reprehensio transitionis.

Genus hoc totum) Ista dicuntur mimeticos. Obliquum scilicet, quum in tertiam personam transfertur reprehensio.

Quod si quis me astutiorem) Confutatio suspicionis ab inutili.

Si

Si quis est qui neminem) Fuerunt enim simultates quædam inter Appium & Ciceronem propter Clodium. Hic igitur recte reprehendit illum, quod non bona fide redierit in gratiam, quia ut quisq; est suspiciosissimus, ita est perfidissimus.

Nobilissimi) Collatio nobilium & medicorum.

Ad largiendum) Alludit ad locum communem. Debemus esse liberales de nostro, non de alieno.

In Epist. 9.

S.Cor. Quod est promissi) de libris auguralibus.

Appellatus sim) apud Ipsum Epist. x. lib. ij.

Alijs rebus additis) uictis præsertim Pindenissis, qui Saturnalibus mane se mihi dediderunt.

Philip. Vix tandem legi) Exordium patheticon, quæ exordia sunt gratissima, quum uelut ab epiphonemate ordimur.

Itaq; quanti istud) Conclusio, quæ habet quandam particulam epistolæ Appiæ.

Longi subsellij) id est, suffragatio ignobilium Senatorũ, qui ualent tantum numero suffragiorum.

Ad meas literas) Flagitatio scripti, & uicissim simile munus pollicetur.

Iuris augurij) id est, utrum illa diuinatio aliquam habeat rationem in natura.

Supplicatio nobis) Supplicatione decernere est, quando aliquis rem bene gesserat in prouincia, petebat ut haberentur processiones.

In Epist. 10.

S.Cor. De temeritate) Dolabellæ. Epist. vj. libro octauo.

Sum ego testis) Nam Pontino ad triumphum uolui adesse.

A me inuitissime decessisset) Al. a me inuitissimo discess. Epist. xv. libro secundo.

Nauare) Nouare, habent libri ueteres.

A famil.) a M. Cælio præsertim illud: Appium hic nos omnes absoluimus.

Ea tribui) Al. ea uidem tribui.

Contentione defendi) Hinc epistola secunda libro secundo ita scribit: Dolabella mihi debebat, &c.

Perscriptus) Epistola sexta libro octauo.

Quosdam memini) Al. quasdam memini nimirum, ex Epicteto. Epictetus autem Phrygia minor dicitur a Strabone.

Legem Corneliam) qua L. Sylla in decernendis sumptibus omnes Asiæ ciuitates pro portione in prouincias descripsit.

Indixit) Al. Induxit: quod est uerbum ad rationes magis accommodatum.

Cognosce)

Cognosce) Nisi cognosces legas, multa hic desint necesse est, uel certe, cognosce ex commentario, uel iniurijs, quos misi.

Illud plane molestè) Alia querela. Philip.

Facies sapienter) Consolatur ex honesto.

Perbreues a te) Ad aliam epistolã breuis responsio de officio.

Illud pugna) Quartus locus de tempore administrationis.

Itaq; capio magnam uoluptatem) Quintus locus, gratulatio pertinens ad consolationem.

Ea tribui) Ratio gratulationis. Gaudeo quod sint aliqui, qui bonis ciuibus bene uolunt.

Stultus & puerilis) Sextus locus.

Ego autem citius) Aliud negocium de Dolabella.

Erga te studio) Principale negocium.

Sed tamen significatur) Septimus locus habet purgationem ex impulsione.

Ad me adire quosdam) Redit ad inficiationem: Quanquam uolui moderari sumptus, tamen non feci.

Quod crediderís) Probat se non esse fucatum amicum.

Nam si me uirum) Generalis purgatio, & primum argumentum est a sua persona.

Reditum nostrum) A prioribus officijs.

Ad suam utilitatem) Ex impulsione seu utilitate.

Studiorum) A similitudine studiorum.

Quæ ut omittam) Ab amicis Appij: Pompeio sum amicus, ergo & tibi.

In Epist. 11.

Inimicorum tuorum) Dolabellæ. S.Cor.

An de maiestate) absolutus sim.

Sylla uoluit) Lege Cornelia maiestatis.

Ne in quemuis) ut in quæuis, legunt eruditi.

Bruti) qui te cum Hortensio defendit.

Per Flaccum) Videtur esse is L. Flaccus, qui Cicerone Coss. eum C. Pontinio prætor fuit.

Respondebo) Propositio, Gratulor tibi quod uiceris in iudicio. Philip.

Complexus sum igitur) Ratio propositionis: gratum est mihi uirtuti honorem habere.

Ambitus) Reiectio de iudicio ambitus.

Nunc ad alteram epistolam) Propositio noua, seu altera pars epistolæ, in qua egit ei gratias, quod miserit formam & statum Reipublicæ.

Augurales libros) Illa sunt uaria, quæ sequuntur.

Aristarchus Homeri) Elegantissimus iocus.

In Epist. 12.

S.Cor. Tabellæ quidem latebra) L. Cassius Longinus Trib. pleb. C. Mario & C. Flacco Coss. legem tulit, ut populus per tabellam suffragium ferret: qua in re latebra data est populo, in qua, bonis ignorantibus, quid quisq; sentiret, tabella uitiosum in iudicijs occultaret suffragium.

Philip. Facta sunt a meis) Terentia & M. Cælio.
De me autem) Alia causa.
Ego uero) Imprecatio coniuncta cum sua excusatione.
Neq; tristis) Excusatio iunctæ affinitatis cum inimico Appij, & colligit uaria argumenta, quæ neq; explicat, neq; confirmat, neq; diluit, sed oblique omnia agit.

In Epist. 13.

S.Cor. Expetendum studium tuum) ad obtinendas supplicationes.
Nostrum onus) reconciliandi.

Philip. Quasi diuinarem) Exordium sumptum a collatione officiorum Ciceronis & Appij in eodem genere.
Dicam tamen) Narratio.
Quis enim ad me) Propositio amplificationis.
Insignia enim) Ratio ex loco communi.

M. T. CICERONIS EPISTOLARVM FAMILIARIVM LIBER IIII.

ARG. EPIST. SEQ.

Hæ sequentes epistolæ possunt intelligi ex libro decimo epistolarum ad Atticum. Hæc autem non tam est deliberatio, quam querela. Initio narrat & proponit Seruij petitionem. Postea addit uotum. Deinde respondet ipsius petitioni, siue addit querelam, in qua exponit se nihil consilij uidere.

M. T. C. Seruio Sulpitio S. P. D. I

Narratio Deliberatiua epistola. A narratiuncula exordiatur.

CAIVS Trebatius familiaris meus ad me scripsit, te ex se quæsisse, quibus in locis essem: moleste q; ferre, quòd me propter ualetudinem tuam, cum ad urbem accessissem, non uidisses: & hoc tempore

tempore uelle te mecũ, si propius accessissem, de officio utriusq; nostrum cõmunicare. Vtinã Serui salutis rebus (sic enim est dicendum) colloqui potuissemus inter nos. Profectò aliquid opis occidẽti reipub. tulissemus. * Cognoram enim iam absens, te hæc mala multò ante † prouidentẽ, defensorẽ pacis & in consulatu tuo, & post cõsulatũ fuisse. Ego aũt cùm cõsiliũ tuũ probarẽ, & idem ipse sentirẽ, nihil proficiebam. Serò enim uenerã: solus eram: rudis esse uidebar in causa: inciderã in hominũ *pugnandi cupidorũ insanias. Nunc quoniam nihil iam uidemur posse opitulari reipub. si quid est in quo nobis metipsis consulere possimus, non ut aliquid ex pristino statu nostro retineamus, sed ut quàm honestissimè lugeamus: nemo est omniũ, qui cũ potius mihi quàm tecũ cõmunicandũ putem. Nec enim clarissimorũ uirorũ, quorum similes esse debemus, exempla: neq; doctissimorũ, quos semper coluisti, præcepta te fugiunt. Atq; ipse antea ad te scripsissem, te frustra in Senatũ, siue potius in cõuentũ Senatorũ esse uenturũ, ni ueritus essem, ne eius animũ offenderẽ, qui à me, ut te imitarer, petebat. Cui quidẽ ego, cũ me rogaret, ut adessem in Senatu, eadem omnia, quæ à te de pace, & de Hispanijs dicta sunt, ostendi me esse dicturũ. Rem * uides, quo modo se habeat: orbẽ terrarũ imperijs distributis ardere bello: Vrbẽ sine legibus, sine iudicijs, sine iure, sine fide relictã direptioni, & incendijs. Itaq; mihi uenire in mentẽ nihil potest, nõ modò quid sperẽ: sed uix iã qd audeã optare. Sin aũt tibi homini prudentiss. uidetur utile esse, nos colloqui:

Respondet narrationi, et uotum ante propositionẽ. Propositio Ætiologia est a prouidentia & studio pacis. Ratio uoti.

† præuidentem.

Cur nihil suo consilio proficere potuerit.

Horum scilicet, qui erant apud Pompeium.

Promittit Sulpitio colloquiũ, si id modo ad rẽ quid faciat.

Cur non scripserit Sulpitio frustra eũ in Senatum uenturum.

Quærela quę habet amplificationẽ horum malorũ. A statu reip. ostendit inutile eorũ colloquium fore

quanquàm longius etiam cogitabam ab urbe discedere, cuius iam etiam nomen inuitus audio: tamẽ propius accedam. Trebatio mandaui, ut si quid tu eum uelles ad me mittere, ne recusaret: idq; ut facias uelim: aut si quẽ tuorum fidelium uoles, ad me mittas: ne aut tibi exire ex urbe necesse sit, aut mihi accedere. Ego tibi tantum tribuo, † quantum mihi fortasse arrogo: ut exploratum habeam, quicquid nos communi sententia statuerimus, id omneis homines probaturos. Vale.

Epilogus

† tantum

ARG. EPIST. SEQ.

Deliberatio est, an sit fugiendum ex Italia, & sequendus Pompeius. Initio narratiuncula est, in qua distribuit locos honestatis & utilitatis. Postremo cõstituit de discessu, & addit querelam, quę habet amplificationem difficultatis.

M. T. C. Seruio Sulpitio S. P. D.

Narratio

Deliberatiua est epistola

A narratione exordiũ est deductum

Propositio

† quod

Propositio nescio quid consulam.

Reiectio a persona Sulpitij

A diuisione colligit.

Diuisio

DIII. Calen. Maias cum essem in Cumano, accepi tuas literas: quibus lectis, cognoui non satis prudenter fecisse Philotimum: qui, cum abs te mandata haberet, ut scribis, de omnibus rebus, ipse ad me nõ uenisset, literas tuas misisset: quas intellexi breuiores fuisse, quòd eum perlaturum putasses. Sed tamen, postq; literas tuas legi, Posthumia tua me conuenit, & Seruius noster. His placuit, ut tu in Cumanum uenires: † qui etiam mecũ. ut ad te scriberem, egerunt. Quòd meum cõsilium exquiris: id est tale, ut capere facilius ipse possim, quàm alteri dare. Quid enim est, quod audeam suadere tibi homini summa autoritate, summaq; prudentia? Si, quid rectissimum sit, quærimus, perspicuum est: si, quid maximè expediat, obscurũ: sin hi sumus, qui profectò esse debemus,

mus, ut nihil arbitremur expedire, nisi quod rectum, honestumq; sit: non potest esse dubium, quid faciendum nobis sit. Quòd existimas meam causam coniunctam esse cum tua: certè similis in utroq; nostrum, † cum optimè sentiremus, error fuit: Nam omnia utriusq; consilia ad concordiam spectauerunt: qua cum ipsi Cæsari nihil esset utilius, gratiã quoq; nos inire ab eo, defendenda pace, arbitrabamur. Quantum nos fefellerit, & quem in locum res deducta sit, uides. Neque solum ea perspicis, quæ geruntur, quæq; iam gesta sunt: sed etiam qui cursus rerum, qui exitus futurus sit. Ergo aut probare oportet ea, quæ fiunt: aut interesse, etiam si non probes: quarum altera mihi turpis, altera etiam periculosa ratio uidetur. Restat, ut discedendum putem. In quo reliqua uidetur esse deliberatio, quod consilium in discessu, quæ loca sequamur. Omnino cum miserior res nunquàm accidit, tum ne deliberatio quidem difficilior. Nihil enim constitui potest, quod non incurrat in magnam aliquam difficultatem. Tu, si uidebitur, ita censeo facias: ut si habes iam statutum, quid tibi agendum putes, in quo non sit coniunctum consilium meum cum tuo, supersedeas hoc labore itineris: sin est quod mecum communicare uelis, ego te expectabo. Tu quod tuo cõmodo fiat, quàm primũ uelim uenias, sicut intellexi & Seruio, & Posthumæ placere. Vale.

A iure belli & Pompeij, & Cæsaris differit.

† cũ idem sent.

A Cæsaris persona.

A statu reip.

Consultatio de loco in quem discedendũ sit per suspensionẽ.

Dilemma.

Addit aliud membrum, querelam uidelicet.

Cõclusio ab hortatione.

ARG. EPIST. SEQ.

Consolatio est. Orditur enim a breui narratiuncula: Deinde subijcit suum exemplum, quomodo se consoletur ipse, & indicat Seruium habere easdem consolationis causas, quia easdem consu-

luerit. Secunda ratio sumpta est ab ipsius Seruij iucolumitate. Tertia ratio sumpta est ex loco communi de studijs, quod leuationem maximam adferat animis doctrina.

M. T. C. Seruio Sulpitio S. P. D. 45

Epistola consolatoria. Propositio, audio te dolere.

VEhementer te esse solicitum, & in communibus miserijs præcipuo quodam dolore angi, multi ad nos quotidie deferunt. Quod quanquàm minime miror, & meum quodammodo agnosco: doleo tamen te sapientia præditum propè singulari, non tuis bonis delectari potius, quàm alienis malis laborare. Me quidem, etsi nemini concedo, qui maiorem ex pernicie, et peste reipublicæ molestiam traxerit: tamen multa iam consolantur, maximeq; conscientia consiliorum meorum. Multò enim antè tanquàm ex aliqua specula, prospexi tempestatem futuram: neq; id solũ mea sponte, sed multo etiam magis monente & denuntiante te. Etsi enim abfui magnam partem Consulatus tui: tamen & absens cognoscebam, quæ esset tua in hoc pestifero bello cauendo, & prædicendo sententia: & ipse affui primis temporibus tui consulatus, cum accuratissimè monuisti Senatum collectis omnibus bellis ciuilibus, ut & illa timerent, quæ meminissent: & scirent, cum superiores nullo tali exemplo antea in republica cognito, tam crudeles fuissent: quicunq; posteà rempublicam oppressisset armis, multò intolerabiliorẽ futurũ. Nam quod exemplo fit, id etiam † iure fieri putant: † sed aliquid, atq; adeò multa addũt, et afferũt de suo. Quare meminisse debes eos, qui autoritatem, & consilium tuum non sunt secuti, sua stultitia occidisse, cùm tua prudentia salui esse potuissent. Dices:

A dolore benuolentiam captat.

A cõscientia cõsiliorũ cõsolatur & se, & Sulpitium

Occupatio obiectionis. Narrat sententiam Sulpitij de bello ciuili.

Prolepsis. Occupatio

Quid me ista res consolatur in tantis tenebris, & † quasi perpetuis Reipublicæ? Est omnino uix consolabilis dolor: tanta est omnium rerum amissio, & desperatio recuperandi. Sed tamen & Cæsar ipse ita de te iudicat: & omnes ciues sic existimãt: quasi lumen aliquod extinctis cæteris elucere sanctitatem, & prudentiam, & dignitatem tuã. Hæc tibi ad leuãdas molestias magna esse debent. Quòd * aũt à tuis abes: id eò leuius ferendum est, quòd eodem tempore à multis, ac magnis molestijs abes: quas ad te omneis perscriberem, nisi uererer, ne ea cognosceres absens: quæ quia non uides, mihi uideris meliore esse conditione, quàm nos, qui uidemus. Hactenus existimo nostrã consolationẽ rectè adhibitã esse, quoad certior ab homine amicissimo fieres ijs de rebus, quibus leuari possent molestiæ tuæ. Reliqua sunt in te ipso, neq; mihi ignota, nec minima solatia, & (ut quidem ego sentio) multò maxima: quæ ego ipse experiens quotidie, sic probo, ut ea mihi salutem afferre uideantur. Te autem ab initio ætatis memoria teneo summè omnium doctrinarum studiosum fuisse, omniáq;, quæ à sapientissimis ad benè uiuendum tradita essent, summo studio, curáq; didicisse: quæ quidem uel optimis rebus & usui, & delectationi esse possent. his uerò tẽporibus habemus aliud nihil, in quo acquiescamus. Nihil faciam insolenter: neq; te tali uel scientia, uel natura præditum hortabor, ut ad eas te referas artes, quibus à primis temporibus ætatis studium tuũ dedidisti, Tantum dicam, quòd te spero approbaturũ, me, posteà quàm illi arti, cui studuerã, nihil

Occupatio † quasi paricidijs rei pub.

A iudicio Cæsaris & aliorum de Sulpitio.

Occupatio obiectionis Ab utili. Dilutio de absentia, qui ipse aberat proconsul in Achaia.

A studijs literarum Sulpitium consolatur.

Oblique hortatur Sulpitiũ, ut bonis literis scientiæ se consoletur.

esse loci neq; in curia, neque in foro uiderem, omnem meam curam, atq; operam ad philosophiam contulisse. Tuæ scientiæ excellenti, ac singulari non multò plus, quàm nostræ, relictum est loci. Quare non equidem te moneo: sed mihi ita persuasi, te quoq; in ijsdem uersari rebus, quæ etiam si minus prodessent, animum tamen à solicitudine abducerent. Seruius quidem tuus in omnibus ingenuis artibus, in primisq; in hac, in qua ego me scripsi acquiescere, ita uersatur, ut excellat. A me uerò sic diligitur, ut tibi uni concedam, prætereà nemini: mihiq; ab eo gratia refertur: in quo ille existimat, quod facilè appareat, quòd me colat, et obseruet, tibi quoq; in eo se facere gratissimum. Vale.

Cõclusio est a commendatione Seruij filij Sulpitij.

cum habes Long. codex.

ARG. EPIST. SEQ.

Exordium sumitur a reprehensione cuiusdam loci in epistola Seruij de genere orationis, deinde sequitur narratio de Marcello, sed huic facit aditum quadam collatione. Seruius deplorauerat statum prouinciæ. Ipse uicissim urbis statum deplorat. Deinde attexit correctionem de Marcello, id est, dissimulare, id est, dissimulans. Elegans reimlich, quod est sine immodico luxu, ubi omnia sunt propria & munda. Elegantia aũt peculiariter competit proprio generi orationis.

ἐιρωνδύεσθαι ἐιρωνδυόμενος

M. T. C. Seruio Sulpitio S. P. D. 46

Exordiũtur ab ostẽsione & diuisione, quatenus accipiat excusationem Sulpitij referentis Ciceroni, cur eodẽ exemplo semper epistolas scriberet.

ACcipio excusationem tuam, qua usus es, cur sæpius ad me literas uno exemplo dedisses: sed accipio ex ea parte, quatenus aut negligẽtia, aut improbitate eorum qui epistolas accipiant, fieri scribis, ne ad nos perferantur. Illam partem excusationis, qua te scribis orationis paupertate (sic enim appellas) ijsdem uerbis epistolas sæpius mittere, nec agnosco, nec probo. Et ego ipse, quẽ tu per iocum (sic enim accipio) diuitias orationis habere

bere dicis, me non esse uerborum admodum inopem agnosco: ἐιρωνδύεσθαι enim non necesse est: sed tamen idem, nec hoc ἐιρωνδυόμενος, facilè cedo tuorum scriptorum subtilitati, & elegantiæ. *Consilium tuum, quo te usum scribis, hoc Achaicũ negotium non recusauisse, cùm semper probauissem, tum multò magis probaui literis tuis proximis literis. Omnes enim causæ, quas commemoras, iustissimæ sunt, tuaq; & autoritate, & prudentia dignissimæ. Quòd aliter cecidisse rem existimas, atq; opinatus sis: id tibi nullo modo assentior. Sed quia tanta perturbatio, & confusio est rerum: ita perculsa, & prostrata fœdissimo bello iacent omnia, ut is cuiq; locus, ubi ipse sit, miserrimus esse uideatur: propterea & tui te consilij pœnitet: & nos, qui domi sumus, tibi beati uidemur: at contrà nobis, non tu quidem uacuus molestijs, sed præ nobis beatus: atq; hoc ipso melior est tua, quàm nostra conditio, quòd tu, quid doleas, scribere audes: nos ne id quidem tutò possumus: nec id uictoris uitio, quo nihil moderatius, sed ipsius uictoriæ, quæ ciuilibus bellis semper est insolens. Vno * te uicimus: quòd de Marcelli collegæ tui salute paulò antè quàm tu: cognouimus: etiã mehercule, quòd quemadmodũ ea res ageretur, uidimus. Nam sic fac existimes: post has miserias, id est, postquàm armis disceptari cœptũ est de iure * publico, nihil esse actum aliud cum dignitate. Nam & ipse Cæsar accusata acerbitate Marcelli (sic enim appellabat) laudataq; honorificentissimè & æquitate tua, & prudentia, repentè præter spem dixit se Senatui rogãti

Id est dissimulare.
Id est dissimulans.

Narratio. Cicero probat cõsilium Sulpitij de suscipiẽda prouincia Achaica.

Negat Cicero aliter accidisse atq; opinatus sit.

Laudat restitutionẽ Marcelli ab exilio.

Alia narratio Narratio de Cæsare.

Postquam ea res, quæ iure debebat diu dicari, armis dijudicata est

de Marcello, ne hominis quidem causa negaturum. Fecerat autem hoc Senatus, ut cùm à L. Pisone mētio esset facta de Marcello: et cum C. Marcellus se ad Cæsaris pedes obiecisset, cunctus senatus cōsurgeret, & ad Cæsarē supplex accederet. Noli quærere: ita mihi pulcher hic dies uisus est, ut speciem aliquam uiderer uidere, quasi reuiuiscentis Reipub. Itaq; cùm omnes ante me rogati gratias Cæsari egissent, præter Volcatium (is enim si eo loco esset, negauit *se facturū fuisse) ego rogatus, mutaui meū consilium. Nam statuerā, non mehercule inertia, sed desiderio pristinæ dignitatis, in perpetuū tacere. Fregit hoc meū consiliū & Cæsaris magnitudo animi, & Senatus officium. Itaq; pluribus uerbis egi Cæsari gratias: neq; metuo etiam in cæteris rebus me honesto otio priuari, quod erat unicum solatium in malis. Sed tamen, quoniam effugi eius offensionē, qui fortasse arbitraretur, me hanc Rempub. non putare, si perpetuò tacerem: modicè hoc faciam, aut etiam intra modū, ut & illius uolūtati, & meis *studijs seruiam. Nā etsi à prima ætate me et omnis ars, et doctrina liberalis, et maximè philosophia delectauit: tamen ita hoc studiū quotidie ingraueſcit, credo & ætatis maturitate ad prudentiam, & his temporū uitijs, ut nulla res alia leuare animum molestijs posſit. A quo studio te abduci negotijs intelligo ex tuis literis: sed tamen aliquid iam noctes te adiuuabunt. Seruius tuus, uel potius noſter, summa me obseruantia colit: cuius ego cùm omni probitate, summaq; uirtute, tum studijs, doctrinaq; delector. Is mecum sæpe

Is fuit Stoicꝰ, similis Catoni Vticēsi si licet supplex Cæsari fieri.

Cur mutarit Cicero consilium.

Intra modū, id est, minus q̄ modice.

Nam eo tempore scripsit De diuinatione & natura Deorum.

Laudat Seruium.

sæpe de tua mansione, aut decessione cōmunicat. Adhuc in hac sum sententia, nihil ut faciamus, nisi quod maximè Cæsar uelle uideatur. Res sunt eiusmodi, ut si Romæ sis, nihil præter tuos delectare te posſit. De reliquis, nihil melius ipso est. Cæteri et cætera, eiusmodi, ut si alterutrum necesse sit, audire ea malis, quàm uidere. Hoc noſtrum cōsilium nobis minimè iucundum est, quit te uidere cupimus: sed consulimus tibi. Vale.

Consilium Ciceronis.

† quàm

ARG. EPIST. SEQ.

Consolatoria est. Orditur autem a commemoratione sui doloris. Deinde addit se scripturum ei consolationē. Hinc sequitur propositio. Post primum argumentum sumitur a maiori. Maiora amisimus, ergo hoc quoq; feramus. Secundū a temporū miseriis, quibus eripi felicitas quædā est. Tertiū ab exemplis urbium, quibus probat cōmunem conditionē mortalitatis a bonis quę contigerant antea. Quartū a Ciceronis prudentia. Quintū est pathos a uoluntate filiæ. Et sunt pleraq; breuia & truncata membra in hac epistola.

Seruius Sulpitius M. T. C. S. P. D.

Posteà quàm mihi renuntiatum est de obitu Tulliæ filiæ tuæ, sanè quàm pro eo, ac debui grauiter, molesteq; tuli, cōmunemq; eam calamitatem existimaui: qui si istic affuissem, neq; tibi defuissem, coramq; meum dolorem tibi declarassem. etsi genus hoc consolationis minimum, atq; acerbū est, propterea quia per quos ea fieri debet propinquos, ac familiareis, ipsi pari molestia afficiuntur, neq; sine lachrymis multis id conari queūt: ut magis ipsi uideantur aliorum consolatione indigere, quàm alijs posſe suum officium præstare: tamen quæ in præsentia mihi in mentem uenerunt, de creui breui ad te perscribere: non quòd ea te fugere existimem: sed quòd forsitan dolore impeditus minus ea perspicias. Quid est quòd

Narratio Cōsolatoria epistola.

Captat bene uolentiam a molestia, quā accepit ex obitu filiæ Ciceronis.

Ab officio captat beneuolentiam.

Correctio per extenuationem.

Propositio.

Honesta occupatio.

Argumentũ a maiori.

A malorũ cõsuetudine.

quòd tantopere te commoueat tuus dolor inteſtinus? cogita quemadmodum adhuc fortuna nobiſcum egerit: ea nobis erepta eſſe, quæ hominibus non minus, quàm liberi, chara eſſe debent: patriam, honeſtatem, dignitatem, honores omnes. Hoc uno incommodo addito, quid ad dolorem adiungi potuit? aut quì non in illis rebus exercitatus animus callere iam debet, atq; omnia minoris æſtimare? An illius uicem (credo) doles? quoties in eam

Occupatio obiectionis.

A temporũ cõfuſione & miſeria.

cogitationem neceſſe eſt, & tu ueneris, & nos ſæpe incidamus, hiſce temporibus nõ peßimè cum ijs eſſe actũ, quibus ſine dolore licitum eſt mortem cum uita commutare? Quid autem fuit, quod illam hoc tempore aduiuendum magnopere inuitare poſſet? quæ res? quæ ſpes? quod animi ſolatium? Vt cum aliquo adoleſcente primario coniuncta ætatem ageret? licitum eſt tibi (credo)

Alia occupatio.

A iuuentutis corruptis moribus.

pro tua dignitate ex hac iuuentute generum deligere, cuius fidei liberos tuos te tutò committere putares? An ut ea liberos ex ſeſe parêret: quos cum florenteis uideret, lætaretur: qui rem à parente traditam per ſe tenere poſſent: honores ordinatim in Repub. petituri eſſent:

Alia occupatio.

A rerũ iſtarũ fruitione prę tenta.

† liberalitate.

in amicorum negotijs † libertate ſua uterentur? quid horum fuit, quod non prius, quàm datum eſt, ademptũ ſit? At uerò malum eſt liberos amittere. Malum, niſi hoc peius ſit, hæc ſufferre, & perpeti. Quæ res mihi nõ mediocrem conſolationem attulit, uolo tibi commemorare, ſi fortè eadem res tibi dolorem minuere poßit. Ex

Narratio

Aſia rediens cum ab Aegina Megaram uerſus nauigarem, cœpi regiones circũcirca proſpicere: poſt me erat Aegina,

Aegina, ante Megara, dextra Piræus, ſiniſtra Corinthus: quæ oppida quodam tempore florentißima fuerunt, nunc proſtrata, & diruta ante oculos iacent: cœpi egomet mecum ſic cogitare: Hem, nos homunculi indignamur, ſi quis noſtrũm interijt, aut occiſus eſt, quorum uita breuior eſſe debet, cùm uno loco tot oppidorum cadauera proiecta iaceant? Vis ne tu te Serui cohibere, & meminiſſe, hominem te eſſe natum? Crede mihi, cogitatione ea nõ mediocriter ſum cõfirmatus. Hoc idem, ſi tibi uidetur, fac ante oculos tibi proponas. Modò uno

Apte exprimit ſermonẽ cogitantis.

A maiore ad minus.

tempore tot uiri clariſſimi interierũt: de Imperio præterea tanta diminutio facta eſt: omnes prouinciæ conquaſſatæ ſunt: in unius mulierculæ animula ſi iactura facta eſt, tantopere commoueris? quæ ſi hoc tempore non ſuum diem obiiſſet, paucis pòſt annis tamen ei mòriendum fuit: quoniam homo nata fuerat. Etiam tu ab hiſce rebus animum ad cogitationem tuam auoca: atq; ea potius reminiſcere, quæ digna tua perſona ſunt: illam, quadiu ei opus fuerat, uixiſſe, unà cum Republica fuiſſe: te patrem ſuum Prætorem, Conſulem, Augurem uidiſſe: adoleſcentibus primarijs nuptam fuiſſe: omnibus bonis probè perfunctam eſſe: cùm Reſpublica occideret, uita exceßiſſe. Quid eſt quod tu aut illa cum fortuna hoc nomine queri poßitis? Deniq; noli te obliuiſci Ciceronem eſſe, & eum, qui alijs conſueueris præcipere, & dare conſilium: neque imitare malos medicos qui in alienis morbis profitẽtur ſe tenere medicinæ ſcientiam, ipſi ſe curare non poſſunt: ſed potius, quæ alijs tute præcipere

A mortis neceſſitate.

A tempore, quanto, & q̃ floręte uixit.

A perſona Ciceronis.

A ſimili.

Collatio casuũ, quæ dolorẽ minuunt temporis & rationis.

cipere soles, ea tute tibi subijce, atq; apud animum propone: Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat, atq; molliat. Hoc te expectare tempus, tibi turpe est, ac nõ ei rei sapientia tua te occurrere. Quòd si quis etiam inferis sensus est, qui illius amor in te fuit, pietasq; in omnes suos, hoc certè illa te facere nõn uult.

Adfectus admiscet.

Ab obtestatione.

Da hoc illi mortuæ: da cæteris amicis, ac familiaribus, qui tuo dolore mœrent: da patriæ: ut, si qua in re opus sit, opera, & consilio uti tuo possit. Deniq;, quoniam in eam fortunam deuenimus, ut etiam huic rei nobis seruiendum sit: noli committere, ut quisquam te putet non tam filiam, quàm Reipublicæ tempora, & aliorum uictoriam lugere. Plura me ad te hac de re scribere pudet, ne uidear prudẽtiæ tuæ diffidere. Quare si hoc unũ proposuero, finem faciam scribendi. Vidimus aliquoties secundam pulcherrimè te ferre fortunã, magnamq; ex ea re te laudem adipisci: fac aliquando intelligamus, aduersam quoq; te æquè ferre posse, neq; id maius, q̃ debeat tibi onus uideri: ne ex omnibus uirtutibus hæc una tibi uideatur deesse. Quod ad me attinet, cùm te tranquilliori animo esse cognouero, de ijs rebus, quæ hîc geruntur, quemadmodumq; se prouincia habeat, certiorem faciam. Vale.

Correctio.

A secunda fortuna.

Ab honesto.

Conclusio.

ARG. EPIST. SEQ.

Hæc epistola est propemodum confutatio & responsio ad epistolam Seruij. Exordium sumptum est a comparatione officij & literarum Seruij. Deinde sequitur propositio, quæ habet concessionem qua prædicat se hanc consolationem admittere.

M. T. C.

M. T. C. Seruio Sulpitio S. P. D. 48

Ego uerò Serui uellem, ut scribis, in meo grauissimo casu affuisses. Quantum enim præsens me adiuuare potueris & consolando, & propè æquè dolendo: facilè ex eo intelligo, quòd literis tuis lectis, aliquantum acquieui. Nam & ea scripsisti, quæ leuare luctum possent: & in me consolando, non mediocrem ipse animi dolorem adhibuisti. Seruius tamẽ tuus omnibus officijs, quæ illi tempori tribui potuerũt, declarauit, & quanti ipse me faceret, & quàm suum talem erga me animum tibi gratum putaret fore: cuius officia iucundiora scilicet sæpe mihi fuerũt, nunquam tamen gratiora. Me autem non oratio tua solùm, & societas penè ægritudinis, sed etiam autoritas consolatur. Turpe enim esse existimo, me non ita ferre casum meum, ut tu tali sapientia præditus ferendum putas. Sed * opprimor interdum, & uix resisto dolori: quòd ea me solatia deficiunt, quæ cæteris, quorum mihi exempla propono, simili in fortuna non defuerunt. Nam & Qu. Maximus, qui filium Consularem clarum uirum, & magnis rebus * gestis amisit: & L. Paulus, * qui duos septẽ diebus: & noster Gallus, & Marcus Cato, qui summo ingenio, summa uirtute filium perdidit: ijs temporibus fuerunt, ut eos tum ipsorum dignitas consolaretur ea, quam ex Republica consequebãtur. Mihi autem amissis ornamentis ijs, quæ ipse commemoras, quæq; eram maximis laboribus adeptus: unum manebat illud solatium, quod ereptum est. Non amicorũ negotijs, non Reipublicæ procuratione impediebantur

Responsoria ad consolatoriam. Exorditur ab effectu cõsolationis Sulpitij.

Prædicat officia Seruij.

Quid Cicero nẽ cõsoletur. Ab autoritate Sulpitij.

Cur aliquando opprimatur dolore, narrat.

Correctio. Ab exemplorum dissimilitudine.

Lege Liuiũ lib. xlv. Ostendit exemplorũ dissimiljtudinẽ, cum amplificatione bonorum, quæ in morte Tulliæ amsit.

diebantur cogitationes meæ: nihil in foro agere libebat: aspicere curiam nõ poteram: existimabam id, quod erat, omneis me & industriæ meæ fructus, & fortunæ perdidisse. Sed cùm cogitarem hæc mihi tecum, & cum quibusdam esse communia: & cùm frangerem iam ipse me, cogeremq; illa ferre toleranter: habebam quò confugerem, ubi conquiescerem, cuius in sermone, & suauitate omneis curas, doloresq; deponerem. Nunc autem hoc tam graui uulnere, etiam illa, quæ † consenuisse uidebantur, recrudescunt. Non enim, ut tum me à Republica mœstum domus excipiebat, quæ leuaret: sic nunc domo mœrens ad Rempublicam confugere possum, ut in eius bonis acquiescam. Itaq; & domo absum, & foro, quòd nec eum dolorem, quem à Republica capio, domus iam consolari potest, nec domesticum Respublica. Quò magis te expecto, teq; uidere quàmprimum cupio. Maior mihi leuatio afferri nulla potest, quàm coniunctio consuetudinis, sermonumq; nostrorum: quanquam sperabam tuum aduentum (sic enim audiebam) appropinquare. Ego autem cùm multis de causis te exopto quàmprimum uidere: tum etiam ut antè commentemur inter nos, qua ratione nobis traducendum sit hoc tempus, quod est totum ad unius uoluntatem accommodandum & prudentis, & liberalis, & (ut perspexisse mihi uideor) nec à me alieni, & tibi amicissimi. Quod cum ita sit, magnæ tamen est deliberationis, quæ ratio sit ineunda nobis non agendi aliquid, sed illius † concessu, & beneficio quiescendi. Vale.

† consanuisse. Expolitio inuersionis.

Cur Sulpitiũ desideret.

Conclusio, quod ipsum expectet.

† consensu

ARG.

ARG. EPIST. SEQ.

Quanquam uidetur hæc epistola esse longior, tamen non habet tantum argumentorum, quantum præcedens, & est fere tota narratio quædam. Suasoria autem est. Et orditur a cõprobatione consilij Marcelli. Deinde sequitur narratio, quæ continet enumerationem altius repetitam consiliorũ Marcelli, de initio ciuilis belli, & de deponendis armis: postea addit suum consilium, quo figurate hortatur eum ne recuset redire Romam. Argumenta sunt sumpta a periculo, item a re familiari Marcelli. Est eleganter scripta hæc epistola, quia habet multas sententias de ciuilibus bellis, & multum habet urbanitatis.

M. T. C. Marco Marcello S. P. D. 49

ETsi eo te adhuc consilio usum intelligo, ut id reprehendere nõ audeam, non quin ab eo ipse dissentiam, sed quòd ea tesapientia esse iudicem, ut meũ consilium non anteponam tuo: tamen & amicitiæ nostræ uetustas, & tua summa erga me beneuolentia, quæ mihi iã à pueritia tua cognita est, me hortata est, ut ea scriberem ad te, quæ et saluti tuæ cõducere arbitrarer, & non aliena esse ducerem à dignitate. Ego eum te esse, qui horũ malorum initia multò antè uideris, qui consulatũ magnificentissimè, atq; optimè gesseris, præclarè memini, sed idem etiam illa uidi, neq; te consilium ciuilis belli ita gerendi, neq; copias Cnei Pompeij, nec genus exercitus probare, semperq; summè diffidere. qua in sententia me * quoq; fuisse, memoria tenere te arbitror. Itaq; neq; tu multum interfuisti rebus gerendis: & ego id semper egi, ne interessem. Nõ enim ijs rebus pugnabamus, quibus ualere poteramus, consilio, autoritate, causa, quæ erant in nobis † superiora: sed lacertis, et uiribus, quibus pares non eramus. Victi sumus igitur: aut: si uinci dignitas non potest, fracti certè, & abiecti. In quo tuum consilium

Suasoria epistola. Exorditur a laude prudentiæ & cõsilij Marcelli quod honestum quidem esse dicit, sed ut iam tempora quidem sunt, mutandum.

A consilio Marcelli in bello ciuili.

Epist. iij. lib. vij. & xviij lib. ix.

nemo potest non maximè laudare, quòd cũ spe uincendi simul abieciſti certandi etiam cupiditatem: oſtendiſtiq; ſapientem, & bonum ciuem initia belli ciuilis inuitum ſuſcipere, extrema non libenter perſequi. Qui nõ idem conſilium, quod tu, ſecuti ſunt, eos uideo in duo genera eſſe diſtractos. aut enim renouare bellum conati ſunt, & hi ſe in Aphricam contulerunt: aut, quemadmodum nos, ſe uictos eſſe crediderunt. Medium quoddam tuum conſilium fuit, qui hoc fortaſſe humilis animi duceres, illud pertinacis. Fateor à pleriſq; (uel dicã ab omnibus) ſapiens tuum conſilium, à multis etiam magni ac fortis animi iudicatum. Sed habet iſta ratio (ut mihi quidem uidetur) quendam modũ: præſertim cũ tibi nihil deeſſe arbitrer ad tuas fortunas omneis obtinendas, præter uoluntatem. Sic enim intellexi, nihil aliud eſſe, quod dubitationem afferret ei, penes quem eſt poteſtas, niſi quòd uereretur, ne tu illud beneficium omnino non putares. De quo quid ſentiam, nihil attinet dicere: cũ appareat, ipſe quid fecerim. Sed tametſi iam ita conſtituiſſes, ut abeſſe perpetuò malles, quàm ea, quæ nolles, uidere: tamen id cogitare deberes, ubicunq; eſſes, te fore in eius ipſius, quẽ fugeres, poteſtate: qui ſi facilè paſſurus eſſet, te carentem patria, & fortunis tuis quietè, & liberè uiuere: cogitandum tibi tamen eſſet, Romæne, & domi tuæ, cuiuſmodi res eſſet: an Mitylenis, aut Rhodi malles uiuere. Sed cum ita latè pateat eius poteſtas, quem †uereamur, ut terrarum orbem complexa ſit: non ne mauis ſine periculo domi tuæ eſſe, quàm cum periculo alienæ?

Aliorũ conſilium de bello ciuili.

Suadet ut mutet conſilium de non repetenda Roma.

A uoluntate Cæſaris.

A cõſilio Cæſaris quo prorogetur reſtaurationẽ Marcelli.

A periculis.

Ab ineſſugibili Cæſaris poteſtate.

† quam

A minore periculo.

Equidem

Equidem etiam ſi oppetenda mors eſſet, domi, atq; in patria mallem, quàm in externis, atq; alienis locis. Hoc idem omnes, qui te diligunt, ſentiunt: quorum eſt magna pro tuis maximis clariſsimisq; uirtutibus multitudo. Habemus etiam rationẽ rei familiaris tuæ, quàm diſsipari nolumus. Nam etſi nullã poteſt accipere iniuriam, quæ futura perpetua ſit: propterea quòd neq; is, qui tenet Rempub. patietur, neq; ipſa reſpub. tamen impetũ prædonum in tuas fortunas fieri nolo. Hi autem qui eſſent, auderem ſcribere, niſi te intelligere confiderem. Hîc te unius ſolicitudines, unius etiam multæ, & aſſiduæ lacrymæ C. Marcelli fratris optimi deprecantur: nos cura, & dolore proximi ſumus: precibus apud Cæſarem tardiores, quòd ius adeundi, cum ipſi † deprecatore eguerimus, non habemus. Gratia tantum poſſumus, quantum uicti. Sed tamen conſilio, ſtudio, Marcello non deſumus. À tuis, reliquis non adhibemur: ad omnia parati ſumus. Vale.

A patriæ amore.

A communi ſententia amicorum Marcelli.

Narrat Marcello de uera reiũ familiarium ratione.

A fratris aſſiduã deprecatione.

† deprecatione.

ARG. EPIST. SEQ.

Suaſoria eſt. Exordium ſumptum eſt uerecunde a reiectionibus & diuiſionibus, donec peruenit eo, ut polliceatur officium. Deinde ſubijcit conſilium de reditu. Rationes breues ſunt a periculis & commodis, & a clementia Cæſaris ſumptæ.

M. T. C. S. D. M. Marcello. § 50

Propoſitio, per dilemma Suaſoria eſt, ſeu hortatoria epiſtola.

NEq; monere te audeo, præſtanti prudentia uirum: nec confirmare maximi animi hominem, uirumq; fortiſsimum: conſolari uerò nullo modo. * Nam ſi ea quæ acciderunt, ita fers, ut audio, gratulari magis uirtuti debeo, quàm conſolari dolorem tuum: ſin te tanta

Ab inſinuatione exordium.

Ratio ex dilemmate.

Differt officium suum.

Hortatur Marcellum, ut in patriam redire uelit.

Ab hominũ iudicio.

Correctio, ut redire nolit.

† putent

A tempore

A loci opportunitate.

A Cæsaris fauore, persona & erga ingenios os.

Conclusio.

mala Reipub. frangunt, nõ ita abundo ingenio, ut te cõsoler, cum ipse me non posim. * Reliquum est igitur, ut tibi me in omni re eum præbeam, præstemq; ut ad omnia quæ tui uelint, ita sim præstò, ut me non solum omnia debere tua causa quæ possum: sed ea quoq; quæ non posim, putem. † Illud tamen multum me monuisse, uel censuisse puta, uel propter beneuolentiã tacere non potuisse: ut, quod ego facio, tu quoq; animum inducas, si sit aliqua Respub. in ea te esse oportere iudicio hominum, req; principem necessitate cedentem tempori: sin autem nulla sit, hunc tamen aptissimum esse etiam ad exulandum locum. Si enim libertatem sequimur: qui locus hoc dominatu uacat? sin qualem cunq; locũ: qui est domestica sede iucundior? Sed mihi crede, etiam is qui omnia tenet, fauet ingenijs: nobilitatem uerò, & dignitatem hominum, quantũ ei res, & ipsius causa cõcedit, amplectitur. Sed plura, quàm statuerã. Redeo ergo ad unum illud: me tuum fore cum tuis, si modò erunt tui: sin minus, me certè in omnibus rebus satis nostræ coniunctioni amoriq; facturum. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Suasoria & hæc est, quia hæ omnes habent idem argumentum. Orditur ab occasione scribendi. Deinde est propositio ut redeat. Sequuntur confutationes. Prima de aspectu. Hinc opponit simile incommodum de fama. Secundo de periculis in dicenda sententia. Hæc primũ extenuat, deinde addit instantiam incõmodi. Victore Pompeio si tum eras redituru s, & nunc redeas. Et hic infertur amplificatio de bellorũ ciuilũ, uictorijs. Tertio additur ratio, quæ significat fore ut pertinacia eius reprehendatur, nisi redeat, & additur pathos a patria. Quarto sumitur ratio a multis causis turpitudinis. Superbij est aspernari uictoris beneficia. Item duri est, non desiderare patriam. Item stultum est negligere rem familiarem.

M. T. C.

M. T. C. M. Marcello S. P. D. 51

Hortatoria epistola.

Exorditur a persona Theophili liberti cuius gratia motus sit ad has scribendas literas.

Propositio hortationis ut redeat.

Occupatio obiectionis.

Ab acerbitate audiendi mala, quæ nõ molestior sit, quam mala uidendi.

Occupatio aliarum obiectionum.

Pompeium intelligit.

Confirmatio a pari.

Instantia.

A maiore ad minus.

ETsi perpaucis antè diebus dederam Qu. Mutio literas ad te plurimis uerbis scriptas, quibus declarauera m, quo te animo censerem esse oportere, & quid tibi faciendum arbitrarer: tamen cum Theophilus libertus tuus proficisceretur, cuius ego fidem erga te, beneuolentiamq; perspexeram, sine meis literis eum ad te uenire nolui. Iisdem igitur de rebus etiam atq; etiam hortor, quibus superioribus literis hortatus sum: ut in ea Republica, quæcunq; est, quàm primũ uelis esse. Multa uidebis fortasse, quæ nolis: nõ plura tamen, quàm audis quotidie. Non est porrò tuum uno sensu solùm oculorum moueri: cùm illud idem auribus percipias, quod etiam maius uideri solet, minus laborare. At tibi ipsi dicendum erit aliquid, quod non sentias: aut faciendum, quod non probes. Primùm tempori cedere, id est, necessitati parêre, semper sapientis est habitum. deinde non habet, ut nunc quidem est, id uitij res. dicere fortasse, quæ sentias, non licet: tacere planè licet. Omnia enim delata ad unũ sunt. Is utitur consilio, ne suorũ quidem, sed suo. Quod nõ multò secus fieret, si is Rempubliçam teneret, quem secuti sumus. An qui in bello, cùm omnium nostrum coniunctum esse periculum suo cerneret, certorum hominum minimè prudentiam consilio uteretur: eum magis communem censemus in uictoria futurum fuisse, quàm in cæteris in rebus fuisset? & qui nec te Cõsule tuum sapientissimũ consilium secutus esset, nec fratre tuo Consulatum ex autoritate tua gerente, nobis autoribus uti uoluerit,

uoluerit, nunc omnia tenentem, nostras sententias desideraturum censes fuisse? Omnia sunt misera in bellis ciuilibus: quæ maiores nostri ne semel quidem, nostra ætas sæpe iam sensit. sed miserius nihil, quàm ipsa victoria: quæ etiam si ad meliores uenit, tamen eos ipsos ferociores, impotentioresq; reddit: ut, etiam si natura tales non sint, necessitate esse cogantur. Multa enim victori, eorum arbitrio, per quos uicit, etiam inuito, facienda sunt. An * tu non uidebas mecum simul quàm illa crudelis esset futura victoria? igitur tunc quoq; patria careres, ne, quæ nolles, uideres? Non, inquies: ego enim ipse tenerem opes, & dignitatem meam. At erat tuæ uirtutis, in minimis tuas res reponere: de Repub. uehementius laborare. Deinde, qui finis istius cõsilij est? nam adhuc & factum tuum probatur: &, ut in tali re, etiam fortuna laudatur: factum, quòd & initium belli necessariò secutus sis, & extrema sapienter persequi nolueris: fortuna: quòd honesto otio tenueris & statum, & famam dignitatis tuæ. Nunc uerò nec locus tibi ullus dulcior esse debet patria: nec eam diligere minus debes, quòd deformior est, sed misereri potius: nec eam multis claris uiris orbatam, priuare etiam aspectu tuo. Deniq; si fuit magni animi non † esse supplicem victori: uide ne superbi sit, aspernari eiusdem liberalitatem: & si sapientis est carere patria, duri non desiderare, & si Respublica non possis frui, stultum est nolle priuata. Caput illud est: ut si ista uita tibi commodior esse uideatur, cogitandum tamen sit, ne tutior non sit. magna est gladiorum

Epiphonema. A natura belforũ ciuilium

Repetit instantiam. Alia occupatio obiectionis. Ab officio prudentis uiri, & reipub. studiosi.

A charitate, quam debeat patriæ. Confirmatio Antithesi oratio est expolita.

†isse, et Al. fuisse.

Antipophora.

gladiorum licentia: sed in externis locis minor etiam ad facinus uerecundia. Mihi salus tua tantæ curæ est, ut Marcello fratri tuo aut par, aut certè proximus sim. Tuum est consulere temporibus, & incolumitati, & uitæ, & fortunis tuis. Vale.

Conclusio

ARG. EPIST. SEQ.

Suasoria epistola, qua suadet ut redeat, & accedant obiter quædam pathi, confutationes & rationes breuissimæ.

M. T. C. M. Marcello S. P. D. 10 52

ET si nihil noui, quod ad te scriberem, habebam, magisq; literas tuas iam expectare incipiebam, uel te potius ipsum: tamen * cùm Theophilus proficisceretur, non potui nihil ei literarum dare. Cura igitur, ut quàm primũ uenias: uenies enim, mihi crede, expectatus, neq; solùm nobis, id est, tuis, sed prorsus omnibus. Venit enim mihi in mentem, subuereri interdum, ne te delectet tarda * discessio. Quòd si nullum haberes sensum nisi oculorum, prorsus tibi ignoscerẽ, si quosdam nolles uidere: sed cum leuiora nõ multò essent, quæ audirentur, quàm quæ uiderentur: suspicarer autem multum interesse rei familiaris tuæ, te quàm primum uenire, idq; in omneis partes ualere: putaui ea de re te esse admonendum. Sed quoniam quod mihi placeret, ostendi: reliqua tu pro tua prudentia considerabis. Me tamen quod ad tempus te expectemus, certiorem facias, uelim. Vale.

Exordiũ ab occasione scribendi. Hortatoria epistola. Propositio A persona Theophili in bellionis est ductum exordium. Ab expetitione. †decessio A molestia audiendi mala, quæ non minus acerba sit, quam uidendi.

Conclusio

ARG. EPIST. SEQ.

Narratio est, qua significat Marcellus se rediturum in urbem. Initio aũt apte amplificat autoritatẽ Ciceronis per collationem, ut in aliis rebus, ita uel maxime in hoc negocio cerni posse quantũ Ciceroni tribuat. Deinde sequitur amplificatio officij Ciceronis a rẽpore, quod tali tempore fidẽ præstiterit. Cõclusio habet suauissimũ

ithos. Alijs rebus se carere posse, sed cum talibus amicis se libentissime futurum esse. Translatio est ualde arguta, qua confert causam reditus, non in rerũ suarũ cupiditatem, sed in amicorum desiderium, quæ causa est multo humanior & dignior bono uiro.

M. Marcellus M. Ciceroni S. 53

Exordiũ ex cõprobatione consilij Ciceronis. Responsoria ad hortatoriam. Captat bene uolentiam ab autoritate Ciceronis, qui in omni re apud se plurimum ualuerit, adeo ut quod frater ab ipso impetrare non poterat, Cicero impetrarit. Gratam sibi gratulationẽ Ciceronis fuisse ostendit. Cur redire in urbem uelit. Conclusio.

PLurimum ualuisse apud me tuam semper autoritatem, cùm in omni re, tum in hoc maximè negotio, potes existimare: quòd cùm mihi C. Marcellus frater amantissimus mei, non solum consilium daret, sed precibus quoq; me obsecraret: nõ prius mihi persuadere potuit, quàm tuis est effectum literis, ut uterer uestro potissimum consilio. Res quemadmodum sit acta, uestræ literæ mihi declarant. Gratulatio tua etsi est mihi probatissima, quod ab optimo fit animo: tamen hoc mihi multò iucundius est, & gratius, quòd in summa paucitate amicorum, propinquorũ, ac necessariorum, qui uerè meæ saluti fauerent, te cupidissimum mei, singularemq; mihi beneuolentiam præstitisse cognoui. Reliqua sunt eiusmodi, quibus ego, quoniam hæc erant tempora, facilè, & æquo animo carebam. hoc uerò eiusmodi esse statuo, ut sine talium uirorum, & amicorum beneuolentia, neq; in aduersa, neq; in secunda fortuna quisquam uiuere possit. Itaq; in hoc ego mihi gratulor. Tu uerò intelliges, homini amicissimo te tribuisse officium, re tibi præstabo. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

In exordio præmunit animos mentione loci communis de inconstantia rerum humanarum. Deinde consumitur epistola tota in uarratione de morte Marcelli.

SERVIVS

Exordium dubium et præmunitorium

Seruius Sulpitius M. T. Ciceroni. S. 54

ET si scio non iucundissimum nuntium me uobis allaturum: tamen quoniam casus & † natura in nobis dominatur, uisum est faciendum, quoquo modo res se haberet, uos certiores facere. Ad X Calend. Iunij, cum ab Epidauro Piræum naui aduectus essem, ibi Marcellum collegam nostrum conuenit, eumq; diem ibi consumpsi, ut cum eo essem. Postero die cum ab eo digressus essem eo consilio, ut ab Athenis in Bœotiam irem, reliquamq; iurisdictionem absoluerem: ille, uti aiebat, † supremo Maio Italiam uersus nauigaturus erat. Postridie eius diei, cum ab Athenis proficisci in animo haberem, circiter horã decimã noctis P. Posthumius familiaris eius ad me uenit, et mihi nuntiauit M. Marcellum collegam nostrum post cœnæ tempus à P. Magio Chilone * familiari eius pugione percussum esse: & duo uulnera accepisse, unum in stomacho, alterũ in capite secundum aurem: sperare tamen eum uiuere posse. Magium seipsum interfecisse: poste à se à Marcello ad † me missum esse, qui hæc nuntiaret, et rogaret, uti cogerem medicos. Coëgi, & è uestigio eò sum profectus prima luce. cum non longè à Piræo abessem, puer Acidini obuiam mihi uenit cum codicillis, in quibus erat scriptum, paulò antè lucem Marcellum diem suũ obijsse. Ita * uir clarissimus ab homine teterrimo acerbissima morte est affectus: & cui inimici propter dignitatem pepercerant, inuentus est amicus, qui ei mortem afferret. Ego tamen ad tabernaculũ eius perrexi: inueni duos liber-

Nuntiatoria est epistola. † fortuna Ab insinuatiuncula. Narratio.

† supra Maleas: uel, supremæ æstate.

Cliente ægre ferente.

† te

Amplificatio cædis Marcelli, a persona eiusdem.

A persona interfectoris. Epiphonema.

tos, & pauculos seruos: reliquos aiebant profugisse metu perterritos, quòd dominus eorũ ante tabernaculũ interfectus esset. Coactus sum in eadẽ illa lectica, qua ipse delatus eram, meisq; lecticarijs in urbem eum referre: ibiq; pro ea copia, quæ Athenis erat, funus ei satis amplum faciendũ curaui. Ab Athenienſibus, locum sepulturæ intra urbem ut darent, impetrare non potui, quòd religione se impediri dicerent: neq; tamen id antea cuiquam concesserant. Quod proximũ fuit, ut in quo uellemus Gymnasio eum sepeliremus, nobis permiserunt. Epilogus. Propter Platonem. Nos in nobilissimo orbis terrarũ Gymnasio Academiæ, locum delegimus, ibiq; eum combussimus: posteaq; curauimus, ut ijdem Athenienses in eodem loco monumentũ ei marmoreum faciendum locarent. Ita, quæ nostra officia fuerũt, pro collegio, & propinquitate, & uiuo & mortuo omnia ei præstitimus. Consolatus Vale. Datæ Piræi, Calen. Iun. Athenis.

ARG. EPIST. SEQ.

Hæc sequens est Ciceroniana, splendida, magnifica. Consolatoria est, & tota uersatur in perpetua distributione. Initio instituitur reiectio per distributionem. Nec lętum tempus literarũ, nec aptum tristi tempori inuenio. Id cum sit duplex, alterum reijcitur, alteri attexitur ratio, quæ continet grauissimam querelam præsentis status, quæ etiam distributione constat: Careo amicis, dignitate, & potentia. Sequitur altera pars de consolatione, quæ est duplex. Reijcit enim consolationem, quæ sumitur a doctrina: instituit alteram, in qua bene promittit de reditu. Atq; hęc est uelut principalis propositio epistolæ. Adduntur rationes ex uoluntate Cæsaris, & forma Reipub. In conclusione pollicetur ei sua officia.

M. T. C. P. Nigidio Figulo S. P. D.

Consolatoria epistola.

VErenti mihi iamdiu quid ad te potissimum scribe-rem, non modò certa res nulla, sed ne genus quidem

literarũ usitatum ueniebat in mentẽ. Vnã enim partẽ, & consuetudinẽ earũ epistolarũ, quibus secundis rebus uti solebamus, tempus eripuerat: perfeceratq; fortuna, ne quid tale scribere possem, aut omnino cogitare. Relinquebatur triste quoddã, & miserũ, & his tẽporibus consentaneũ genus literarum: id quoq; deficiebat me, in quo debebat esse aut promissio auxilij alicuius, aut consolatio doloris tui. Quod pollicerer, non erat: ipse enim pari fortuna abiectus, aliorũ opibus casus meos sustentabã: sæpiusq; mihi ueniebat in mentẽ queri quòd ita uiuerem, quam gaudere quod uiuerẽ. Quanq; enim nulla meipsum priuatim † pepulit insignis iniuria: nec mihi quicquam tali tempore in mentẽ uenit optare, quod non ultro mihi Cæsar detulerit: tamen nihilominus eis consilior curis, ut ipsum, quòd mea in ulla, peccare me existimem: careo enim cùm familiarissimis multis, quos aut mors eripuit nobis, aut distraxit fuga: tum omnibus amicis, quorũ beneuolentiã nobis conciliarat per me quondam te socio defensa Resp. uersorq; in eorũ naufragijs, & bonorũ direptionibus: nec audio solùm, quod ipsum esset miserũ, sed etiã idipsum uideo, quo nihil acerbius, eorũ fortunas dissipari, quibus nos olim adiutoribus illud incendiũ extinximus: & in qua urbe modò gratia, autoritate, gloria floruimus, in ea nũc ijs quidẽ omnibus caremus. Obtinemus ipsius Cæsaris summã erga nos humanitatẽ: sed ea plus nõ potest, quis, & mutatio omniũ rerũ, atq; temporũ. Itaq; orbus ijs rebus omnibus, quibus et natura me, & uolũtas, et cõsuetudo assuefecerat: cum

Exorditur Cicero a querela quod sibi nec festiua epistola nec lamentatoria uti liceat.

† perculit

Amplificatio ab indignitate. A M. Antonio, & reliquis Cæsarianis.

cùm cæteris, ut quidem uideor, tum ipsi mihi displiceo. Natus enim ad agendum semper aliquid dignum uiro, nunc non modò agendi rationem nullam habeo, sed ne cogitandi quidem: et qui antea aut obscuris hominibus, aut etiam sontibus opitulari poteram, nunc P. Nigidio uni omniũ doctissimo, & sanctissimo, & maxima quondam gratia, & mihi certe amicissimo, ne benigne quidem polliceri possum. Ergo hoc ereptum est literarum genus. *Reliquum est, ut consoler, & afferam rationes, quibus te à molestijs coner abducere. At ea quidem facultas uel tui, uel alterius consolandi, in te summa est, si unquam in ullo fuit. Itaq; eam partem, quæ ab exquisita quadam ratione, & doctrina proficiscitur, non attingam, tibi totam relinquã. Quid sit fortí & sapienti homine dignum, quid grauitas, quid altitudo animi, quid acta tua uita, quid studia, quid artes, quibus à pueritia floruisti, à te flagitent, tu uidebis. Ego quod intelligere, & sentire possum, quia sum Romæ, & quia curo, attendoq; id tibi affirmo, te in istis molestijs, in quibus es hoc tempore, non diutius futurum: in ijs autem in quibus etiã nos sumus, fortasse semper fore. Videor mihi perspicere primùm ipsius animum, qui plurimum potest, propensum ad salutem tuam. Non scribo hoc temere, quò minus familiaris sum, hoc sum ad inuestigandum curiosior. Quò facilius, quibus est iratior, respondere tristius possit: hoc est adhuc tardior ad te molestia liberandum. Familiares uerò eius, & ij quidem qui illi iucundissimi sunt, mirabiliter de te & loquũtur, & sentiunt. Accedit

Propositio cõsolationis.

Conclusio exordij. Transitio.

Congeries argumẽtorum. A uarijs rebus consolatur per occupationem. A temporis breuitate, quo Figulus in molestijs fuisset.

Prima ratio, à Cæsaris uoluntate.

Occupatio obiectionis.

A fauore familiarium Cęsaris.

Accedit * eôdem uulgi uoluntas, uel potius consensus omnium: etiam illa, quæ minimum nunc quidem potest (sed possit necesse est) Respublica, quoscunq; uiros habebit, ab ijs ipsis quibus tenetur, de te propediem (mihi crede) impetrabit. Redeo * igitur ad id, ut iam tibi etiã pollicear aliquid, quod primo omiseram. Nam & cõplectar eius familiarissimos, qui me admodum diligunt, multumq; mecum sunt: & in ipsius consuetudinẽ, quam adhuc meus pudor mihi clausit, † insinuabo: & certè omneis uias persequar, quibus putabo ad id, quod uolumus, peruenire posse. In hoc toto genere plura faciam, quàm scribere audeo. Cætera, quæ tibi à multis prompta esse certò scio, à me sunt paratissima. nihil in re familiari mea est, quod ego malim meũ esse, quàm tuum. Hac de re, & de hoc genere toto, hoc scribo parcius, quòd te, id quod ipse confido, sperare te malo esse usurũ tuis. Extremum illud est, ut te horter, & obsecrem, animo ut maximo ijs nec ea solum memineris, quæ ab alijs magnis uiris accepisti, sed illa etiam, quæ ipse ingenio, studioq; peperisti: quæ si colliges, & sperabis omnia optinẽ, & quæ accident, qualiacunq; erũt, sapienter feres. Sed hæc tu melius uel optimè omnium. Ego quæ pertinere ad te intelligã, studiosissimè omnia diligentissimèq; curabo: tuorumq; tristissimo meo tempore meritorum erga me memoriam conseruabo. Vale.

Secũda ratio a reipub. conditione.

A uulgi uoluntate & cõsensu.

Correctio superioris epistolæ.

A suo studio.

A sua opera paratissima.

Correctio, quod aliquid promittat.

† insinuabor.

Cõclusio ab hortatione, obsecratione & ex locis honestatis.

ARG. EPIST. SEQ.

Orditur a narratiuncula, quæ continet argumenta literarum Planci, postea refellit Planci literas de dignitate, idq; amplificat definitione dignitatis & conscientia consiliorum. Postea respondet ad

ad gratulationem deducta uxore. Credo hanc epistolam scriptam esse ante profectionem ultimam Cæsaris in Italiam, & antequam ciuile bellum plane erat finitum. Cicero tum repudiata Terentia, duxit aliam uxorem.

M. T. C. Cn. Planco S. P. D. 56

Narratio Responsoria ad gratulatoriam.

BRis mihi gratulabare, quòd audisses me meam pristinam dignitatem obtinere: alteris dicebas te uelle, quæ egissem, benè, & feliciter euenire. Ego autem, si dignitas est bene de Republica sentire, et bonis uiris probare quod sentias, obtineo dignitatem meam. sin autem in eo dignitas est, quòd sentias, aut re efficere, si possis, aut deniq; libera oratione defendere: ne uestigium quidem ullum est reliquum nobis dignitatis: agituṙq; præclare, si nosmetipsos regere possumus, ut ea, quæ partim iam adsunt, partim impendent, moderatè feramus: quod est difficile in eiusmodi bello, cuius exitus ex altera parte cædem ostentat, ex altera seruitutem. Quo* in periculo nonnihil me consolatur, cùm recordor hæc me tum uidisse, cùm secundas etiam res nostras, non modò aduersas pertimescebã, uidebam q; quanto cũ periculo de iure publico disceptaretur armis. Quibus si ij uicissent, ad quos ego paucis spe, non belli cupiditate adductus accesseram, intelligebam tamen & iratorum hominum, & cupidorum, & insolentium quàm crudelis esset futura victoria: sin autem uicti essent, quantus interitus esset futurus ciuium, partim amplissimorum, partim etiam optimorum: qui me hæc prædicentem, atq; optimè consulentem saluti suæ, malebãt nimiũ timidum, quàm satis prudentem

Quid præuiderit Cicero ante bellũ ciuile inter Pompeium et Cæsarem.

Amplificatio, de consilijs suis.

Correctio

prudentem existimari. Quòd * autem mihi de eo, quod egerim, gratularis: te ita uelle certò scio: sed ego tam misero tempore nihil noui consilij cepissem, nisi in reditu meo nihilo meliores res domesticas, quàm Rempublicam offendissem. Quibus enim pro meis immortalibus beneficijs charissima mea salus, & meæ fortunæ esse debebant: cum propter eorum scelus nihil mihi intra meos parietes tutum, nihil insidijs uacuum uiderẽ, nouarum me necessitudinum fidelitate contra ueterum inimicorum perfidiam, muniendũ putaui. Sed de nostris rebus satis, uel etiam nimium multa. * De tuis uelim, ut eo sis animo, quo debes esse: id est, ut ne quid tibi præcipuè timendum putes. Si enim status erit aliquis ciuitatis, quicunq; erit, te omniũ periculorũ uideo expertem fore. Nã alteros tibi iam plãcatos esse intelligo, alteros nunq; iratos fuisse. De mea aũt in te uoluntate sic uelim iudices, me, quibuscunq; rebus opus esse intelligam, quanq; uideam, qui sim hoc tempore, & quid possim, operã tamen, & consilio, studio quidẽ certè, rei, famæ, saluti tuæ præstò futurũ. Tu uelim & quid agas, & quid acturum te putes, facias me quàm diligentissimè certiorẽ. Vale.

Responsio alteri gratulationi, & cur ad Plancum per matrimonium affinitatem cõtrahere uoluerit, explicat.

Altera pars epistolæ, de gratulatione.

Correctio Plancũ hortatur, ut animo sit forti.

Tertium ne Sotium, consolatio.

A sua uoluntate erga Plancum.

Conclusio

ARG. EPIST. SEQ.

Narratiũcula est, in qua breui partitione utitur, qua literas Plãci partim probat, partim reprehẽdit. Postea addit breuẽ cõsolationẽ.

M. C. T. Cneo Planco S. P. D. 57

ACcepi perbreues tuas literas, quibus id, quod scire cupiebam cognoscere non potui: cognoui autem id, quod mihi dubium non fuit: nam quàm fortiter feres cõmunes miserias, non intellexi: quàm me amares, facilè perspe-

Monitoria est epistola Exorditur ab hoc quod Plancus ad eum scripserat.

Propositio hortationis

perspexi, sed hoc scieram. Illud si scissem, ad id meas literas accommodassem. Sed tamen etsi antea scripsi, quæ existimaui te scire oportere: tamen hoc tempore breuiter cõmonendum putaui, ne quo periculo te proprio existimares esse: in magno omnes, sed tamen in cõmuni sumus. Quare non debes propriam fortunam aut præcipuam postulare, aut communem recusare. Quapropter eo animo simus inter nos, quo semper fuimus. Quod de te sperare, de me præstare possum. Vale.

Epilogus

DOCTISSIMORVM VIRORVM ANnotationes & castigationes in quartum librum Epist. Famil. Ciceronis.

In Epist. 1.

A D urbem) Ex Cilicia rediens.

Accessissem) non introijssem, triumphum ex rebus in Cilicia gestis expectans.

Hæc mala) Bellum ciuile inter Pompeium & Cæsarem.

In consulatu tuo) quem cum M. Claudio Marcello gessisti.

Sero ueneram) Epistola decima libro xvj.

Propius accedam) E Campano & maritima ora.

Quantum) Tantum, multi legunt.

Quoniam nihil) Propositio. Cupio tecum deliberare.

Sin autem tibi) Redit ad propositionem, ut constituat ubi colloqui uelit.

In Epist. 2.

Philotimum) Libertum meum.

Nisi quod rectum) Lege tertium librum de Officijs.

Quum optime sentiremus) Ego quidem in Campania, tu uero Romæ in senatu.

Difficultatem) Adriatico mari occupato a Dolabella, Cretensi a Curione, Sardinia a Valerio, tota pene Italia a M. Antonio.

Nihil enim construi potest) Constitui, cætera habent exemplaria, omnia recte.

Si quid recusissimum) id est, Si uolumus honeste facere, sequamur

mur Põpeiũ, Si uolumus utilitatis habere rationẽ, hic manebimus.

Si quid maxime) Diuisio.

Ergo aut) Cõclusio diuisionis, in qua omnia membra reijciuntur.

Probare oportet) Scilicet, si hic manebimus.

Omnino quum) Addit aliud membrum, querelam uidelicet.

In Epist. 3.

Superiores) Marius, Sylla, & reliqui.

Eos) Pompeium, Domitium, Scipionem & Catonem.

Perpetuis) Alij, parricidis: alij parietinis legunt.

A tuis abes) in Achaia.

Vehementer) Consolatoria.

Dolore angi) Propositio, audio te dolere.

Me quidem etsi) Transfert in se.

Iam consolantur) Primum argumentum ex consolatione recti, quæ summa consolatio ducta ex loco honestatis.

Dices) Occupatio. Illud malum maius est, quam ut ullam recipias consolationem.

Sed tamen) Secundum argumentum a proprijs ornamentis.

Reliqua sunt) Tertium argumentum simpliciter ex loco communi ductum est de studijs philosophiæ.

In Epist. 4.

L. Pisone) Cæsaris socero.

C. Marcellus) ipsius M. Marcelli frater.

Volcatium) L. Volcatium Tullium.

Eo loco) in senatu, ubi senatoris dignitas est seruanda.

Egi Cæsari gratias) in Oratione pro M. Marcello.

Accipio) Exordium ex diuisione. Probo excusationem aliqua ex parte, alia ex parte non probo.

Consilium) Narratio.

Vno te uicimus) Alia narratio.

De iure publico) Postquam ea res, quæ iure debebat dijudicari, armis dijudicata est.

Fregit hoc meum) Ratio noui consilij cur iterum incipiat dicere ueterum more.

Seruius tuus) Consuluerat Ciceronem Seruius Sulpitius utrũ deberet ex prouincia decedere: Cicero respondet nihil faciendum contra uoluntatem Cæsaris.

In Epist. 5.

Credo) Hoc uerbum habet ironiam.

Ac cogitationem tuam auoca) Omnes libri ueteres habent. Ad cogitationem tuam aduoca.

Adolescentibus primarijs) C. Pisoni Crassipedi, & Dolobellæ.

Postquam mihi) Narratio.

Et si genus) Propositio.
Cogita quemadmodum) Argumentum a maiori.
Quoties in eam) A temporum miseria, & miserijs Tulliæ futuris, si tali tempore uixisset.
Nolite obliuisci) A persona Ciceronis.
Nullus dolor est) Collatio causarum, quæ dolorem minuunt temporis & rationis.

In Epist. 6.

Rebus gestis) Arpis in Apulia captis.
L. Paulus) Lege Liuium lib xlv.
Vester) ex uestra gente Sulpitia.
Gallus) C. Sulpitius Gallus, qui cum M. Claudio Marcello Cos. fuit.
M. Cato) Censorius.
Eos tum) Alij malunt, Eorum luctum.
Consenusse, legitur etiam consanuisse.
Serui uellem) Concessio.
Vix resisto dolori) Correctio, quod magis q̃ cæteri doleat, propterea quia accedat hæc calamitas ad publicam. Et est inuersio consolationis Tullianæ, hoc modo: Antea lugens Rempublicam recreabar huius sermone, nunc amisi utrunq̃, & uetera recrudescunt.
Non enim ut quum me) Expolitio.
Ego autem quum multis) Conclusio, quod ipsum expectet.

In Epist. 7.

Gesseris) cum Seruio Sulpitio.
Me quoq̃ fuisse) Epist. iij. lib. vij.
Ne interessem) Epist. xviij. lib. ix.
Tuum consilium) Mytelenas secedendi.
Se uictos esse) Nonnulli legunt, uictori sese.
Sed tamen si) Al. sed tametsi.
Deprecatione) Dolabellæ, Trebatij, Pansæ, Hircij, Balbi, & Oppij. Legitur & Deprecatore.
Etsi eo te adhuc) Exordium a circumductione, non sapientia sed amicitia fretus scribo,
Ego eum) Narratio cõplectens res gestas & consilia Marcelli.
Habet ista ratio) Consilium suum exponit.
Abesse perpetuo) A periculis.
Vt audio) te a Cratippo instructum ferre.
Putent) Putem etiam leges.
Neq; monere) Propositio per dilemma.
Nam si ea quæ acciderunt) Ratio ex dilemmate.
In omni re) Correctio ut redire uelit.

Quod

Quod ego facio) A persona sua, qui sit.
Cedentem tempori) A locorum conditione simili.
Is qui omnia tenet) A persona Cæsaris.

In Epist. 9.

Qu. Mutio) Multi ueteres libri habent, nuncio.
Quod non multo secus fieret. in peruetere libro sic legimus: Quod multo secus fieret.
Cerdorum hominum. Libonis, L. Luceij & Theophanis, atq; Labieno.
Crudelis. Lege epist. iij. lib. vij.
Isse. Al. fuisse
Etsi perpaucis. Exordium ab occasione scribendi per certum tabellarium
Iisdem igitur. Propositio ut redeat
Multa uidebis. Dilutio eorum quæ offenderent fortasse præsentem
Quod non multo. Instantia.
Vti uoluerit. Quia Pompeius ipsa adiuuit Cæsarem ut adderetur ei quinquennium.
Omnia sunt misera. Epiphonema
Ipsa uictoria. Excusatio personæ sumpta a conditione rei scilicet a natura bellorum ciuilium.
Non inquies, ego enim ipse. Repetit instantiam
Istius consilij est. Scilicet quod ita resistis, & ne huc, nec illuc uis concedere.
Fortuna laudatur. Quod non perieris sicut Cato, Scipio, & alij multi.
Nunc uero nec locus. Confirmatio in qua sunt argumenta ut redeat

In Epist. 10.

Discessio. Decessio magis placet, ut in ueteribus libris
Quosdam. Cæsarianos cui uictoria nimis insolentes.
Etsi nihil noui. Exordium ab occasione scribendi.
Cura igitur. Propositio.
Venit enim mihi. Occupatio
Quod si nullum sensum haberes nisi oculorũ. Antipophora
Sed quum leuiora. istis audis tristiora. Item, hic poteris res tuas seruare

In Epist. 11.

Sit acta. Epist. iiij. huius libri.
Plurimũ ualuisse Exordiũ ex cõprobatione cõsilij Ciceronis
Quum mihi C. Marcellus Narrationes breuissimæ
Gratulatio tua Altera cum amplificatione.

In Epist. 12.

Me uobis. Al. me tibi.
Ad V. Calend. Iun. Al. ad X. Cal. Iun.
Supra Maias. Varie legunt docti: suprema ætate, supremo Maio, supra Maleas.
Cogerem. Hoc uerbum libri ueteres non habent.
In urbem. Athenas.
Impediri: Nam lex XII. tabularum de Solonis legibus tralatæ, ita habet. In urbe ne sepelito, neue urito.
Itaq; uir clariss. Epiphonema.

In Epist. 13.

Dispari. a M. Antonio, & reliquis Cæsarianis.
Fortasse semper fore. Al. Fortasse non semper fore.
Familiares eius. Balbus, Oppius, Hircius, & reliqui.
Horter. Alij legunt Orem.
Querenti mihi. Exordium ab enumeratione, in qua repudiat duo genera literarũ de secundis rebus, id est de promittendo auxilio, hanc partem auget commemoratione suæ calamitatis.
Ergo hoc receptum est. Conclusio exordij
Reliquum est. Transitio
At ea quidem facultas. Occupatio: potes teipsum doctrina consolari
Quid sit forti. Propositio consolationis ex utilitate & exitu calamitatis.
Videor mihi. Prima ratio a Cæsaris uoluntate
Accedit eodem uulgi. Secunda ratio a Reipub. conditione.
Extremum illud est. Consolatio ex locis honestatis.

In Epist. 14.

Quod egerim. Accepta uxore Publia: quam tamen Popiliam uocat Quintil. lib. vj. cap. iiij.
In reditu meo. Ex castris Pompeij. Eorum, Terentiæ.
Binas a te. Narratio
Ego autem. Concessio
Sin autem in eo. Correctio
Quod in periculo. Amplificatio de consilijs suis
Quod autem mihi de eo quod egerim gratularis. Altera pars epistolæ de gratulatione.
De tuis uelim. Tertium negocium, consolatio.

In Epist. 15.

B. Rutil. Aut propriam fortunam, aut præcipuam postulare, aut cõmunem recusarem. Aut secundum abundat.

M. T.

M. T. CICERONIS EPISTOLARVM FAMILIARIVM LIBER V.

ARG. EPIST. SEQ.

Narratio, in qua Metellus expostulat cum Cicerone, quod fratrem inclementius tractauerit. Quantum autem excellant Ciceronis epistolæ, ex collatione huius epistolæ cum Ciceronis epistolis intelligi potest, & uidemus, quod interſit, non tantum inter genus dicendi, sed etiam in decoro, & quatenus ad sententiam. Neque enim in sententijs est illa urbanitas, quæ est in Ciceronis epistolis. In oratione quicquid est arrogans & superbum dedecet, qualis est hæc epistola.

Q. Metellus Celer Qu. F. Proconsul M. T. Ciceroni S. P. D. 158

Si uales, bene est. Existimaram pro mutuo inter nos animo, & pro reconciliata gratia, nec me absentẽ ludibrio læsum iri, nec Metellum fratrem ob dictum capite, ac fortunis per te oppugnaturum iri. quem si parum pudor ipsius defendebat, debebat uel familiæ nostræ dignitas, uel meum studium erga uos Remq; publicam satis subleuare. Nunc uideo illum circumuentũ, me desertum, à quibus maximè conueniebat. Itaq; in luctu et squallore sum, qui prouinciæ, qui exercitui præsum, qui bellũ gero: quæ quoniam nec ratione, nec maiorũ nostrorũ clementia administratis, nõ erit mirandũ, si uos pœnitebit. Te † tã mobili in me, meosq; esse animo non sperabã. Me interea nec domesticus dolor, nec cuiusquã iniuria à Rep. abducet. Vale.

Expostulatio seu excusatio habens breuem narrationem & querelam.
Responsoria epistola.
Captat bene uolentiam a salutatione.
Expostulat cum amplificatione.
Minatur Ciceroni.
† Etiam te tam habet Long. codex.
Conclusio a suo in remp. studio immutabili.

ARG. EPIST. SEQ.

Partim purgatio, partim recriminatio est, suntq; quatuor propositiones. Ad primum respondet per inficiationem. Narrat enim quædam, ex quibus intelligi potuit se honorifice de Metello sentire. Secunda propositio habet recriminationem, quod Metellus non reddiderit parem uoluntatem, atq; ibi sua officia commemorat. Tertia breuis inficiatio est de reconciliatione. Quarta defensio est, quare cum fratre concertauerit, argumentum a magnitudine iniuriæ, aduersus quam iure tueri se debuerit. Conclusio est elegantissima. Habet enim inuersionem, item argutissimam cõcessionem, qua sibi quoq; concedi postulat defensionem.

M. T. C. Q. Metello Q. F. Celeri Proconsuli S. D. 59

Responsoria ad expostulatoriam. Exorditur a repetitione eorum, quæ scripsit in epistola præcedente Metellus.

SI tu, exercitusq; ualetis, bene est. Scribis ad me, te existimasse pro mutuo inter nos animo, & pro reconciliata gratia, nunquàm te à me ludibrio læsum iri. Quod cuiusmodi sit, satis intelligere non possum: sed tamen suspicor ad te esse allatũ, me in senatu cũ disputarem, permultos esse, qui Rempublicam à me conseruatam dolerent, dixisse: à te propinquos tuos, quibus negare non potuisses, impetrasse, ut ea, quæ statuisses tibi in Senatu de mea laude esse dicenda, reticeres. Quod cũ dicerem, illud adiunxi, mihi tecum ita dispertitũ officium fuisse in Reipublicæ salute retinenda, ut ego urbem à domesticis insidijs, & ab intestino scelere: tu Italiam & ab armatis hostibus, & ab occulta coniuratione defenderes: atq; hanc nostram tanti, & tam præclari muneris societatẽ à tuis propinquis labefactatã: qui, cũ tu à me rebus amplißimis, atq; honorificentißimis ornatus esses, timuissent, nequa mihi pars abs te uolũtatis mutuæ tribueretur. Hoc in sermone, cùm à me exponeretur, quæ mea expectatio

Inficiatio Quę in Senatu & de Metello, & propinquis eius dixerit, exponit.

expectatio fuisset orationis tuæ, quantoq; in † mœrore uersatus essem: uisa est oratio non iniucunda, & mediocris quidem * est risus consecutus, non in te, sed magis in † mœrorem meum, & quòd me abs te cupisse laudari, aperte, atq; ingenuè confitebar. Iam hoc non potest in te nõ honorificè esse dictum, me in clarißimis meis, atq; amplißimis rebus, tamen aliquod testimonium tuæ uocis habere uoluisse. * Quòd aũt ita scribis, pro mutuo inter nos animo: quid tu existimes esse in amicitia mutuum, nescio: equidem hoc arbitror, cum par uoluntas accipitur, & redditur. Ego si hoc dicam, me * tua causa prætermißisse prouinciã, tibi ipse leuior uidear esse: meæ enim rationes ita tulerunt: atq; eius mei consilij maiorem in dies singulos fructum, uoluptatemq; capio. Illud dico, me, ut primum in concione prouinciam deposuerim, statim, quemadmodũ eã tibi traderẽ, cogitare cœpisse. Nihil dico de sortitione uestra: tantùm te suspicari uolo, nihil in ea re per collegã meũ me insciente esse factũ. Recordare cætera: quàm citò Senatum illo die fãcta sortitione coëgerim: quàm multa de te uerba fecerim, cum tu ipse mihi dixisti, orationẽ meam non solùm in te honorificam, sed etiam in collegas tuos contumelioſam fuisse. Iam illud Senatusconsultũ, quod eo die factũ est, ea † præscriptione est, ut dum id extabit, officiũ meum in te obscurum esse non possit. Posteà uerò quàm profectus es, uelim recordêre, quæ ego de te in Senatu egerim: quæ in concionibus dixerim: quas ad te literas miserim. Quæ cum omnia collegeris: tu ipse uelim iudi-

† errore

Ironia

† errorem

Inuersio quod ipsi fuerit honorifica oratio

Secunda propositio

Probat animum Metelli non fuisse mutatum

Commemoratio officiorum.

Probat Metellũ a se non ludibrio habitum.

C. Long. pro scriptiõe, sed quia pro titulo accipitur præscriptio locus consta re potest.

Conclusio

ces, satis ne uideatur his omnibus rebus tuus aduentus, cum proximè Romam ueniſti mutuo reſpõdiſſe. Quòd ſcribis de reconciliata noſtra gratia: non intelligo, cur reconciliatam eſſe dicas, quæ nunquam † immutata eſt. Quòd ſcribis, non oportuiſſe Metellum fratrem tuum ob dictum à me oppugnari: primùm, hoc uelim exiſtimes, animum mihi iſtum tuum uehementer probari, & fraternam plenam humanitatis, ac pietatis uoluntatem: deinde, ſi qua ego in re fratri tuo Reipublicæ cauſa reſtiterim, peto ut mihi ignoſcas: tam enim ſum amicus Reipub. quàm qui maximè. Si uerò meam ſalutem contra illius impetum in me crudeliſſimum defenderim: ſatis habeas, nihil me etiam tecum de tui fratris iniuria conqueri. Quem ego cum comperiſſem omnem ſui tribunatus conatum in meam perniciem parare, atq; meditari: egi cum Claudia uxore tua, & cum ueſtra ſorore Mutia, cuius erga me ſtudium pro Cn. Pompeij neceſſitudine, multis in rebus perſpexeram: ut eum ab illa iniuria † detraherent. Atq; ille, quod te audiſſe credo, pridie Calen. Ianuar. qua iniuria nemo unquam in † aliquo magiſtratu improbiſſimus ciuis affectus † eſt, ea me Conſulem affecit, cum Rempub. conſeruaſſem: atq; abeũtem magiſtratu, concionis habendæ poteſtate priuauit: cuius iniuria mihi tamen honori ſummo fuit. Nam cum ille mihi nihil, niſi ut iurarem, permitteret: magna uoce iuraui ueriſſimum, pulcherrimumq; iuſiurandum: quod populus † idem magna uoce me uerè iuraſſe, iurauit. Hac accepta tam inſigni iniuria, tamen illo ipſo die

Tertia propoſitio.

† imminuta.

Defenſio, & hoc eſt principale negociũ, eſtq; primum hic conceſsio.

Narratio facti, affecit me iniuria.

† deterrerent

† annuo

† eſſet ſin

die miſi ad Metellum communes amicos, qui agerent cum eo, ut ab illa mente deſiſteret. quibus ille reſpondit, ſibi non eſſe integrum: etenim paulò antè in concione dixerat, ei, qui in alios animaduertiſſet indicta cauſa ad dicendũ ipſi poteſtatẽ fieri non oportere. Hominẽ gra- Ironia, & eſt
uem, & ciuem egregium, qui qua pœna Senatus, conſenſu bonorum omnium, eos affecerat, qui urbem incendere, magiſtratus, ac Senatum trucidare, bellum maximum cõflare uoluiſſent, eadem dignum iudicaret eum, qui curiam cæde, urbem incendijs, Italiam bello liberaſſet. Itaq; ego Metello fratri tuo præſenti reſtiti. Nam in Epilogus
Senatu Calen. Ianuar. ſic cum eo de Republica diſputaui, ut ſentiret ſibi cum uiro forti, & conſtanti eſſe pugnandum. Ad tertium Nonas Ianuarias cum agere cœpiſſet, tertio quoq; uerbo orationis ſuæ me appellabat, Nouę narrationes.
mihi minabatur, neque illi quicquam deliberatius fuit, quàm me, quacunq; ratione poſſet, non iudicio, neq; diſceptatione, ſed ui, atq; † impreſsione euertere. Huius †oppreſsio
ego temeritati ſi uirtute, atque animo non reſtitiſſem: ne.
quis eſſet, qui me in conſulatu non caſu potius exiſtimaret, quàm conſilio fortẽ fuiſſe? Hæc tu ſi Metellum cogitare de me neſciſti, debes exiſtimare te maximis de rebus à fratre eſſe celatũ. ſin aũt aliquid impertiuit tibi ſui cõſilij: lenis à te, & facilis exiſtimari debeo, qui nihil tecum de his ipſis rebus expoſtulem. Et ſi intelligis non me dicto Metelli, ut ſcribis, ſed conſilio eius, animoq; in me inimiciſſimo eſſe commotum: cognoſce nunc humanitatem meam: ſi humanitas appellanda eſt in acerbiſ-

Ab honeſto Dilemma.
A cauſis, quę ſe ad Metello reſiſtendũ impulerint.

Correctio bona.

simam iniuria remißio animi, ac dissolutio. Nulla est à me unquam sententia dicta in fratrem tuum. quotiescunq; aliquid est actum, sedens in ijs assensi, qui mihi lenißimè sentire uisi sunt. Addam illud etiam, quod iam ego curare non debui, sed tamen fieri non molestè tuli, atq; etiam, ut ita fieret, pro mea parte adiuui, ut Senatus consulto meus inimicus, quia tuus frater erat, subleuaretur.

A merito erga Metellum iniquitatem expostulationis ostendit.

Epilogus & principalis conclusio, & est primũ inuersio ualde elegans.

Quare nõ ego oppugnaui fratrem tuum, sed fratri tuo repugnaui: nec in te, ut scribis, animo sum mobili, sed ita stabili, ut in mea erga te uoluntate, etiã destitus ab officijs tuis, permanerem. Atq; hoc ipso tempore tibi penè minitanti nobis per literas, hoc rescribo, atq; respondeo: Ego dolori tuo nõ solum ignosco, sed summã etiam laudem tribuo. meus enim me sensus, quanta uis fraterni sit amoris, admonet.

Antipophora.

A te peto, ut tu quoq; æquum te iudicem dolori meo præbeas: si acerbe, si crudeliter, si sine causa sum à tuis oppugnatus, ut statuas mihi non modo non cedendum, sed etiam tuo, atq; exercitus tui auxilio in eiusmodi causa utendum † fuisse. Ego te mihi semper amicũ esse uolui: me ut tibi amicißimũ esse intelliges, laboraui: maneo in uoluntate, et quoad uoles tu, permanebo: citiusq; amore tui fratrem tuum odisse desinam, quàm illius odio quicquam de nostra beneuolentia detrahatur. Vale.

Clausula qua defert officiũ suum.

† tuendum

ARG. EPIST. SEQ.

Ista nihil habet nisi breuem quandam accusationem fratris, & est rhetoricum schema, quod transfert Ciceronem in locũ fratris.

Q. Me-

Q. Metellus Nepos M. T. Ciceroni S. P. D. 60

Hominis importunißimi contumeliæ, quibus crebris concionibus me onerat, tuis erga me officijs leniuntur: & ut sunt leues eiusmodi homines, à me despiciuntur, libẽterq; cõmutata persona, te mihi fratris loco esse duco. de illo ne meminisse quidem uolo, tametsi bis eum inuitum seruaui. De me meisq; rebus, ne uobis multitudine literarum molestior essem, ad Lælium perscripsi: de rationibus etiã prouinciæ quid uellem fieri, ut is uos doceret & cõmoneface ret. Si poteris, uelim pristinam tuam erga me uoluntatem conserues.

Responsoria ad præcedentem, uel alitã quamptam Ciceronis epistolam esse uidetur.

Exorditur a reprehensione fratris sui, & a suo erga Ciceronem animo.

ARG. EPIST. SEQ.

Narratio est de uarietate uoluntatis Metelli erga Ciceronem, quã esset ab exilio reuocãdus. Addita est aũt petitio, ut reuocationem adiuuet. Ille Metellus habuit Clodiã sororẽ Clodij, quam postea amauit Cælius. Nõ obiurgat eũ, sed tamen indicat quid sentiat.

M. T. C. Q. Metello Nepoti S. P. D. 61

Literæ Qu. fratris, & T. Pomponij necessarij mei tantum mihi spei dederant, ut in te non minus auxilij, quàm in tuo collega mihi constitutum fuerit. Itaq; ad te literas statim misi: per quas, ut fortuna postulabat, & gratias tibi egi, & de reliquo tẽpore auxiliũ petij. Postea mihi nõ tam meorũ literæ, quàm sermones eorum, qui hâc iter faciebanta, nimũ tuũ immutatum significabant. quæ res fecit, ut tibi literis obstrepere non auderẽ. Nunc mihi Quintus frater meus mitißimam tuam orationem, quam in Senatu habuisses, perscripsit: qua inductus, ad te scribere sum † coactus: et abs te, quãtũ tua fert uoluntas, peto, quæsoq;, ut tu † me cõserues potius, quàm propter

Narratio, quæ continet causam ad eũ scribendi.

Petitoria epistola.

Exorditur a causa cur antehac ad Metellũ scripserit, & postea scribere desierit.

Petit Cicero ut conseruetur a Metello

† conatus

† tuos me-

cum.

A uoluntate benigna Metelli.

propter arrogantem crudelitatem tuorum me oppugnes. Tu tuas inimicitias ut Reipublicæ donares, te uicisti: alienas ut contra Rempublicam confirmes, adduceris? Quòd si mihi tua clementia opem tuleris: omnibus in rebus me fore in tua potestate tibi confirmo. Sin mihi neq; magistratum, neq; Senatũ, neq; populum auxiliari propter eam uim, quæ me cum Repub. uicit licuerit: uide, ne, cùm uelis reuocare tempus omniũ reseruandorũ, cùm qui seruetur, nõ erit, non possis. Vale.

Ab aduersariorum crudelitate.

A maiore ad minus.

Ratio petitionis a gratitudine.

ARG. EPIST. SEQ.

Expostulatoria est. Exordium sumptum est ab occasione scribendi: reliqua pars est narratio, in qua commemoratis suis quibusdam beneficijs, accusat Antonij ingratitudinẽ. In conclusione hortatur enm, ut malit gratus & amicus esse.

M. T. C. C. Antonio M. Filio Imperatori S. P. D. 62

Exprobratoria beneficiorum.

ET si statueram nullas ad te literas mittere, nisi commendatitias, non quòd eas intelligerem satis apud te ualere: sed ne ijs, qui me rogarent, aliquid de nostra coniunctione imminutum esse ostenderem: tamen cum T. Pomponius homo omnium meorum in te studiorum, & officiorum maximè conscius, tui cupidus, nostri amantißimus, ad te proficisceretur, aliquid mihi scribendum putaui: præsertim cùm aliter ipsi Pomponio satisfacere non possem. Ego si abs te summa officia desiderem, mirum nemini uideri debeat: omnia enim à me in te profecta sunt, quæ ad tuum cõmodum, quæ ad honorem, quæ ad dignitatem pertinerẽt. Pro ijs rebus nullam mihi abs te relatam esse gratiã, tu es optimus testis. Contrà etiam esse

Exorditur a causis cur Antonio scribat, & Pomponium ei cõmendet.

Cur officia summa ab Antonio desideret.

Amplificatio suorum erga Antoniũ beneficiorum.

esse aliquid abs te profectum, ex multis audiui: nam cõperisse me, non audeo dicere, ne fortè id ipsum uerbum ponam, quod abs te aiunt falsò in me solere conferri. Sed ea, quæ ad me delata sunt, malo te ex Pomponio, cui nõ minus molesta fuerunt, quàm ex meis literis cognoscere. Meus in te animus quàm singulari officio fuerit, & Senatus, & populus Romanus testis est. Tu quàm gratus erga me fueris, ipse existimare potes. quantum mihi debeas cæteri existiment, ego quæ tua causa antea feci, uoluntate sum adductus, posteaq; cõstantia. Sed reliqua, mihi crede, multò maius meum studium, maioremq; gratitatem, & laborem desiderãt. Quæ ego si non profundere, ac perdere uidebor, omnibus meis uiribus sustinebo: sin aũt ingrata esse sentiã, non cõmittam, ut tibi ipse insanire uidear. Ea quæ sint, & cuiusmodi, poteris ex Pomponio cognoscere. atq; ipsum tibi Pomponium ita commendo, ut quanquàm ipsius causa confido te facturum esse omnia: tamen abs te hoc petam, ut si quid in te residet amoris erga me, id omne in Pomponij negotio ostendas. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

Reiectione utitur.

Cõfirmat sua erga Antoniũ beneficia.

Repetitiones A testibus.

Ingratitudinem Antonij taxat.

Pollicetur Antonio maius studium.

Comminatio

ARG. EPIST. SEQ.

Habet duas breues narratiunculas, alteram de successione, alteram de emptione: & obiter sunt ioci quidam. Et hic Sestius est, pro quo postea habuit orationem, qui etiam ex prouincia rediens damnatus est, sicut Antonius.

M. T. C. P. Sextilio L. F. Proconsuli S. P. D. 63

CVm ad me Decius † librarius uenisset, egissetq; mecum, ut operam darem, ne tibi hoc tempore succederetur:

† libertus

Narratio

Cõclusio epistolæ a commendatione Pomponij.

Nuntiatoria epistola. Exorditur a narratione.

deretur: quanquam illum hominem frugi, & tibi amicum existimabam, tamen quòd memoria tenebam, cuiusmodi ad me literas antea misisses, nõ satis credidi homini prudenti, tam ualde esse mutatã uoluntatem tuam. sed postea, quàm & Cornelia tua Terentiam conuênit, & ego cum Quinto Cornelio locutus sum: adhibui diligentiam, quotiescunq; senatus fuit, ut adessem: plurimumq; in eo negotij habui, ut Qu. Fusium Tribunũ plebis, & cæteros ad quos tu scripseras, cogerem mihi potius credere, quàm tuis literis. Omnino res tota in mensem Ianuarium reiecta erat, sed facilè obtinebatur. Ego tua gratulatione commotus, quòd ad me pridem scripseras, uelle te bene euenire, quòd de Crasso domum emissem: emi eã ipsam domũ millibus nũmũm XXXV. aliquantò post tuam gratulationem. Itaq; nunc me scito tantum habere æris alieni, ut cupiam coniurare, si quis me recipiat: sed partim odio inducti me excludunt, & apertè uindicem coniurationis oderunt: partim non credunt, & à me insidias metuunt, nec putant ei nummos deesse posse, qui ex obsidione fœneratores exemerit. † Homini semissis magna copia est: ego autem meis rebus gestis hoc sum assecutus, ut bonũ nomen adeptus existimer. Domũ tuam, atq; ædificationẽ omnem perspexi, & uehementer probaui. Antonium, etsi eius in me officia omnes desiderant, tamen in Senatu grauissimè ac diligentissimè defendi: Senatumq; uehementer oratione mea, atq; autoritate commoui. Tu ad me uelim literas crebrius mittas. Vale.

Noua narratio.

Alia narratio

Iocatur cum Lentulo de difficultate parandi pecuniam, qua pro domo faciat satis.

† omnino semissum mag.

Conclusio a suo erga Antonium ingratum officio.

ARG.

ARG. EPIST. SEQ.

Verecunda expostulatio est. Orditur aũt a gratulatione, postea uerecunde reprehendit ipsius literas, quod nõ comprobat res gestas cõtra Catilinam. Estq; rhetorica in primis distributio, quod inquit Pompeium si non propter priuatam amicitiam, tamen propterea quod eadem in Republica sentit secum coniunctum fore. Cicero prætor ualde ornauit Pompeium, & in consulatu quoq;, quia imperium belli Mithrydatici eripuit Lucullo, & tradidit Põpeio.

M. T. C. Filius Cicero S. P. D. Cn. Pompeio Cn. F. Magno Imperatori. 64

Accusatoria epistola. Exorditur a uoluptate quam ex literis publicis quas Pompeius senatui miserat, accepit.

Si tu exercitusq; ualetis, bene est. Ex literis tuis, quas publicè misisti, cepi unà cum omnibus incredibilem uoluptatem: tantam enim spem otij ostendisti, quantam ego semper omnibus, te uno fretus, pollicebar. Sed hoc scito, tuos ueteres hosteis, nouos amicos, uehementer literis perculsos, atque ex magna spe deturbatos iacêre. Ad me aũt literas quas misisti, quanquam exiguam significationẽ tuæ erga me uoluntatis habebant, tamen mihi scito iucũdas fuisse. nulla enim re tam lætari soleo, quàm meorum officiorum conscientia: quibus si quando non mutuò respondetur, apud me plus officij residere facilimè patior. Illud non dubito, quin si te mea summa erga te studia parum mihi adiunxerũt, Respub. nos inter nos conciliatura, coniunctura q; sit. Ac ne ignores, quid ego in tuis literis desiderarim: scribã apertè, sicut & mea natura, & nostra amicitia postulat. Res eas gessi, quarũ aliquam in tuis literis & nostræ necessitudinis, & Reipub. causa gratulationem expectaui? quam ego abs te prætermissam esse arbitror, quòd uerebarè, ne cuius animũ offenderes. Sed scito, ea, quæ nos pro salute patriæ gessimus,

Captat bene uolentiam ad futuram accusationẽ clancularium Põpeij, quod is non ei gratulatus sit ob oppressam coniurationẽ Catilinariam

Amplificatio rerum a se gestarum.

gesimus, orbis terræ iudicio, ac testimonio comproba= ri. Quæ, cum ueneris, tanto consilio, tantaq; animi ma= gnitudine à me gesta esse cognosces, ut tibi multò ma= iori, quàm Aphricanus fuit, me non multò minorem quàm Lælius, facilè & in Republica, & in amicitia ad= iunctum esse patiare. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Iste est Crassus diues, qui fuit coætaneus Ciceronis, & uersatus est in foro cum Cicerone, ac in multis negotijs adiuuit Ciceronem. Perijt in bello aduersus Parthos una cum filio. Defert hic ei sua of= ficia, & excusat superiorum temporum simultates. Orditur autem a commemoratione meritorum: deinde breuiter excusat simulta= tes, & opponit præsens studium, post commemorat quanti semper eum fecerit, ita uenit ad id quod est principale, ut deferat ac polli= ceatur officia sua. Addit epiphonema aptissimũ de fide literarum.

M. T. C. M. Licinio P. Filio Crasso

S. P. D. 65

Sine exor= dio propositio: diligenter defendi te.

Epistola par tim purgato= ria, partim officiosa & familiaris.

Captat bene uolentiam ab amplificatio= ne eorũ quæ pro M. Cras= so fecerat

Diluit ea quę de se ad Cras sum delata fuerunt.

QVantum meum studium extiterit dignitatis tuæ uel tuendæ, uel etiam augendæ, non dubito, quin ad te omnes tui perscripserint. Non enim fuit aut mediocre, aut obscurum, aut eiusmodi, quod silentio posset præte riri. Nam & cum consulibus, & cum multis consulari= bus tanta contentione decertaui, quanta nunquam an= tea ulla in causa: suscepiq; mihi perpetuam propugna= tionem pro omnibus ornamentis tuis, ueteriq; nostræ necessitudini iandiu debitum, sed multa uarietate tem= porum interruptum officium cumulatè reddidi. Neq; mehercule unquam mihi tui, aut colendi, aut ornandi uoluntas defuit: sed quædam pestes hominum laude alie= na dolentium, & te nonnunquam à me alienarunt, & me aliquando immutarũt tibi. Sed extitit tempus opta= tum

tum mihi magis, quàm speratum, ut florentissimis tuis rebus, mea perspici posset & memoria nostræ uolunta= tis, & amicitiæ fides. Sum enim consecutus non modo ut domus tua tota, sed ut cuncta ciuitas me tibi amicissimũ esse cognosceret. Itaq; & præstantissima omnium fœmi narum uxor tua, & eximia pietate, uirtute, gratia tui Crassi, meis consilijs, monitis, studijs, actionibusq; nitun tur: & Senatus, populusq; Romanus intelligit, tibi ab= senti nihil esse tam promptum, aut tam paratum, quàm in omnibus rebus, quæ ad te pertineant, operam, curã, diligentiam, autoritatem meam. Quæ sint acta, quæq; agantur, domesticorum tibi literis declarari puto. De me sic existimes, ac tibi persuadeas uehementer uelim, nõ me repentina aliqua uoluntate, aut fortuitò ad tuam amplitudinem meis officijs amplectendam incidisse: sed ut primùm forum attigerim, spectasse semper, ut tibi possem quàm maximè esse coniunctus. quo quidem ex tempore, memoria teneo neq; meam tibi obseruantiã, neq; mihi tuam summam beneuolentiam, ac liberalita= tem defuisse. Si qua interciderunt non tam re, quàm su= spicione † uiolenta: ea cum fuerint & falsa, & inania, sint euulsa ex omni memoria, uitaq; nostra. Is enim tu uir es, & eum me esse cupio, ut quoniam in eadem Rei= publicæ tempora incidimus, coniunctionẽ, amicitiamq; nostram utriq; nostrũ laudi sperem fore. Quamobrem tu quantum tuo iudicio tribuendum nobis esse putes. statues ipse: &, ut spero, statues ex nostra dignitate. Ego uerò tibi profiteor, atq; polliceor eximium, et sin=

Suam erga Crassum uo= luntatem cõ firmat testi= monia dome sticorũ Cras si, iuxta testi= monio ciuita tis totius, & Senatus.

Cur Crassum semper offi= cijs demereri studuerit.

Amplificatio quod hæc a= micitia uetus sit.

Extenuat dissensionem inter se & Crassum, ob defensum a Crasso Gabi nium contra Cice. ortam.

Pollicetur Crasso ope= ram & studiũ suum.

gulare meum ſtudium in omni genere officij, quod ad honeſtatem, & gloriam tuam ſpectet. in quo, etiam ſi multi mecum contendent, tamen cùm reliquis omnibus, tum Craſſis tuis iudicibus, omneis facilè ſuperabo: quos quidem ego ambos unicè diligo: ſed in Marco beneuolentia † impari: hoc magis ſum Publio deditus, quòd me quanquàm à pueritia ſua ſemper, tamen hoc tempore maximè, ſicut alterum parentem & obſeruat, & diligit. Has literas uelim exiſtimes fœderis habituras eſſe uim, non epiſtolæ: meq; ea, quæ tibi promitto, accuratiſſimè q; ſanctiſſimè eſſe obſeruaturum, diligentiſſimè q; factu rum. Quæ à me ſuſcepta defenſio eſt, te abſente, dignitatis tuæ: in ea iam ego, non ſolùm amicitiæ noſtræ, ſed etiam conſtantiæ meæ cauſa, permanebo. Quamobrem ſatis eſſe hoc tempore arbitratus ſum, hæc ad te ſcribere: me, ſi quid ipſe intelligerem aut ad uoluntatem, aut ad commodum, aut ad amplitudinem tuam pertinere, mea ſponte id eſſe facturũ: ſin autem quippiam aut à te eſſem admonitus, aut à tuis, effecturum, ut intelligeres, nihil neq; te ſcripſiſſe, neq; quenquam tuorum ad me fruſtra detuliſſe. Quamobrem uelim ita & ipſe ad me ſcribas de omnibus minimis, maximis, mediocribuſq; rebus, ut ad hominem amiciſſimum: & tuis præcipias, ut opera, conſilio, autoritate, gratia mea ſic utantur in omnibus publicis, priuatis, forenſibus: domeſticis, tuis, amicorum, hoſpitum, clientum tuorum negotijs, ut quoad eius fieri poſſit, præſentiæ tuæ deſiderium meo labore minuatur. Vale.

Cur Publium Craſſi filium tam unice amet.

† pari

Confirmat ea quæ promiſit Craſſo.

Conclusio ab hortatiuncula, ſeu petitione.

ARG.

ARG. EPIST. SEQ.

Initio proponit, deinde rationem ſubijcit ex prioribus officijs Ciceronis. Vatinius fuit bellator, & ille eſt de quo prouerbium factum eſt: Vatinianum odium.

VATINIVS IMPERATOR CIceroni ſuo S. D. 7 66

Narratio epiſtola hortatoria.

SIuales, bene eſt: ego ualeo. Si tuam conſuetudinem in patrocinijs tuendis ſeruas, P. Vatinius cliens ad te uenit, qui pro ſe cauſam dicier uult. Non puto repudiabis in honore, quem in periculo recepiſti. Ego autem quem potius adoptem, aut inuocem, quàm illũ, quo defendente uincere didici? An uerear, ne qui potentiſſimorũ hominum cõſpirationem neglexerit pro mea ſalute, is pro honore meo, puſillorum, ac maleuolorum obtrectationes, & inuidias non proſternat atq; obterat? Quare ſi me (ſicut ſoles) amas, ſuſcipe me totum, atq; hoc quicquid eſt oneris, ac muneris pro mea dignitate tibi tuendum, ac ſuſtinendũ puta. Scis meam fortunã neſcio quo modo facile obtrectatores inuenire, non meo quidẽ mehercule merito: ſed quanti id refert, ſi tamen fato neſcio quo accidit? Si quis fortè fuerit, qui noſtræ dignitati obeſſe uelit, peto à te, ut tuam conſuetudinem, & liberalitatem in me abſente defendẽdo mihi præſtes. Literas ad Senatum noſtris de rebus geſtis, quo exemplo miſeram, infrà tibi perſcripſi. Dicitur mihi tuus ſeruus anagnoſtes fugitiuus Vardaci eſſe: de quo tu mihi nihil mandaſti: ego tamen terra, mariq; ut conquireretur, præmandaui: & profectò tibi illum reperiam, niſi in Dalmatiam aufugerit: & inde tamen aliquando eruam.

A maiori ad minus.

Clauſula

A fiducia erga Ciceronem.

A maiori

Obiectio

Petitio ſeu propoſitio

Occupatio

Ad petitionem redit

Concluſio a narratiuncula.

Tu nos fac ames. Vale. Ad tertium Idus Quintileis, ex castris, Narona.

ARG. EPIST. SEQ.

Variæ narrationes sunt, & expostulationes. Et apparet istam epistolam scriptam in consulatu Cæsaris.

Vatinius Ciceroni suo S. D. 8 67

Epistola est & excusatoria, & petitoria.

A narratiuncula exordiũ est ductum.

SI uales, bene est: ego quidem ualeo. De Dionysio tuo adhuc nihil extrico: & eò minus, quòd me frigus Dalmaticũ, quòd illinc eiecit, etiam hic refrigerauit. Sed tamen non desistam, quin illum aliquando eruam. Sed tamẽ omnia mihi dura imperas. De Catilio nescio quid ad me scripsisti deprecationis diligentissimæ. Apagete cũ nostro Sexto Seruilio: nam mehercule ego illum quoque amo: sed huiusmodi uos clientes, huiusmodi causas recipitis? hominem unum omnium crudelissimum, qui tot ingenuas matres familiás stuprauit, tot ciueis Romanos occidit, †arripuit, dispердidit, regiones uastauit? Simul uerò semissis homo cõtra arma tulit, & eum bello cepi. Sed tamen mi Cicero quid facere possum? Omnia mehercule quidem cupio, quæ tu mihi imperas. Meũ animadуersionẽ, & suppliciũ quo usurus eram in eum, quẽ cepissem, remitto tibi, et cõdono. quid illis respõdere possum, qui sua bona direpta, naueis expugnatas, fratres, liberos, parenteis occisos †actione expostulant? si mehercule Appij os haberem, in cuius locum suffectus sum, tamen hoc sustinere non possem. Quid ergo est? Faciam omnia sedulò, quæ te sciã uelle. Defenditur à Qu. Volusio tuo discipulo, si fortè ea res poterit aduersarios fugare: in eo maxima spes est. Nos, si quid erit istic opus, defendes.

A maleficijs & sceleribus †rapuit

Narratio eorum quæ in Dalmatia gesserit.

Caesar adhuc mihi iniuriam facit: de meis supplicationibus, & rebus gestis Dalmaticis adhuc non refert: quasi uerò non iustissimi triumphi in Dalmatia res gesserim. Nam si hoc expectandum sit, dum totum bellum conficiam, uiginti oppida sunt Dalmatiæ antiqua: quæ ipsa sibi asciuerunt amplius sexaginta. hæc nisi omnia expugno, si mihi supplicationes nõ decernuntur, longè alia conditione ego sum, ac cæteri Imperatores. Ego post supplicationes mihi decretas in Dalmatiam profectus sum: sex oppida ui oppugnando cepi: unum hoc quod erat maximũ, quater à me iam captum: quatuor enim turreis, & quatuor muros cepi, & arcem eorum totam: ex qua me niues, frigora, imbres detruserunt: indigneq; mi Cicero oppidum captum & iam bellum confectum relinquere sum coactus. Quare te rogo, si opus erit, ad Cæsarem meam causam agas, meq; tibi in omneis parteis defendendum putes: hoc existimans, neminem me tui amantiorem habere. Vale. Nonis Decembribus, Narona.

Narratio eorum quæ in Dalmatia gesserit.

Conclusio a petitione.

ARG. EPIST. SEQ.

Comprobatio est gratitudinis, sicut solemus exordia sumere a probando uel improbando, id quod alias fecit. Postea defert officium suum.

M. T. C. P. Vatinio Imper. S. P. D. 9 68

GRata tibi esse efficia mea non miror: cognoui enim te gratissimum omnium: idq; nunquam destiti prædicare: nec enim tu mihi gratiam modò habuisti, uerum etiã cumulatissimè retulisti. Quamobrem reliquis tuis rebus omnibus, pari me studio erga te, & eadem uolun-

Exordium a commemoratione officiorum.

Epistola est responsoria ad commen-

datoriam & petitoriam.

Captat bene uolentiam a laude gratitudinis Vatinij.

Narratio.

Respondet ad commendationẽ quandam Vatinj epistolam.

tate cognosces. Quòd mihi fœminam primariam Pompeiam uxorem tuam commendas, cum Sura nostro statim tuis literis lectis locutus sum, ut ei meis uerbis diceret, ut quicquid opus esset, mihi denunciaret: me omnia, quæ ea uellet, summo studio, curaq; facturũ: itaq; faciã. eamq;, si opus esse uidebitur, ipse conueniam. Tu tamen ei uelim scribas, ut nullam rem neq; tam magnam, neq; tam paruam putet, quæ mihi aut difficilis, aut parũ me digna uideatur. Omnia quæ in tuis rebus agam, & non laboriosa mihi, & honesta uidebuntur. De Dionysio (si me amas) confice: quamcunq; ei fidẽ dederis, præstabo. Si uerò improbus fuerit, ut est, duces eum captiuum in triũpho. Dalmatis dij malè faciant, qui tibi molesti sunt:

Conclusio

Sed ut scribis, breui capientur, & illustrabunt res tuas gestas: semper enim habiti sunt bellicosi. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Exordium habet breuem excusationem impudentiæ, & quasi quandam culpæ confessionem. Deinde sequitur breuis narratio cum petitione, cui aspergit quædam argumenta. Deinde aufert petitionem adhibita circumstantia. Petit enim ut hanc historiam a reliquis separet, item ut splendidius ornet. De ornando iterum addit excusationem impudentiæ, uidelicet confessionem culpæ. Sequitur argumentum primum ab ipsa natura, quod si futura iucunda propter uarietatem, & inseritur locus communis, quod delectent in historia mirabiles casus, idq; confirmat recitatis exemplis de Epaminunda & Themistocle. Secundum argumentum a præstantia artificis. Id auget exemplo Alexandri, qui tantum a præstantissimis artificibus imagines suas fieri uoluit. Addit amplificationem ex collatione. Et tamen magis optandæ sunt, historiæ bene descriptæ quam imagines, id probat Agesilai exemplo. Tertium argumentum ab autoritate Lucei, non solum artificis boni, sed etiam testis autoritate præstantis. Addit exemplum Hectoris Næuiani. Quartum argumentum ab incommodis, si ipse scribat. Conclusio, repetit argumentum, quare hanc rem maturari uelit.

M. C.

M. T. C. L. Luceio Q. Filio S. P. D. 69

Exordium a causa scribendi.

Petitoria est epistola.

Exorditur ab insinuatiuncula.

Coràm me tecum eadem hæc agere sæpe conantem deterruit pudor quidam penè subrusticus: quæ nunc expromam absens audacius: epistola enim nõ erubescit. Ardeo cupiditate incredibili, neq;, ut ego arbitror, reprehendenda, nomen ut nostrum scriptis illustretur, & celebretur tuis. quod etsi mihi sæpe ostendis te esse facturum: tamen ignoscas uelim huic festinationi meæ. Genus enim scriptorum tuorum, etsi erat semper à me uehementer expectatum, tamen uicit opinionẽ meam, meq; ita uel cepit, uel incendit, ut cuperẽ quàm celerrimè res nostras monimentis commendari tuis. Neq; enim me solùm commemoratio posteritatis ad spem quandam immortalitatis rapit, sed etiam illa cupiditas, ut uel autoritate testimonij tui, uel studio beneuolentiæ, uel suauitate ingenij, uiui perfruamur. Neq; tamen, hæc cùm scribebam, eram nescius quantis oneribus premerẽre susceptarum rerum, & iam institutarum. sed quia uidebam * Itálici belli, & ciuilis historiam iam penè à te esse perfectam (dixeras autem mihi te reliquas res ordiri) deesse mihi nolui, quin te admonerem, ut cogitares, coniuncténe malles cum cæteris rebus nostra contexere, an, ut multi Græci fecerunt, Callisthenes Troicũ bellum, Timæus Pyrrhi, Polybius Numantinum, qui omnes à perpetuis suis historijs ea quæ dixi bella separauerũt: tu quoq; item ciuilem coniurationem ab hostilibus, externisq; bellis seiungeres. Equidem ad nostram laudem non multum uideo interesse: sed ad properationem

A genere scriptorum Luceij.

A posteritatis commendatione.

A Luceij autoritate.

Occupatio obiectionis

Id est socialis belli.

Ab occasione.

Ab exemplis.

meam quiddã interest, nõ te expectare donec ad locum uenias, ac statim causam illam totam, & tempus arripere. Et simul si uno in argumento, unáq; in persona mens tua tota uersabitur: cerno iam animo, quantò omnia, uberiora, atq; ornatiora futura sint. Neq; tamen ignoro, quàm impudenter faciam, qui primùm tibi tantum oneris imponam (potest enim mihi denegare occupatio tua) deinde etiam, ut ornes me, postulem. quid si illa tibi non tantopere uidentur ornanda? Sed tamen, qui semel uerecũdiæ fineis transierit, eum benè, et gnauiter oportet esse impudentẽ. Itaq; te planè etiam atq; etiam rogo, ut ornes ea uehementius etiam, quàm fortasse sentis, & in eo leges historiæ negligas: gratiamq; illam, de qua suauissimè quodam in proëmio scripsisti, à qua te †affici non magis potuisse demonstras, quàm Herculem Xenophontiũ illum à uoluptate: ea si me tibi uehementius commendabit, ne aspernere: amoriq; nostro plusculum etiam, quàm concedit ueritas, largiare. Quòd si te adducemus, ut hoc suscipias, erit (ut mihi persuadeo) materies digna facultate, & copia tua. à principio enim coniurationis usq; ad reditum nostrum uidetur mihi modicum quoddam corpus confici posse. in quo & illa poteris uti ciuilium commutationum † scientia, uel in explicandis causis rerum † nouarũ, uel in remedijs incommodorũ, cùm & reprehendes ea, quæ uituperanda duces: & quæ placebunt exponendis rationibus comprobabis. & si liberius, ut cõsueuisti, agendũ putabis: multorum in nos perfidiam, insidias, proditionem notabis.

Occupatio obiectionis, & deprecatio impudentiæ.

Insinuatio noua.

Noua petitio

†& quo te allici.

A re.

Præscribit Luceio modum tractandi res a se gestas.

† sententia

† nostrarũ

Ratio quia amplificationes uariorũ casuum delectant.

Multam

Multam etiam casus nostri tibi uarietatem in scribendo suppeditabunt, plenam cuiusdam uoluptatis, quæ uehementer animos hominum in legendo scripto retinere possit. Nihil est enim aptius ad delectationem lectoris, quàm temporum uarietates, fortunæq; uicissitudines: quæ etsi nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt iucundæ. Habet enim præteriti doloris secura recordatio delectationẽ. Cæteris uerò nulla perfunctis propria molestia, casus autem alienos sine ullo dolore intuentibus, etiam ipsa misericordia est iucunda. Quem enim nostrum ille moriens apud Mantineam Epaminundas non cum quadam miseratione delectat? qui tum deniq; sibi auelli iubet spiculum, posteaquàm ei percontanti dictum est, cl'ypeum esse saluum: ut etiam in uulneris dolore æquo animo cum laude moreretur. Cuius studiũ in legendo non erectũ Themistoclis fuga, reditusq; retinetur? Etenim ordo ipse Annaliũ nõ mediocriter nos retinet, quasi enumeratione fastorum. At uiri sæpe excellentis ancipites, uarijq; casus habent admirationẽ, expectationẽ, lætitiam, molestiam, spem, timorem: si uerò exitu notabili concluduntur, expletur animus iucũdissimæ lectionis uoluptate. Quod mihi acciderit optatius, si in hac sententia fueris, ut à continentibus tuis scriptis, in quibus perpetuã rerum gestarum historiam complecteris, secernas hanc quasi fabulam rerum, euentorumq; nostrorum. Habet enim uarios actus, multasq; actiones & consiliorũ, & temporum. Ac non uereor, ne assentatiuncula quadam aucupari tuam

Quæ ex historijs petenda, & est locus cõmunis

Exemplis, quæ dixit, confirmat.

Repetit rationem, qua res a se fiestas tractari uult.

Deprecatur assentationis suspicionem

Cur res suas a Luceio cõscribi cupiat.

A gloria utri usq;.

†probãdus

A persona Lucei. Multũ refert a quibus cõmendemur, est locus cõmunis.

gratiam uidear, cùm hoc demonstrem, me à te potissimum ornari, celebrariq; uelle. Neq; enim tu is es, qui, quid sis nescias: & qui nõ eos magis, qui te non admirentur, inuidos, quàm eos, qui laudent, assentatores arbitrêre. Neq; autem ego ita demens sum, ut me sempiternæ gloriæ per eum cõmendari uelim, qui non ipse quoq; in me commendando propriam ingenij gloriam consequatur. Neq; enim Alexãder ille, gratiæ causa ab Apelle potissimũ pingi, & à Lysippo fingi uolebat: sed quòd illorum artem cùm ipsis, tum etiam sibi gloriæ fore putabat. Atq; illi artifices, corporis simulachra ignotis nota faciebãt: quæ uel si nulla sint, nihilo sunt tamen obscuriores clari uiri. Nec minor enim est Spartiates Agesilaus ille † perhibendus, qui neq; pictam, neq; fictam imaginem suam passus est esse, quàm qui in eo genere laborarũt: unus enim Xenophontis libellus in eo rege laudando facilè omneis imagines hominum, statuasq; superauit. Atq; hòc præstantius mihi fuerit, & ad lætitiam animi, & ad memoriæ dignitatem, si in tua scripta peruenero, quàm si in cæterorum: quòd non ingenium mihi solùm suppeditatum fuerit tuum, sicut Timoleonti à Timæo, aut ab Herodoto Themistocli, sed etiam autoritas clarissimi, & spectatissimi uiri, & in Republica maximis, grauissimisq; causis cogniti, atq; in primis probati: ut mihi non solùm præconium, quod cum in Sigæum uenisset Alexander, ab Homero Achilli tributum esse dixit: sed etiam graue testimonium impertitum clari hominis, magniq; uideatur. Placet enim Hector ille mihi Næuianus, qui non tantùm laudari se lætatur: sed addit etiam, à laudato uiro. Quòd si à te non impetro, hoc est, si qua te res impedierit (neq; enim fas esse arbitror quicquam me rogantem abs te non impetrare) cogar fortasse facere, quod nonnulli sæpe reprehendunt: scribam ipse de me, multorum tamen exemplo & clarorum uirorum. Sed quod te non fugit, hæc sunt in hoc genere uitia: & ut uerecundius ipsi de se scribant, necesse est, si quid est laudandum: & prætereant, si quid reprehendendum est. Accedit etiam ut minor sit fides, minor autoritas, multi denique reprehendant, & dicant, uerecundiores esse præcones ludorum gymnicorum, qui cùm cæteris coronas imposuerint uictoribus, eorumq; nomina magna uoce pronuntiauerint, cum ipsi antè ludorum missionem corona donentur, alium præconem adhibeant, ne sua uoce ipsi se uictores esse prædicent. Hæc nos uitare cupimus: & si recipis causam nostram, uitabimus: idq; ut facias, rogamus. Ac ne fortè mirêre, cur, cum mihi sæpe ostenderis, te accuratissimè nostrorum temporum cõsilia, atq; euentus literis mandaturum, à te id nunc tantopere, & tam multis uerbis petamus: illa nos cupiditas incĕdit, de qua initio scripsi, festinationis, quòd alacres animo sumus, ut & cæteri uentibus nobis ex libris tuis nos cognoscant, & nosmetipsi uiui gloriola nostra perfruamur. His de rebus quid acturus sis, si tibi molestũ nõ est, rescribas mihi uelim. Si enim suscipis causam, conficiam commentarios rerum omnium. Sin autem differs me in tempus aliud, coràm

Cur non ipse suas res scribat.

A turpi.

Cõclusio epistolæ ab occupatione obiectionis

tecum loquar: tu interea non cessabis, & ea, quæ habes instituta, perpolies, nosq; diliges. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Orditur a comprobatione officij, & eius sententiæ, quæ præcipue ualet in consolando, uidelicet præstandum esse, ne pendeamus a fortuna, sed simus contenti uirtute, quicquid acciderit. Estq; sumpta ad uerbum ex Platone in oratione funebri. Est autem elegans figura, quod ait hanc sententiam sibi pene excussam esse in tantis calamitatibus, sed se rursus magis eam amplecti, admonitum Luceij literis. Deinde sequitur propositio, uelut conclusio exordij. Literæ tuæ sunt mihi gratissimæ. Postea instituitur collatio cõsolationum. Primum ait prodesse sibi tum argumẽta, tum exemplum Luceij. Deinde reprehendit argumentum de spe, ait se fortiorem esse, quia nihil spei habeat. Tertium argumentum consolationis sumptum a conscientia rerum gestarum approbat. Ergo abducam me a luctu, & transferam ad studia.

M. T. C. Luceio Qu. Filio S. P. D. 70

Epistola responsoria ad consolatoriã Captat beneuolentiam ab amplificatione fructus, quem cepit ex literis Luceij.

QVanquàm ipsa consolatio literarũ tuarum mihi gratissima est: declarat enim summam beneuolentiam cõiunctam prudentia pari: tamen illum fructum ex tuis literis uel maximum cepi, quòd te præclarè res humanas contemnentem, & optimè contra fortunam paratum, armatũq; cognoui. Quam quidem laudem sapientiæ statuo esse maximam, non aliunde pendêre, nec extrinsecus aut bene, aut malè uiuendi suspensas habere rationes. Quæ cogitatio, cum mihi non omnino excidisset (etenim penitus insederat) ui tamen tempestatum, & †cõcursu calamitatũ erat aliquantum labefactata, atq; conuulsa: cui te opitulari & uideo, & id feciſſe etiam proximis literis, multumq; profecisse sentio. Itaq; hoc sæpius dicendum, tibiq; non significandum solum, sed etiam declarandũ arbitror: nihil mihi esse potuisse tuis literis gratius. Ad consolandum autem cùm illa ualent, quæ

†concussu.

Conclusio exordij.

quæ eleganter, copioseq; collegisti, tamen nihil plus, quàm quòd firmitudinem grauitatemq; animi tui perspexi: quam non imitari turpissimũ existo. Itaq; etiam hòc fortiorem me puto, quàm teipsum præceptorẽ fortitudinis, quòd tu mihi uidêre spem nonnullam habere, hæc aliquando futura meliora. Casus enim gladiatorij, similitudinesq; ea, tum rationes in ea disputatione à te collectæ, uetabãt me Reipublicæ penitus diffidere. Itaq; alterum minus mirũ, fortiorem te esse, cum aliquid spere: alterũ magis mirum, spe ulla teneri. Quid enim est non ita affectum, ut id non deletum, extinctumq;, omne esse fateare? Circunspice omnia membra Reipub. quæ notissima sunt tibi: nullum reperies profectò, quod non fractum, debilitatum' ue sit: quæ persequerer, si aut melius ea uiderem: quàm tu uides: aut commemorare possem sine dolore: quanquàm tuis monitis præceptisq; omnis est abijciendus dolor. Ergo & domestica feremus, ut censes: & publica paulò etiam fortius fortasse, quàm tu ipse, qui præcipis. Te enim spes aliqua consolatur, ut scribis: nos autem erimus etiam in † omni desperatione fortes, ut tu tamen idem & hortaris, & præcipis. das enim mihi iucundas recordationes conscientiæ nostræ, rerumq; earum, quas te in primis autore gessimus. Præstitimus enim patriæ non minus certè, quàm debuimus: plus profectò, quàm est ab animo cuiusquam, aut consilio hominis postulatũ. Ignosces mihi de meipso aliquid prædicanti: quarum enim tu rerum cogitatione nos leuare ægritudine uoluisti, earum etiam commemoratione

Cur fortior sit Luceio. Hæc consolatio sumpta a spe inanis est.

Nullam esse spem de Reipub. salute.

Ratio quare nulla spes est

Reiectione utitur.

Epilogus & cõclusio correctionis.

† omnium.

Deprecatur arrogantiam

Conclusio principalis epistolæ. abducam animum a dolore.

tione lenimur. Itaq; ut mones, quantum potero, me ab omnibus molestijs, & angoribus abducam: transferamq; animum ad ea, quibus secundæ res ornantur, aduersæ adiuuantur: tecumq; & ero tantum, quantum patietur utriusque ætas, & ualetudo: & si esse una minus poterimus, quàm uolemus: animorum tamen coniunctione ijsdemq; studijs ita fruemur, ut nunquàm non una esse uideamur. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Illa Lucei est exilior: & consumitur hęc epistola in dilemmate. Si abes studiorum causa, non uitupero. Si abes ut lugeas, reprehendo: & sunt additæ rationes. Quia minus dolendū est, quum ea quæ acciderunt præuiderimus. Itē, quia lachrymis nihil proficitur. Conclusio habet adhortationem, ut ad conuictum ipsorum redeat.

L. Luceius Qu. Filius M. T. Ciceroni M. filio. S. D. 71

Epistola obiurgatoria uel dissuasoria. Narratio A salutatione captat beneuolentiam Cōsiliū Ciceronis, quod rus cōcesserit, partim laudat, partim uituperat.

SIuales, bene est: ego ualeo, sicut soleo: paulò tamen etiam deterius, quàm soleo. Te requisiui sæpius, ut uiderem. Romæ quia postea nō fuisti, quàm à me discesseras, miratus sum, quod item nunc miror. Non habeo certum, quæ te res hinc maximè retrahat. si solitudine delectare, cùm scribas, & aliquid agas eorum, quorum consuesti, gaudeo: neque reprehendo tuum consilium: nam nihil isto potest esse iucundius, non modo miseris his temporibus, & luctuosis, sed etiam tranquillis, & optatis, præsertim uel animo defatigato tuo, qui nunc requiem quærit ex magnis occupationibus: uel erudito, qui semper aliquid ex se promat, quod alios delectet, se ipsum laudibus illustret. sin aūt, sicut hic dum eras, & lachrymis, ac tristitiæ te tradidisti, doleo, quia doles, &

Non uult Ciceronem dolere ob con-

angere: nec possum te, si concedis, quod sentimus, ut liberius dicam, non accusare. Quid enim? tu solus aperta non uidebas, qui propter acumen occultissima perspicis? tu non intelliges te querelis quotidianis nihil proficere: nō intelliges duplicari solicitudines, quas eleuare tua te prudentia postulat? Quòd si non possumus aliquid proficere suadendo, gratia cōtendimus, & rogando, si quid nostra causa uis, ut istis te molestijs laxes, & ad conuictum nostrum redeas, & ad consuetudinem, uel nostram communem, uel tuam solius ac propriam. Cupio non obtundere te, si non delectâre nostro studio: cupio deterrere, ne permaneas in incœpto, cùm duæ res istæ contrariæ me conturbent: ex quibus aut in altera mihi uelim, si potes, obtemperes, aut in altera non offendas. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Exordium ducitur a comprobatione officij. Propositio habet translationem: Non lugeo Rempub. sed filiam. Huius luctus nulla habeo solatia, id cōfirmat enumeratione. Postea bellissima est prosopopœia, quare ne literæ quidem leuent eius luctum, cui tamen addit correctionem, se incumbere literis:

M. T. C. L. Luceio S. P. D. 72

OMnis amor tuus ex omnibus partibus se ostendit in his literis, quas à te proximè accepi: non ille quidem mihi ignotus, sed tamen gratus, & optatus: dicerem iucundus, nisi id uerbum in omne tempus perdidissem. Neq; ob eam unam causam, quam tu suspicaris, & in qua me lenissimis, & amantissimis uerbis utens, re grauiter accusas: sed quod illius tanti uulneris, quæ remedia esse debebāt, ea nulla sunt. Quid enim? ad amicos ne cōfugiam?

uulsum Reipub. statum. A prouidentia. Ab inutili.

Cōclusio cō solatoria seu adhortatoria

Conclusio epistolæ.

Exordium, laudat officium ac literas. Epistola responsoria ad obiurgatoriā Exorditur a cognitione amoris Lucij erga se. Diluit causam propter quam Luceius Ciceronē dolere suspicabatur.

fugiam? quàm multi sunt? habuimus enim ferè commu-
neis: quorum alij occiderunt, alij nescio quo pacto obdu-
Subiectio ruerunt. Tecum uiuere posse equidē et maximè uellem:
uetustus est amor, consuetudo, studia paria: quod uincu-
†quasi lum †quæ res deest nostræ coniunctioni? Possumus ne igi-
tur esse unà? nec mehercule intelligo, quid impediat.
sed certè adhuc non fuimus, cum essemus uicini in Tu-
sculano, in Puteolano. Nam quid dicam in Vrbe? in qua,
Querela a tē- cùm forum commune sit, uicinitas non requiritur. Sed
porum cala- casu nescio quo in ea tēpora nostra ætas incidit, ut cum
mitate. maximè florere nos oporteret, tum uiuere etiam pude-
† profugiū ret. Quod enim poterat mihi esse † perfugium spoliato
& domesticis, & fōrensibus ornamentis, atq; solatijs? li
Epilogus teræ credo, quibus utor assiduè. Quid enim aliud fāce-
re possum? sed nescio quo modo ipsæ illæ excludere me
à portu, & perfugio uidentur, & quasi exprobrare,
quòd in ea uita maneam, in qua nihil insit, nisi propaga
Cur ab urbe tio miserrimi temporis. Hīc tu ea me abesse urbe mira-
absit. ris, in qua domus nihil delectare posit, summū sit odium
Correctio de temporum, hominum, fori, curiæ? Itaq; sic literis utor,
literis. in quibus consumo omne tempus, non ut ab his medici-
Cōclusio epi nam perpetuam, sed ut exiguam doloris obliuionem pe
stolæ, dein- tam. Quòd si id egissemus ego atq; tu, quod ne in men-
ceps una su- tem quidem nobis ueniebat propter quotidianos † me-
mus. † motus tus, omne tempus unà fuissemus: neq; me ualetudo tua
offenderet, neq; te mœror meus: quod quantum fieri po
terit, consequamur. Quid enim utriq; nostrum aptius?
Propediem te igitur uidebo. Vale.

ARG.

ARG. EPIST. SEQ.

Exordium ducitur a difficultate, & subiicitur apta correctio, quæ continet propositionem, uidelicet quod scripturus sit quandam consolationem. Sequuntur argumenta. Primum a loco communi de conditione mortalitatis. Secundum miserijs Reipub. uidelicet bene cum his agi, qui eripiuntur publicis calamitatibus. Tertium argumentum est dilemma, Aut tua causa, aut filij causa doles. Filij causa non est dolendum. Primum, quia in morte nihil mali est. Secundo quia talia sunt tempora, ut mors optanda uideatur. Hic addit pathos, ait se gratulatum esse mortem plerisq;, qui hoc tempore decesserint. Deinde concludit alteram partem, ne sua causa doleat. Ratio sumitur ab officijs fortitudinis.

M. T. Cicero Titio S. D. 73

ETsi unus ex omnibus minimè sum ad te consolandum accommodatus, quòd tantum ex tuis molestijs cepi doloris, ut cōsolatione ipse egerem: tamen cùm longius à summi luctus acerbitate meus abesset dolor, q̄ tuus, sta tui nostræ necessitudinis esse, meæq; in te beneuolentiæ, non tacere tanto in tuo mœrore tandiu: sed adhibere aliquam modicam consolationem, quæ leuare dolorem tuum posset, si minus sanare potuisset. Est autem consolatio peruulgata quidem illa maximè, quam semper in ore, atq; in animo habere debemus, Homines nos ut esse meminerimus, ea lege natos, ut omnibus telis fortunæ proposita sit uita nostra: neq; id esse recusandū, quò minus ea, qua nati sumus, cōditione uiuamus: néue tam grauiter eos casus feramus, quos nullo consilio uitare possumus: euentisq; aliorum memoria repetendis, nihil accidisse nobis noui cogitemus. Neq; hæ, neq; cæteræ consolationes, quæ sunt à sapientissimis uiris usurpatæ, memoriæq; & literis proditæ, tantum uidentur proficere debere, quantū status ipse nostræ ciuitatis, & hæc perturbatio

Cōsolatoria generis sui-
sorij epistola.

Exorditur partim a sua ipsius extenuatione, partim ab officio

Propositio

A communi lege naturæ.

A statu perturbato ciuitatis, & temporum confusione cōsolatur.

A temporū miserijs.

turbatio temporũ perditorũ: cum beatißimi sint, qui liberos non susceperunt: minus autem miseri, qui his temporibus amiserunt, quàm si eosdem bona, aut deniq; aliqua respublica perdidissent. Quòd si tuũ te desiderium mouet, aut si tuarum rerum cogitatione mœres: non facilè exhauriri tibi istum dolorẽ posse uniuersum puto: sin illa te res cruciat, quæ magis amoris est, ut eorũ, qui occiderunt, miserias lugeas (ut ea non dicam, quæ sæpissimè & legi, et audiui, nihil mali esse in morte, in qua si resideat sensus, immortalitas illa potius, quàm mors dũcẽda sit: sin sit amissus, nulla uideri miseria debeat, quæ non sentiatur) hoc tamen non dubitans confirmare possum, ea miseri, parari, impendêre reipublicæ, quæ qui reliquerit, nullo modo mihi quidem deceptus esse uidetur. Quid est enim iam non modo pudori, probitati, uirtuti, rectis studijs, bonis artibus, sed omnino libertati, ac saluti loci? non mehercule quenquam audiui hoc grauissimo, et pestilentissimo anno adolescentulũ, aut puerum mortuum, qui mihi nõ à dijs immortalibus ereptus ex his miserijs, atq; ex iniquissima cõditione uitæ, uideretur. Quare si tibi unũ hoc detrahi potest, ne quid ijs, quos amasti, mali putes contigisse: permultum erit ex mœrore tuo diminutum. Relinquetur enim simplex illa iam cura doloris tui, quæ non cum illis cõmunicabitur, sed ad te ipsum propriè referetur. in qua nõ est iam grauitatis, ac sapientiæ tuæ, quam tu à puero præstitisti, ferre immoderatius casum incommodorũ tuorum, qui sit ab eorum, quos dilexeris, miseria, maloq; seiunctus. Etenim

Dilemmate utitur, hoc modo: Aut doles tuo nomine, aut doles ideo, quia amisisti liberos. Si doles tuo nomine, facile consolari non potes: si doles uicem liberorum, aut putas eos miseros esse, aut aliquid mali passos: sed mali in morte nihil est: igitur nec miseri sunt, nec mali quid patiuntur.

Conclusio dilemmatis. Clausula. A persona Titij, & ab honesto.

A maiore ad minus.

Etenim eum semper te & priuatis in rebus, & publicis præstitisti, tuenda tibi ut sit grauitas, & cõstantiæ inseruiendum. Nam quod allatura est ipsa diuturnitas, quæ maximos luctus uetustate tollit, id nos præripere consilio, prudentiaq; debemus. Etenim si nulla unquàm fuit liberis amissis tam imbecillo mulier animo, quæ non aliquando lugendi modum fecerit: certè nos, quod est dies allatura, id consilio anteferre debemus: neq; expectare temporis medicinam, quam repræsentare ratione possimus. His ego literis si quid profecissem, existimabam optandum quiddam me esse assecutum: sin minus fortè ualuissent, officio tamen esse functũ beneuolentissimi, atq; amicissimi: quem me tibi & fuisse semper existimes uelim, & futurum esse confidas. Vale.

Huic parti nunc opponit argumentum sumptũ ab officijs forti tudinis.

Epilogus a dilemmate.

ARG. EPIST. SEQ.

Consolatur Sextiũ iniquo iudicio damnatũ, ac primũ cõmemorat sua officia, postea hortatur, ut fortiter ferat iniuriã. Argumenta addit ab exemplis & perturbatione Reipub. Admiscet quędam de filio, in quibus est aptissimũ pathos. In fine repetit cõsolationem a loco communi. Viros bonos turpitudine non iniurijs commoueri.

M. T C. P. Sextio P. filio S. D. 1574.

NOn obliuione amicitiæ nostræ, neq; intermissione consuetudinis meæ superioribus temporibus ad te nullas literas misi, sed quòd priora tempora in ruinis Reipublicæ nostrisq; iacuerunt: posteriora autem me à scribendo tuis iniustissimis, atq; acerbissimis incommodis retardarunt. Cum uerò & interuallum iam satis longum fuisset, & tuam uirtutem, animiq; magnitudinem diligentius essem mecum recordatus: non putaui esse alienum institutis meis, hæc ad te scribere.

Epistola consolatoria uel hortatoria. Exorditur a causis, ut cũ aliquandiu nihil literarum Sextio miserit, has literas tandem ad eũ mittat. Narratio

Narratio

Ego te P. Sexti & primis temporibus illis, quibus in in-
uidiam absens, & in crimen uocabare, defendi: & cum
†tuũ nomẽ in tui familiarißimi iudicio, & periculo † tuum crimen
coniungeretur, † quàm potui, accuratißimè te tuamq;
† ut causam tutatus sum: & proximè, recenti aduentu meo
cum rem aliter inſtitutam offendiſſem, ac mihi placuiſ-
set, ſi affuiſſem: tamen nulla in re ſaluti tuæ defui. cumq;
eo tempore inuidia annonæ inimici non ſolùm tui, ue-
rumetiam amicorum tuorum, iniquitas totius iudicij,
multaq; alia Reipub. uitia plus, quàm cauſa ipſa, ueri-
tasq; ualuiſſent: Publio tuo neq; opera, neq; conſilio,
Propoſitio cõſolationis. neq; labore, neq; gratia, neq; teſtimonio defui. Quam-
obrem omnibus officijs amicitiæ diligenter à me, ſan-
A cõditione & ſexu. ctéq; ſeruatis, ne hoc quidem prætermittendum eſſe du-
xi, te ut hortarer, rogaremq;, ut & hominem te, & ui-
rum eſſe meminiſſes, id eſt, ut & tu cõmunem incertũq;
A lege naturæ. caſum, quem neq; uitare quiſquam noſtrum, neq; præ-
A mali communione. ſtare ullo pacto poteſt, ſapienter ferres: & dolori forti-
ter, ac fortunæ reſiſteres: cogitaresq; & in noſtra ciui-
tate, & in cæteris, quæ rerum potitæ ſunt, multis fortiſ-
ſimis, atq; optimis uiris iniuſtis iudicijs taleis caſus inci-
A ſtatu reip. diſſe. Illud utinam ne uerè ſcriberem, ea te Republica
carere, in qua neminem prudentem hominem res ulla
Obiter filiũ Sexti laudat ut ab eius do tibus ipſum conſoletur. delectare poſſit. De tuo autem filio uereor, ne, ſi nihil ad
te ſcripſerim, debitum eius uirtuti uidear teſtimonium
nõ dediſſe: ſin autem omnia: quæ ſentio, perſcripſerim,
ne refricem meis literis deſiderium, ac dolorem tuum.
Sed tamen prudentißimè facies, ſi illius pietatem, uirtu-
tem,

tem, induſtriam, ubicunq; eris, tuam eſſe tecum duces.
Nec enim minus noſtra ſunt, quæ animo complectimur, Ab officio.
quàm quæ oculis intuemur. Quamobrem & illius exi-
mia uirtus, ſummusq; in te amor, magnæ tibi cõſolatio- A ſtudio ſuo.
ni debet eſſe, & nos, cæteriq;, qui te non ex fortuna, ſed
ex uirtute tua pendimus, ſemperq; pendemus, † maxi- † al. maxi-
mè etiam, ſi tuæ conſcientiæ, cùm tibi nihil meritò acci- mè animi
diſſe reputabis, & illud adiunges, homines ſapiẽteis tur tui conſci-
pitudine, non caſu, nõ delicto ſuo, non aliorum iniuria entia.
commoueri. Ego & memoria noſtræ ueteris amicitiæ,
& uirtute, atq; obſeruantia filij tui monitus, nullo loco
deero, neq; ad cõſolandum, neq; ad leuandum fortunam
tuam. Tu ſi quid ad me fortè ſcripſeris, perficiam, ne te
fruſtra ſcripſiſſe arbitrêre. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Conſolatio breuis, eſt ſumpta ex commemoratione cõmodo-
rum & incommodorum fortunæ.

M. T. C. T. Fabio S. P. D. 16 75

Exorditur ab extenuatione ſui ipſius et propoſitione conſolatoria.

ETſi egomet, qui te conſolari cupio, conſolandus ipſe
ſum, propterea quòd nullã rem grauius iandiu tuli,
quàm incommodum tuum: tamen te magnopere nõ hor
tor ſolùm, ſed etiam pro amore noſtro rogo, atq; oro,
te ut colligas, uirũq; præbeas, & qua conditione omnes
homines, & quibus temporibus nati ſimus, cogites. Plus
tibi uirtus tua dedit, quàm fortuna abſtulit, propterea
quòd adeptus es, quod non multi homines noui: amiſiſti,
quod plurimi homines nobiliſſimi. Ea deniq; uidetur cõ
ditio impendêre legum, iudiciorum, temporum, ut opti
mè actũ cum eo uideatur eſſe, qui quàm leuiſſima pœna

Ab extenuatione malorũ

A malis reip. futuris.

A spe restitutionis ab exilio.

ab hac Republica discesserit. Tu uerò, qui & fortunas, & liberos habeas, & nos, cæterosq; necessitudine, & beneuolentia tecum coniunctissimos: quiq; magnam facultatem sis habiturus nobiscum, & cum omnibus tuis uiuendi: & cùm unum sit iudicium, ex tam multis, quod reprehendatur, idq; una sententia, eaq; dubia, potentiæ alicuius condonatum existimetur: omnibus his de causis debes istam molestiam quàm lenissimè ferre. Meus animus erit in te, liberosq; tuos semper, quem tu esse uis, & qui esse debet. Vale.

Conclusio epistolæ ab enumeratione

ARG. EPIST. SEQ.

Hæc epistola est fatis bella, qui est scripta ad amicum fucatum, cui non magnam habebat fidem. Orditur a commemoratione beneuolentiæ, deinde comprobat literas Rufi per distributionem, laudat iudicium & officium, postea excusat, quare de consilio profectionis suæ ad Pompeium, nihil ad eum scripserit.

M. T. C. Rufo S. P. D. 17 76

Epistola narratoria & hortatoria.

ET si mihi nunquam dubium fuit, quin tibi essem charissimus: tamen quotidie magis id perspicio: extatq; id quod mihi ostenderas quibusdam literis, hòc te studiosiorem in me colendo fore, quàm in prouincia fuisses (etsi meo iudicio nihil ad tuum prouinciale officium addi potest) quò liberius iudicium esse posset tuum. Itaq; me & superiores literæ tuæ admodum delectauerunt, quibus & expectatum meum aduentum abs te amàter uidebam, & cùm aliter res cecidisset, ac putasses, te meo consilio magnopere esse lætatum: & his proximis literis magnum cepi fructum & iudicij, et officij tui: iudicij, quòd intelligo te, id quod omnes fortes ac boni uiri facere debent, nihil putare utile esse, nisi quod rectum honestumq; sit: officij,

Exorditur perspecto amore, & futura Rufi erga se obseruantia.

Literis quibusdam Rufi ualde se delectatum esse narrat.

Diuisio est figura, de qua Cicero ad Herennium iiij.

officij, quòd te mecum, quodcunq; cepissem cõsilij, polliceris fore: quo neq; mihi gratius, neq; ut ego arbitror, tibi honestius esse quicquam potest. Mihi consilium captum iandiu est, de quo ad te, non quò celandus esses, nihil scripsi antea, sed quia communicatio consilij tali tempore, quasi quædam admonitio uidetur esse officij, uel potius efflagitatio ad coëundam societatẽ uel periculi, uel laboris. Cùm uerò ea tua sit uoluntas, humanitas, beneuolentia erga me, libẽter amplector talem animũ: sed ita (non enim dimittã pudorem in rogando meum) si feceris id, quod ostendis, magnã habebo gratiam: si nõ feceris, ignoscam: & alterũ timori, alterũ mihi te negare nõ † putasse arbitrabor. Est enim res profectò maxima. quid rectum sit apparet: quid expediat, obscurũ est: ita tamen, ut si nos ij sumus, qui esse debemus, id est, studio digni, & literis nostris, dubitare non possimus, quin ea maximè conducant, quæ sunt rectissima. Quare tu, si simul placebit, statim ad me uenies: sin idem placebit, atq; eodem modo, nec continuò poteris, omnia tibi ut nota sint, faciam. Quicquid statueris, te mihi amicum: sin id quod opto, etiam amicissimum iudicabo. Vale.

Narratio Tacite hortatur Rufum, ut suum consiliũ secutus, Pompeij partib⁹ adhæreat

† potuisse.

ARG. EPIST. SEQ.

Hæc non est ex illo genere, quæ sunt diligenter compositæ, estq; purgatio.

M. T. C. Rufo S. P. D. 18 77

Excusatoria & purgatoria epistola.

QVoquo modo potuissem, te conueniissem, si eò quò constitueras, uenire uoluisses. Quare etsi mei cõmodi causa † cõmouere me noluisti, tamen ita existimes uelim, me antelaturũ fuisse, si ad me uenisses, uoluntatẽ tuã

† al. cõuenire.

Exordiτur a suo in locum quem Rufus petere cõstituerat, animo ueniendi.

commodo meo. Ad ea, quæ scripsisti, commodius equidem possem de singulis ad te rebus scribere, si M. Tullius scriba meus adesset: à quo mihi exploratum est, in rationibus duntaxat referendis (de cæteris rebus affirmare non possum) nihil eum fecisse sctentem, quod esset contra aut rem, aut existimationem tuam: deinde si rationum referendarum ius uetus, & mos antiquus maneret, me relaturum rationes, nisi tecum pro coniunctione nostræ necessitudinis cõtulissem, cõfecissemq;, nõ fuisse. Quod igitur fecissem ad urbẽ, si consuetudo pristina maneret: id, quando lege Iulia si licet relinquere rationes in prouincia necesse erat, easdemq; totidem uerbis referre ad ærarium, feci in prouincia. Neq; ita feci, ut te ad meũ arbitrium adducerem: sed tribui tibi tantum, quantum me tribuisse nunquam pœnitebit: † totum enim scribam meum, quem tibi ui deo nunc esse suspectum, tibi tradidi. tu ei M. Mindium fratrem tuum adiunxisti. rationes confectæ me absente sunt tecum: ad quas ego nihil adhibui præter lectionem: ita accepi librum à meo seruo scriba, ut eundem acceperim à fratre tuo. Si honos is fuit, maiorem tibi habere non potui: si fides, maiorẽ tibi habui, quàm penè ipsi mihi. Si prouidendum fuit, ne quid aliter, ac tibi & honestum, & utile esset, referretur: nõ habui, cui potius id negotij darem, q̃ Tullio scribæ meo. Illud quidem certè factum est, quod lex iubebat, ut apud duas ciuitates, Laodicensem, & Apamensem, quæ uobis maximæ uidebantur, quoniam ita necesse erat, rationes confectas: & consolidatas deponeremus. Itaq; huic loco primùm

† al. Tulliũ enim.

Se a fraude cõmissa purgat.

Amplificat id quod Rufo fecit.

Cur rationes confectas deposuerit, & est locus a necessitate, ut lex iusserit.

primùm respondeo, me, quanquã iustis de causis rationes deferre properarim, tamen te expectaturum fuisse, nisi in prouincia relictas rationes pro latis haberem. Quamobrem de Volusio quod scribis, non est id rationum. docuerunt enim me periti homines, in his cum omnium peritissimus, tum mihi amicissimus C. Camillus, ad Volusium transferri nomen à Valerio non potuisse: sed prædes Valerianos teneri: neque id erat sexstertijs XXX. ut scribis, sed XIX. erat enim † curata nobis pecunia Valerij mancipis nomine: ex qua reliquũ quod erat, in rationibus retuli. Sed sic me & liberalitatis fructu priuas, & diligentiæ, & (quod minimè tamen laboro) mediocris etiam prudentiæ, liberalitatis, quòd mauis scribæ mei beneficio, quàm meo, legatũ meum, præfectumq; Leptã maxima calamitate leuatos, cum præsertim non deberent esse obligati. diligentiæ, quòd existimas de tanto officio meo, tanto etiam periculo nec † scisse me quicquam, nec cogitasse: scribã, quicquid uoluisset, cùm id mihi ne recitasset quidem, retulisse. prudentiæ, cum rem à me non insipienter actam, ne cogitatam quidem putes. Nam & Volusij liberandi meum fuit consilium: & ut multa tam grauis Valerianis prædibus, ipsiq; T. Mario depelleretur, à me inita ratio est: quam quidem omnes non solùm probant, sed etiam laudant: et si uerum scire uis, hoc uni scribæ meo intellexi non nimium placere. Sed ego putaui esse uiri boni, cùm populum suum seruaret, cõsulere fortunis tot amicorum, uel ciuium. Nam de Luceio, est ita actũ, ut autore Cn. Pom-

n s peio,

Reiectione utitur in hoc, quod Rufus dixerat Valerium prędem teneri.

† cauta

† fecisse

A se in Volusio prædẽ liberãdo nihil imprudenter factũ probat.

Alia confutatio loci cuiusdam in literis Rufi.

† al. ut sua, quã tamen deposuerat Sext.

peio, ista pecunia in fano poneretur: id ego agnoui meo iussu esse factũ. qua pecunia Pompeius est usus, † ut tua, quam tum deposueras, Sextius. Sed hoc ad te nihil intelligo pertinere. Illud me non animaduertisse, molestè ferrem, ut adscriberem, te in fano pecuniam iussu meo deposuisse, nisi ista pecunia grauissimis esset, certissimisq; monimẽtis testata, cui data, quo Senatusconsulto, quibus tuis, quibus meis literis P. Sextio tradita esset. Quæ cum uiderem tot uestigijs impressa, ut in his errari non posset: non adscripsi id, quod tua nihil referebat. Ego tamen adscripsisse mallem, quando te uideo id desiderare. Sicut scribis tibi id esse referendum, idem ipse sentio: neq; in eo quicquam à meis rationibus discrepabunt tuæ. Addes enim tu, meo iussu, quod ego nunquam addidi: nec causa est, cur negem: nec, si causa esset, & tu nolles, negarẽ. Nam de sestertijs nongentis millibus certè ita relatum est, ut tu, siue frater tuus referri uoluit.

† thæc

† al. Luceio parum pro uisum est. † ista referre.

Sed si quid est, (quando de † Logeio parum gratiosum est) quod ego in rationibus referendis etiamnum corrigere possim: de eo mihi cum Senatusconsulto non sim usus, quid per leges liceat, considerandum est. te certè in pecunia exacta † ita efferre ex meis rationibus relatis non oportuit, nisi quid me fallit: sunt enim alij periores. Illud caue dubites, quin ego omnia faciam, quæ interesse tua, aut etiam uelle te existimem, si ullo modo facere possim. Quòd scribis de beneficijs: scito à me & tribunos militares, & præfectos, & contubernales dum taxat meos delatos esse. In quo quidem me ratio fefellit: liberum

Obiter arguit infidelitatis Rufum.

liberum enim mihi tempus ad eos deferendos existimabam dari: posteà certior sum factus, triginta diebus deferri necesse esse, quibus rationes retulissem. Sanè moleste tuli non illa beneficia tuæ potius ambitioni referuata esse, quàm meæ, qui ambitione nihil uterer. De centurionibus tamen, & de tribunorum militarium contubernalibus, res est in integro. genus enim horum beneficiorum definitum lege non erat. Reliquum est de sestertijs centũ millibus: de quibus memini mihi à te Smyrna literas esse allatas, non mei errati, sed tui: in quo peccatum uidebatur esse, si modo erat, fratris tui, & Tullij. Sed cùm id corrigi non posset, quòd iam depositis rationibus ex prouincia decessissemus: credo me quidem tibi pro animi mei uoluntate, proq; ea spe facultatum, quam tum habebamus, quàm humanissimè potuerim, rescripsisse. Sed neque me tum humanitate mearum literarum obligatum puto, neq; me tuam hodie epistolam de sestertijs centũ sic accepisse, ut ij accipiunt, quibus epistolæ per hæc tempora molestæ sunt. Simul illud cogitare debes, me omnem pecuniam, quæ ad me saluis legibus peruenisset, Ephesi apud publicanos deposuisse: id fuisse sestertia XXII. eam omnẽ pecuniam Pompeiũ abstulisse: quod ego siue æquo animo fero, siue iniquo: tu de sestertijs centum æquo animo ferre debes, & existimare eò minus ad te uel de tuis cibarijs, uel de mea liberalitate peruenisse. Quòd si mihi expensa ista sestertia centũ tulisses, tamen quæ tua est suauitas, quiq; in me amor, nolles à me hoc tempore æstimationem accipere: nam

Ad aliam epistolæ Rufi partem respondet.

Rufum ambitionis arguit.

Ad aliud respondet.

Translatio rei.

Vna causa bellorum ciuilium, Pompeium pecunias sustulisse

Epilogus

Nam numeratum si cuperem, nõ erat. Sed hæc iocatum me putato, ut ego te existimo. Ego tamen, cum Tullius rure redierit, mittam eum ad te, si quid ad rem putabis pertinere. Hanc epistolam cur non scindi uelim, causa nulla est. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Initio respondet ad Messini literas, & in fine addit consolationem: orditur autem ab approbatione literarum istius, & proponit se similiter affectum esse, & eius consuetudinem desiderare. Ratio ex collatione, quia ne antea quidem cuiusquam consuetudo iucundior fuit. Sequitur amplificatio ex contrario, Optarim in solitudine uiuere, quam nunc in urbe. Huic affectui rursus opponit duas res, quibus se consolatur ipse, studia & conscientiam cõsiliorũ, quę postea pluribus uerbis explicat. In fine addit consolationem ex loco communi, nihil metuendum esse ei, qui culpa careat.

M. T. C. L. Meßino S. P. D. 19 78.

Hortatoria est epistola. Exorditur a collatione studij utriusque.

GRatæ mihi tuæ literæ fuerunt: ex quibus intellexi, quod etiã sine literis arbitrabar, uidãli mei te summa cupiditate affectũ esse: quod ego ita libenter accipio, ut tamen libẽter tibi non concedã: nam tecum esse, ita mihi commoda omnia, quæ opto, cõtingant, ut uehementer uelim. Vt enim cùm esset maior & uirorum, & ciuium bonorum, & iucundorũ hominum, & amantium mei copia: tamen erat nemo, qui cum essẽ libentius, quàm tecum, & pauci, quibus cum essem æquè libenter: sic hoc uero tempore, cum alij interierint, alij absint, alij mutati uoluntate sint, unum mediusfidius tecum diem libentius posuerim, quàm hoc omne tempus cum plerisq; eorum, quibus cum uiuo necessariò. Nolim enim existimare te, mihi non solitudinem iucundiorem esse, qua tamen ipsa uti non licet, quàm sermones eorũ, qui

Ratio propositionis. Exponit narrationem suorũ temporũ. Amplificatio a tempore. Prolepsis Alia amplificatio. Hæc, ut consoletur Messinũ, commorat. Narratio

qui frequentãt domum meam, excepto uno, aut ad summum altero. Itaq; utor eodem † perfugio, quo tibi utendum censeo, literulis nostris, præterea etiam conscientia consiliorum meorum. Ego enim is sum, quem admodum tu facilimè potes existimare, qui nihil unquam mea potius, quàm meorum ciuium causa fecerim: cui nisi inuidisset is, quem tu nunquàm amasti (me enim amabas) & ipse beatus esses, & omnes boni. Ego sum, qui nullius uim plus ualere uolui, quàm honestum otium: idemq;, cùm illa ipsa arma, quæ semper timueram, plus posse sensi, quàm illum consensum bonorum, quem ego idem effecerã, quamuis tuta conditione pacem accipere malui, quàm utribus cum ualentiore pugnare. Sed & hæc, & multa alia coràm breui tempore licebit. Neq; me tamen ulla res alia Romæ tenet, nisi expectatio rerum Africanarum: uidetur enim mihi res in propinquũ adducta discrimen: puto autem mea nonnihil interesse: quanquàm id ipsum, quid intersit, non sanè intelligo. Verumtamen quicquid illinc nuntiatum sit, non longè abesse uelim à consilijs amicorum. Est enim res ipsa iam in eum locum adducta, ut quanquàm multum intersit inter eorum causas, qui dimicant, tamen inter uictorias non multum interfuturum putem. Sed planè animus, qui dubijs rebus forsitan fuerit infirmior, desperatis confirmatus est multum: quem etiam superiores tuæ literæ confirmarunt: quibus intellexi, quàm fortiter iniuriam ferres: iuuitq; me, tibi cum summã humanitatẽ, tum etiam tuas literas profuisse. Verum enim scribam: teneriore mihi

Narratio † profugio

Apodioxis Cur Romæ maneat, Cicero exponit.

Apostrophe

Hortatur Mesinum, ut aduersam fortunam æquo animo ferat.

mihi animo uidebare: sicut omnes ferè, qui uita ingenua, in beata, & libera ciuitate uiximus. Sed ut illa secunda moderatè tulimus: sic hanc non solùm aduersam, sed etiam funditus euersam fortunam fortiter ferre debemus: ut hoc saltè in maximis malis boni sequamur, ut mortem, quam etiã beati contemnere debeamus, propterea quòd nullum sensum esset habitura, nunc sic affecti non modò contemnere debeamus, sed etiam optare.

Hortatur Mesinum, ut in solitudine maneat, nec in urbem redeat.

Tu, si me diligis, fruere isto otio, tibiq; persuade, præter culpam, ac peccatum, quo semper caruisti, & carebis. homini accidere nihil posse, quod sit horribile, aut pertimescendum. Ego, si uidebitur rectè fieri posse, ad te ueniam breui: si quid acciderit, ut mutandum consilium sit, te certiorem faciam statim. Tu ita fac cupidus mei uidendi sis, ut istinc te ne moueas tam infirma ualetudine, nisi ex me prius quæsieris per literas, quid te uelim facere. Me uelim, ut facis, diligas, ualetudiniq; tuæ, & tranquillitati animi seruias. Vale.

Ratio consolationis.

Epilogus.

DOCTIS-

DOCTISSIMORVM VIRORVM ANnotationes & castigationes in quintum librum Epist. Famil. Ciceronis.

In Epist. 1.

ME absentem) Galliam administrantem. S.Cor.

Metellum fratrem) Qu. Metellum Nepotem Trib. pleb.

Meum studium) tempore coniurationis Catilinæ, quum prætor essem.

Te tam) in omnibus fere libris legitur, Etiam: ut magis Ciceronem mordeat. quasi dicat, sicut es in alios.

Nec absentem ludibrio læsum iri) Alij, Me absentem ludibrio læsum iri. B.Rutil.

In Epist. 2.

Non iucunda & mediocris) Al. non iucunda, sed mediocris. S.Cor.

De sortitione uestra) Legitur & nostra, hoc est mea & C. Antonij.

Ea perscriptione est) Al. ea præscriptione est.

Immutata est) Al. imminuta est.

In aliquo. leges, In annuo, in animo, in minimo.

Causa, dicendi. Al. causa, ad dicendum.

Scribis ad me. Purgatio. Narrat autem factum, in quo transfert in se dicti sui reprehensionem, & est prima propositio.

Fratri tuo Reipub. causa restiterim. Concessioni opponit rationem facti sui.

Huius ego temeritati. Ratio quare Metello aduersatus sit.

In Epist. 3.

Homiuis importunissimi. P. Clodij

Fratris. P. Clodij

Lælium. Al. Lollium.

Hominis importunissimi. Narratiuncula, quomodo tractetur a fratre, & quomodo ip se contra affectus sit.

In Epist. 4.

Qu. Metello Nepoti Cos. Sic omnes fere libri habent. Nam consuli Cicero exul scribit.

T. Pompeij. Attici, ad quem lib. iij.

Crudelitatem tuorum. P. Clodij fratris.

Ib

In Epist. 5.

C. Antonio) in cõsulatu collegæ, nunc in Macedonia Procos.
Delata sunt) Valerio interprete nunciante, Thilioq; scribente
B. Rutil. Quum T. Pompeius homo) Pomponius legendum, & alij co-
dices & subiecta indicant.
Etsi statueram) Exordium a causa, quare scribat.
Ego abs te) Propositio continens expostulationem: Non re-
tulisti bonam gratiam.

In Epist. 6.

Millibus numum) Diebus xxxv. in peruetere libro legimus.
Omnino semissibus) Varie legitur, Omni semissibus, Homini
semissis, Omnino semissium, Omnino e semessibus, Homini semis-
si: & demiq; in uetustissimo libro, Enni semissibus, ut forte inter-
pretandum sit, semuiris quos Ennius & ueteres semisses appella-
rint, sicut & Varinius in epist. ix. huius libri.
Qui ex obsidione) Qui effeci, ne Catilina faceret impetum in
facultates diuitum.

In Epist. 7.

Publice missisti) ex Asia, de Mithridatico bello confecto.
Africanus) Minor, Scipio Æmilianus dictus.
Lælius. cognomento sapiens, qui de amicitia apud Cicero-
nem disputat
Ex literis tuis. Narratio: habet gratulationẽ de literis ipsius
publice scriptis. Deinde reprehensionem priuatarum literarum.

In Epist. 8.

Vel tuendæ. contra Atteium Trib. pleb. & reliquos aduer-
sarios epist. viij. lib. i.
Cũ Cos. L. Domitio Ænobarbo & Appio Claudio Pulchro
Hominum. Catonis & aliorum.
Vxor. Tertulla.
Violata. Al. uiolenta.
Neq; me hercule. Amplificatio ex præcedentibus offen-
sionibus, estq; antithesis. Ante inciderunt offensiones, nunc sumus
amici.

In Epist. 9.

Ad te uenit. Al. aduenit
Pro se causam. De supplicationibus obtinendis
In periculo. reum factum anno decimo fere ante. Epist. xvij
libro primo.
Potentissimorum hominum. Catonis Fauonij & aliorum.
Tuus seruus. Dionysius epist. lxxvij. lib. xiij.

In Epist. 10.

Ingenuas matres) Al. ingenuos.
Semissis) semiuir. sed hic locus sic etiam legitur: simius. non
semissis homo.
Appij os) audaciam, impudentiam.
In cuius) iampridem apud Euboicum sinum mortui.

In Epist. 12.

Quod mihi fœminam) Narratio.

In Epist. 13.

Affici) Allici, nonnulli legunt: alij flecti.
Epaminondas) lege Probum in uita.
Ardeo cupiditate) Narratio ac petitio. Amplificat a causa cur
ab ipso celebrari uelit. Secundo quomodo uelit scribi, scilicet ut
peculiare opus fiat, & seiunctum a reliquis.
Italici belli) id est socialis belli.
Ciulis) Scilicet quod excitauit Brutus, & deinde Sylla.
Itaq; te plane) Alia circumstantia, quomodo uelit scribi, sed
eum amplificationibus & laudibus.
Nec minor enim) Amplificatio.
Hector ille Næuianus) Aliud exemplum quo ostendit sibi ho-
norificum esse ornari a Luceio. secundum argumentum a suo in-
commodo uitando. Si tu non scripseris, me oportebit scribere,
quod est incommodum.

In Epist. 14.

Ad consolandum) Propositio, ualet tua consolatio. Sed addit
correctionem de spe.
Das enim mihi) Repetitio consolationum, quas collegerat Lu-
ceius a conscientia rerum gestarum Ciceronis.

In Epist. 15.

Discesseras) in tua prædia, non multo post Tulliæ mortem.
Ali, legunt, Quam discesserat, scilicet Cæsar in Hispaniam contra
Pompeij filios profectus.
Si solitudine delectare) Distributio.

In Epist. 16.

Vetustus amor) Al. uetustas, amor.

In Epist. 17.

Ea miseri) Al. Antonio omnia perturbantem.
Pestilentissimo anno) post Cæsaris mortem.
Id nos præcipere) Al. id nos præripere.
Etsi unus ex omnibus) Consolatoria generis sua fori.

Exordium habet pathos, quia societas luctus est officiosa, postea addit correctionem, quare tamen scribat consolationem.

Homines nos) Propositio, consolor te. Argumentum primum a loco communi seu a necessaria. Quia utari non possunt ea, quæ sic natura constituta sunt.

Quod si tuũ te) Dilemma, aut tua causa, aut illorũ causa doles.

Quid est enim) Redit ad tempora: prodest hoc tempore eripi ex his tumultibus.

Quare si tibi unum) Conclusio dilemmatis. Si nihil mali accidit filio, illius causa non dolendum est. Sin tua causa doles.

Neq; expectare temporis) Ex maiore. Si tempus mitigat, ergo magis ratio mitigat.

In Epist. 18.

Cepisse) Al. dedisse.

Nõ obliuione) Cõsolatoria, generis suasorij. Excusatio silentij

Prima ratio ab exemplis, similia accidisse bonis uiris multa.

Illud autem utinam) Secunda ratio a conditione Reipub.

Quamobrem & illius) Tertia ratio præcipua de conscientia, sumpta est ex locis honestatis. Tunc merito dolemus, quum culpa nostra contracta est calamitas.

Ego & memoria nostrę ueteris amicitiæ) Conclusio in qua defert officium.

In Epist. 19.

Virtus tua dedit) ut Quæsturam, & Tribunatum.

In Epist. 20.

Atq; eodem modo, nec) Al. atq; eodem nec. Quidam uero legunt: sed neq; eodem modo, nec.

Etsi mihi unquam dubium fuit, quin tibi essem charissimus) Exordium, captat beneuolentiam a Rufi officijs, quæ prædicat.

Itaq; me & superiores literæ tuæ admodum) Propositiones duę de binis literis, posteriores placuerũt propter officiũ et iudiciũ

Mihi consilium captum) Narratio quid constituerit, an uelit se cum Cæsare uel cum Pompeio coniungere.

In Epist. 21.

Ius uetus) ante legem Iuliam.

Totum enim scribam meum) Al. Tullium enim scribam meũ.

M. Mindium) Epist. xxvj. & xxviij. lib. xiij.

Consolidatas) Al. consolutas.

Pro latis) Alij legunt, pro relatis, uel delatis.

Quam tum deposuerat Sextius) Nonnulli ita corrigunt, Quam tu deposueras ex tuis:

Nongentis) Al. nunc centum.

Prouisum)

Prouisum) Al. gratiosum, uel grauisum legas: ut forte legendum sit, gratum uisum.

In pecunia exacta ista) Al. in summa pecuniæ exactæ ita.

Smyrna) Al. Myrnia.

Quomodo potuissem) Exordiũ, Expostulatio cur nõ uenerit.

Ad ea quæ scripsisti) Narrationes de rationibus.

Sed prædes) Prædes sunt in contractibus, uades in capitalibus negocijs.

Mancipis nomine) Mancipes qui tenuerunt conducta uectigalia, & certam pecuniam, Senatui tradiderunt. Est enim manceps, qui certa pecunia promittit se curaturum aliquid in Republica.

In Epist. 22.

Commoda omnia. Al. communia omnia.

Quauis tura. In ueteribus libris fere semper scribitur quamuis tota.

Gratæ mihi tuæ literæ. Consolatoria est. Exordium. Vicissim tecum esse cupio.

Esset maior & uirorum. Ratio propositionis, Antea quoq; libenter tecum eram, quanto magis nunc.

Nolim enim. Alia amplificatio.

Itaq; utor eodem. Narratio quibus rebus se consoletur tali tempore, scilicet duabus, literis & conscientia.

Verum enim scribam. Apostrophe ad Messinium, in qua incipit, & ipsum cõfirmare recitato suo exemplo supra in narratione

Præter culpam. Ratio consolationis. Nihil est pertimescendum præter culpam.

M. T. CICERONIS EPISTOLARVM FAMILIARIVM LIBER VI.

ARG. EPIST. SEQ.

Sunt in hoc libro multæ suauissimæ epistolæ ualde rhetoricæ. Hæc autem consolatoria est, & orditur a loco, ut Torquatus facilius ferat se domo abesse. Deinde consolatur Torquatum spe quadam proposita. Tertio instituit consolationem ex loco communi, Bonum uirum oportet culpam præstare non fortunam. Nos officio adducti bellum gessimus. non spe uictoriæ, sed scientes exitum incertum esse. Igitur moderate feramus. Addit exemplum Torquati, Olim meam imbecillitatem tu reprehendebas, nunc igitur te quoq; confirmato ipse.

M. T. C. Aulo Torquato S. P. D. 1 79.

Epistola consolatoria. Exordium a circumductione & propositione quod Romæ hoc tempore esse bono uiro miserrimũ sit.

Confirmatio propositionis a dolore oculorum.

Consolatur, ne doleat, quod a suis absit, iuxta rebus suis careat.

A felici statu & suorum, & rerum suarũ. Secundũ argumentum a spe reditus.

Consolatur, ne aut desperet, aut aliquid mali metuat.

Non uult ut adeo commune reipub. periculũ lugeat

SI ea perturbatio est omnium rerum, ut suæ quenq; fortunæ maximè pœniteat, nemoq; sit, quin ubiuis, quàm ibi, ubi est, esse malit: tamen mihi dubium non est, quin hoc tempore, bono uiro Romæ esse, miserrimum sit. Nam etsi quocunq; in loco quisq; est, idem est ei sensus, et eadem acerbitas exinteritu rerum & publicarum, & suarum: tamen oculi augent dolorem, qui ea, quæ cæteri audiunt, intueri cogũtur, nec auertere à miserijs cogitationẽ sinunt. Quare etsi multarum rerũ desiderio te angi necesse est: tamen illo dolore, quo maximè te cõfici audio, quòd Romæ nõ sis, animũ tuũ libera. Etsi enim cũ magna molestia tuos tuaq; desideras: tamen illa quidem, quæ requiris, suum statũ tenent: nec melius, si tu adesses, tenerent: nec sunt ullo in proprio periculo. Nec debes tu, cum de tuis cogitas, aut præcipuam aliquam fortunam postulare, aut cõmunem recusare. De te autem ipso Torquate est tuum sic agitare animo, ut non adhibeas in consiliũ cogitatio num tuarũ desperationem, aut timorẽ. nec enim is qui in te adhuc iniustior, quàm tua dignitas postulabat, fuit, non magna signa dedit animi erga te mitigati: nec tamen is ipse, à quo salus petitur, habet explicatã, aut exploratam salutis rationẽ suæ. Cumq; omniũ bellorũ exitus incerti sint, ab altera uictoria tibi periculũ nullum esse perspicio, quod quidem seiunctum sit ab omniũ interitu: ab altera teipsum nunquàm timuisse certò scio.

Reliquum

Reliquum est, ut te id ipsum, quod ego quasi consolationis loco pono, maximè excruciet, commune periculum Reipub. cuius tanti mali, quamuis docti uiri multa dicant, tamen uereor, ne consolatio ulla possit uera reperiri præter illam, quæ tanta est, quantum in cuiusq; animo roboris est, atq; neruorum. Si enim bene sentire, reteq; facere, satis est ad bene, beateq; uiuendum: non uereor, ne eum, qui se optimorum consiliorum conscientia sustentare possit, miserũ esse nefas sit dicere. Nec enim nos arbitror uictoriæ præmijs ductos patriam olim, & liberos, & fortunas reliquisse: sed quoddam nobis officium iustum, & pium, & debitum Reipub. nostræq; dignitati † uidebatur: qui neque cum id faciebamus, tam eramus amẽtes, ut explorata nobis esset uictoria. Quare si id euenit, quod ingrediẽtibus nobis in causam, propositum fuit accidere posse: non debemus ita cadere animis, quasi aliquid euenerit, quod fieri posse nunquàm putaremus. Simus igitur ea mente, quàm ratio, & † ueritas præscribit, ut nihil in uita nobis præstandum præter culpam putemus: eaq; cum careamus, omnia humana placatè, & moderatè feramus. Atq; hæc eò pertinet oratio, ut perditis rebus omnibus, tamen ipsa uirtus se sustentare posse uideatur. Sed si est spes aliqua rebus cõmunibus, ea tu, quicunq; status est futurus, carere non debes. Atq; hoc mihi scribenti ueniebat in mentem, me eum esse, cuius tu desperationem accusare solitus esses, quemq; autoritate tua cunctantem, & diffidentem excitare. Quo quidem tempore non ego causam nostram,

Propositio Occupatio Minor

Confirmat, quod dixit, & quibus rebus adductus utercq; sit, ut Pompeium sequeretur, ostendit.

† uidebamur sequi, qui nec Clausula † uirtus

Exponit quod dixit.

Dilemma

Obiectioni occurrit.

Respondet se non causam Pompeij, sed consilium improbasse.

sed consilium improbabam. Serò enim nos ijs armis aduersari uidebam, quæ multò antè confirmata per nosmetipsos erant: dolebamq; pilis, et gladijs, non consilijs, neque autoritatibus nostris de iure publico disceptari.

† al. docebam.

Neq; ego ea, quæ facta sunt, fore cùm † dicebam, diuinabam futura: sed quod & fieri posse, & exitiosum fore, si euenisset, uidebam: id ne accideret, timebam: præsertim cùm si mihi alterutrum de euentu, atq; exitu rerum promittendum esset, id futurum quod euenit, exploratius possem promittere. His enim rebus præstabamus, quæ non prodeunt in aciem: usu autem armorum, & militum robore inferiores eramus. Sed tu illũ animũ nunc adhibe, quæso, quo me tum esse oportere censebas. Hæc eò scripsi, quòd mihi nunc Philargyrus tuus omnia de te requirenti, fidelissimo animo (ut mihi quidem uisus est) narrauit, te interdum solicitũ solere esse uehementius: quod facere nõ debes, nec dubitare, quin aut aliqua Respub. sis futurus, qui esse debes: aut perdita, non afflictiore conditione, quàm cæteri. Hoc uerò tempus, quo eximati omnes, & suspensi sumus, hòc moderatiore animo ferre debes, quòd & in ea urbe es, ubi nata, & alta est ratio, ac moderatio uitæ: & habes Seruium Sulpitium, quem semper unicè dilexisti: qui te profectò & beneuolentia, & sapientia consolatur. cuius si essemus & autoritatem, & consilium secuti, togati potius potentiam, quàm armati uictoriam subijssemus. Sed hæc longiora fortasse fuerunt, quàm necesse fuit: illa quæ maiora sunt, breuius exponam. Ego habeo, cui plus, quàm tibi

Occupatio

Hortatiuncula. Cur hæc ad Torquatum scripserit.

Hortatiuncula.

A spe reip.

A mali communione.

A patria, in qua uersatur.

Ab animo Seruij Sulpitij.

Correctio cũ transitione, qua attentionem etiam captat.

tibi debeam, neminem: quibus tantum debebam, quantum tu intelligis, eos mihi huius belli casus eripuit: qui sim autẽ hoc tempore, intelligo. sed quia nemo est tam afflictus, qui, si nihil aliud studeat, nisi id, quod agit, non possit nauare aliquid, & efficere: omne meũ consilium, operam, studium, certè uelim existimes tibi, tuisq; liberis esse debitum. Vale.

Epilogus a narratiũcula.

ARG. EPIST. SEQ.

Consolatoria est. Orditur ab excusatione silentij. Deinde addit consolationem, in qua distributio est trium membrorum, ex qua ratiocinatur, & colligit causas minuendi doloris.

M. T. C. A. Torquato S. P. D. 80

PEto à te, ne me putes obliuione tui rarius ad te scribere, quàm solebam: sed aut grauitate ualetudinis, qua tamen iam paululum uideor leuari, aut quòd absim ab urbe, ut qui à te proficiscãtur, scire nõ possim. Quare uelim ita statutũ habeas, me tui memoriã summa cũ beneuolentia tenere, tuasq; omnes res non minori mihi curæ, quàm meas esse. Quòd maiore in uarietate uersata est adhuc tua causa, quàm homines aut uolebant, aut opinabantur: mihi crede, non est pro malis temporum, quod molestè feras. Necesse est enim aut armis urgeri Rempublicã sempiternis, aut his positis recreari aliquando, aut funditus interire. Si arma ualebũt, nec eos, à quibus receſseris, uereri debes: nec eos, quos adiuuisti. Si armis aut cõditione positis, aut defatigatione abiectis, aut uictoria detractis, ciuitas respirauerit: & dignitate tua frui tibi, et fortunis licebit. Sin omnino interierint omnia, fueritq; is exitus, quẽ uir prudẽtissimus

Consolatoria est epistola. Captat benuolentiam ab excusatione infrequentiæ literarum.

Propositio cõsolationis

Argumentũ.

A diuisione impertita est locus, et e singulis partib. probat nihil esse, quod Torquatus animo inæquo ferat.

M. Antonius iam tum timebat, cùm tantum instare malorum suspicabatur: misera est illa quidem consolatio, tali præsertim ciui, & uiro, sed tamen necessaria, nihil esse præcipuè cuiquam dolendum in eo, quod accidat uniuersis. Quæ uis insit in his paucis uerbis (plura enim committenda epistolæ non erant) si attendes, quod facis, profectò etiam sine meis literis intelliges te aliquid habere, quod speres, nihilq; quod aut hoc, aut aliquo Reipublicæ statu timeas: omnia si interierint, cùm superstitem te esse Reipublicæ, ne si liceat quidem, uelis, ferendam esse fortunam, præsertim quæ absit à culpa. Sed hæc hactenus. Tu uelim scribas ad me, quid agas, & ubi futurus sis: ut aut quò scribam, aut quò ueniam, scire possim. Vale.

A mali communione, & est gnome.

Exponit gnome.

Epilogus ab hortatiuncula.

ARG. EPIST. SEQ.

Fere tota epistola consumitur in reiectione: Nihil opus esse lon gioribus literis. In fine breuis consolatio additur ex loco cõmuni. Hæ epistolæ sunt scriptæ tum, quum Cæsar fuit in Aphrica, quũ tam bellũ grauiter denuo erat incensum, & male se res habebãt Põpeij.

M. T. C. A. Torquato S. P. D. 81

Consolatoria epistola. Exorditur a causis, & cur literis superioribꝰ adeo copiosè Torquatum consolatus sit, & cur in præsentibꝰ breuior esse debeat. Dilemma, & est insinuatio

SVperioribus literis benevolentia magis adductus, q̃ quòd res ita postularet, fui longior. Neq; enim confirmatione nostra egebat uirtus tua: neq; erat ea mea causa, atq; fortuna, ut ego, cui ipsi omnia deessent, alterum confirmarem. Hoc autem tempore breuior esse debeo: siue enim tum nihil opus fuit tam multis uerbis, nihilo magis nunc opus est: siue tum opus fuit, illud satis est, præsertim cùm accesserit nihil noui. Nam etsi quotidie aliquid audimus earum rerum quas ad te perferri existimo:

stimo: summa tamen eadem est, & idem exitus, quẽ ego tam uideo animo, quàm ea, quæ oculis cernimus: nec uerò quicquã uideo, quod non idem te uidere certò sciam. Nam etsi quem exitum acies habitura sit, diuinare nemo potest: tamen & belli exitum uideo: & si id minus, hoc quidem certè, cùm sit necesse alterutrum uincere, qualis futura sit uel hæc, uel illa uictoria. Idq; cùm optimè perspexi, tale uideo, nihil ut mali uideatur esse futurum, si id uel antè † ceciderit, quod uel maximum ad timorem proponitur. Ita enim uiuere ut non sit uiuendũ, miserrimum est: mori autem nemo sapiens miserum duxit, ne beato quidem. Sed in ea es urbe, in qua hæc uel plura, & ornatiora parietes ipsi loqui posse uideantur. Ego tibi hoc confirmo, & si leuis est consolatio ex miserijs aliorum, nihilo te nunc maiore in discrimine esse, quàm quemuis aut eorum, qui discesserint, aut eorum, qui remanserint: alteri enim dimicant: alteri uictorem timent. Sed hæc cõsolatio leuis est, illa grauior, qua te uti spero: ego certè utor: nec enim, dum ero, angar ulla re, cum omni uacem culpa: &, si non ero, sensu omnino carebo. Sed rursus γλαῦκα εἰς Ἀθήνας, qui ad te hæc. Mihi tu, tui, tua omnia maximè curæ sunt, &, dum uiuam, erunt. Vale.

Consolatii incipit.

† acciderit

A morte.

Cur morien dum.

Correctio a loco ducta.

Dilemma a culpæ carentia.

id est, Noctuam Athenas: scilicet portas. Vide Chiliad. Erasm.

ARG. EPIST. SEQ.

Initium habet narrationem periculorum. Deinde sequitur consolatio grauis ex loco communi sumpta. Quum nihil sit malum n si culpa, non ualde dolendum esse his qui culpa carent. Addit quasdam priuatas consolationes. In fine commemorat & argumenta, quibus sese Cicero sustentauerit ipse, primo conscientia consiliorũ & anteactæ uitæ. Item casibus summorum uirorum.

M. T. C. A. Torquato S. P. D. 82

Varijs modis captat beneuolentiam.

Exordij pars prima.

Secunda exordij pars, difficile esse de rebus futuris scribere.

Prolepsis

† sciam.

A magnis & Pompeij & Cæsaris copijs est coniectura.

Tertia exordij pars, inter uictorias nihil interfuturum putatur.

A cõscientia rectæ uoluntatis.

Prima propositio.

A culpæ carentia.

Procatalepsis.

NOui, quod ad te scriberẽ, nihil erat: & tamen si quid esset, sciebam te à tuis certiorem fieri solere. De futuris autem rebus etsi semper difficile est dicere, tamen interdum coniectura possis propius accedere, cum res est eiusmodi, cuius exitus prouideri possit. Nũc tantum uidemur intelligere, non diuturnum bellum fore: etsi idipsum nonnullis uideatur secus. Equidẽ cum hæc scribebam, aliquid iam actum putabam: non quòd ego cer-
tò † scirem, sed quòd haud difficilis erat cõiectura. Nam cum omnis belli Mars communis, & cum semper incerti exitus præliorum sint: tamen hoc tempore magnæ utrinq; copiæ, ita paratæ ad pugnandum esse dicuntur, ut utercunq; uicerit, non sit mirum futurum. Illa in dies singulos magis, magisq; opinio hominum confirmatur, etiam si inter causas armorum aliquantum intersit, tamen inter uictorias non multum interfuturum. Alteros propemodum iam sumus experti: de altero, nemo est, quin cogitet, quàm sit metuendus iratus uictor armatus. Hoc loco si uideor augere dolorem tuum, quem consolando leuare debeam, fateor me communium malorum consolationem nullam inuenire, præter illam, quæ tamen, si possis eam suscipere, maxima est, quaq; ego quotidie magis utor: conscientiam rectæ uoluntatis maximam consolationem esse rerum incommodarum: nec esse ullum magnũ malum, præter culpam. A qua quantus tus q; magis nostri consilij, quàm consilium reprehendatur:

datur: & quando præstitimus, quod debuimus, moderatè, quod euenit, feramus. Sed hoc mihi tamen non sumo, ut te consoler de communibus miserijs, quæ ad consolandum maioris ingenij, & ad ferendũ singularis uirtutis indigent. Illud cuiuis facilè est docere, cur præcipuè tu dolere nihil debeas. Eius enim qui tardior in te leuando fuit, quàm fore putaremus, non est mihi dubia de tua salute sententia. de alijs autem nõ arbitror te expectare, quid sentiam. Reliquum est ut te angat, quòd absis à tuis tandiu: res molesta, ab ijs præsertim pueris, quibus nihil potest esse festiuius. Sed ut antea ad te scripsi, tempus est huiusmodi, ut suam quisq; conditionem miserrimam putet: & ubi quisque sit, ibi esse minimè uelit. Equidem nos quòd Romæ sumus, miserrimũ esse duco, non solum quòd in omnibus malis acerbius est uidere, quàm audire: sed etiam, quòd ad omneis casus subitorum periculorum magis obiecti sumus quàm si abessemus: etsi meipsum consolatorem tuum, non tantùm literæ, quibus semper studui, quantùm longinquitas temporis mitigauit. Quanto fuerim dolore, meministi. In quo prima illa consolatio est, uidisse me plus, quàm cæteros, cùm cupiebam, quamuis iniqua conditione, pacem. Quod etsi casu, non diuinatione mea factum est: tamen hac inani prudẽtiæ laude delector. Deinde, quod mihi ad consolationem commune tecum est, si iam uocer ad exitum uitæ, non ab ea Repub. auellar, qua carendum esse doleam, præsertim cùm id sine ullo sensu futurum sit. Adiuuat etiam ætas, & acta iam uita: quæ

Secunda ab utili.

A Cæsaris de salute Torquati sententia.

A tempore Tertia, de loco.

Ab exemplo confirmat, quod dicit.

A literis & temporis longinquitate. Consolatur a suo exemplo

A reip. perturbatione.

quæ cum cursu suo bene confecto delectatur, tum uetat
A multorum uirorũ in bello ciuili obitu
in eo uim timere, quò nos iam natura ipsa penè perduxerit. Postremò, is uir, uel etiam ij uiri hoc bello occiderunt, ut impudentia uideatur, eandem fortunam, si res cogat, recusare. Equidem mihi omnia propono: nec ullum est tantum malum, quod non putem impendêre. Sed cum plus in metuẽdo mali sit, quàm in illo ipso quod timetur, desino: præsertim cùm id impendeat, in quo nõ modò dolor nullus, uerum finis etiam doloris futurus sit.
Conclusio, habet excusationem prolixitatis.
Correctio Narratiuncula.
Sed hæc satis multa, uel plura potius, quàm necesse fuit: facit autem non loquacitas mea, sed beneuolentia longiores epistolas. Seruiũ discessisse Athenis, molestè tuli: non enim dubito, quin magnæ tibi leuationi sit solitus esse quotidianus congressus, & sermo cum familiarissimi hominis, tum optimi & prudentissimi uiri. Tu uelim te, ut debes, & soles, tua uirtute sustentes. Ego
Conclusio epistolæ.
quæ te uelle, quæq; ad te, & ad tuos pertinere arbitrabor, omnia studiosè, diligenterq; curabo: quæ cum faciam, beneuolentiam tuam erga me imitabor, merita non assequar. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Consolatio est, sed orditur a narrationibus, postea subijcit propositionem, in qua est conclusio ducta a spe reditus. Argumenta bene sperandi duo ponit. Primum est coniectura sumpta a conditione Reipub. Non potest ciuitas perpetuo parere præstantioribus ciuibus. Altera coniectura sumitur a persona Cæcinnæ. Fuit autem Cæcinna eruditus, ideo etiã eruditius ad eũ scribit. Ista oratio est character animi, non tantũ eius qui scripsit, sed etiam ad quẽ scribitur.

M. T. C. A. Cæcinnæ S. P. D. 83

Cõsolatoria epistola.
QVotiescunq; filium tuum uideo (uideo autem fere quotidie) polliceor ei studium quidem meum, & operam

operam sine ulla exceptione aut laboris, aut occupationis, aut temporis: gratiam autem, atq; autoritatem, cum hac exceptione, quantum ualeam, quantumq; possim. Liber tuus & lectus est, & legitur à me diligenter, & custoditur diligentissimè. Res, & fortunæ tuæ mihi maximæ curæ sunt, quæ quidem quotidie † faciliores mihi, & meliores uidentur: multisq; uideo magnæ esse curæ: quorum de studio, & de sua spe filium ad te perscripsisse, certò scio. His autem de rebus, quas coniectura consequi possumus, non mihi sumo, ut plus ipse † respiciam, quàm te uidere, atq; intelligere mihi persuaserim: sed tamen quia fieri potest, ut tu ea perturbatione animo cogites, puto esse meum, quid sentiam, exponere. Ea natura rerum est, & is temporum cursus, ut non possit ista aut tibi, aut cæteris fortuna esse diuturna: neq; hærere in tam bona causa, & in tam bonis ciuibus tam acerba iniuria. Quare ad eam spem, quam extra ordinem de te ipso habemus, non solum propter dignitatem, & uirtutem tuam (hæc enim ornamenta sunt tibi etiam cum alijs communia) accedunt tua præcipua, propter eximium ingenium, summamq; uirtutem: cui meherculè hic, cuius in potestate sumus, multũ tribuit. Itaq; ne punctum quidem temporis in ista fortuna fuisses, nisi eo ipso bono tuo, quo delectatur, se uiolatum putasset: quod ipsum lenitur quotidie: significaturq; nobis ab ijs, qui simul cum eo uiuunt, tibi hanc ipsam opinionem ingenij apud ipsum plurimum profuturam. Quapropter primũ fac animo forti, atq; magno sis. ita enim natus,

A narratione exorditur. Distributio
† feliciores
Altera exordij pars, et est insinuatio. Consolatio
† prospiciã
Argumentatur primum a spe communi Propositio. A mali breuitate. A causa A publicis ornamentis
A primatis dotibus. Secundo a proprijs ornamẽtis, quæ spem præbẽt
Cõclusio epistolæ circumstantijs plena

natus, ita educatus, ita doctus es, ita etiam cognitus, ut tibi id faciendum sit. deinde spem quoq; habeas firmissimam propter eas causas, quas scripsi. à me uerò tibi liberisq; tuis omnia paratissima esse confidas uelim. Id enim & uetustas nostri amoris, & mea consuetudo in meos, & tua multa erga me officia postulant. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Consolatio est. Habet autem exordium, in quo est excusatio silentij. Deinde sequitur propositio, qua pollicetur de reditu. Argumentum ornatum est collatione & loco communi: Sicut tu olim diuinabas de meo reditu ex doctrina siue astrorum, siue aruspicum, sic ego nunc ex politica doctrina diuino. Amplificat deinde locũ diuinationis politicæ, & commemorat quasdam suas prædictiones. Deinde subiicit loco communi de diuinatione signa diuinationis suæ, quorum alia sunta persona Cæsaris, alia a conditione & uicibus Rempub. Postea conclusionem addit consolationes ex locis cõmunibus ductas de ferendis fortunæ iniurijs. Est talis etiam epistola de diuinatione ad Atticum libro decimo.

M. T. C. A. Cæcinnæ S. P. D. 84.

Cõsolatio est Exordium, excusatio silentij.

NOn uereor, ne desideres officium meum, quod tibi pro nostra & meritorum multorum, & studiorum & partiũ coniunctione, deesse non debet: sed tamen uereor, ne literarum à me officium requiras: quas tibi & iampridem, & sæpe misissem, nisi quotidie melius expectans, gratulationem, quam confirmationem animi tui complecti literis maluissem. Nunc autem, ut spero, breui gratulabimur: itaq; in aliud tempus id argumentum epistolæ differetur. His autem literis animũ tuum, quem minimè imbecillum esse & audio, & spero, etsi non sapientissimi, at amicissimi hominis autoritate, cõfirmandum etiam atq; etiam puto: nec ijs quidem uerbis, quibus te consoler ut afflictum, & iam omni spe salutis orbatum,

A præoccupatione exordium, cur iam pridem Cæcinnæ non scripserit.

Propositio cum extenuatione sui ipsius.

Consolatio

Propositio cõsolationis

Confirmatio a testibus.

tum, sed ut eum, de cuius incolumitate nõ plus dubitem, quàm te memini dubitare de mea. Nam cùm me ex Republica expulissent ij, qui illam cadere posse, stante me, non putauerũt: memini me ex multis hospitibus, qui ad me ex Asia, in qua tu eras, uenerant, audire te de glorioso, & celeri reditu meo confirmare. Si te ratio quædam † uetustæ disciplinæ, quam à patre nobilissimo, atq; optimo uiro acceperas, non fefellit, nec nos quidem nostra diuinatio fallet: quam tum sapientissimorũ uirorum monumentis, atq; præceptis, plurimoq;, ut scis, doctrinæ studio, tum magno etiam usu tractandæ Reipub. magnaq; nostrorum temporum uarietate consecuti sumus. Cui quidem diuinationi hòc plus cõfidimus, quòd ea nos nihil in his tam obscuris rebus, tamq; perturbatis unquam omnino fefellit. Dicerem, quæ antea futura dixissem, ni uererer, ne ex euẽtis fingere uiderer. Sed tamen plurimi sunt testes, me & initio, ne coniungeret se cum Cæsare, monuisse Pompeium, & posteà, ne seiungeret: cõiunctione frangi senatus opes, disiunctione ciuile bellum excitari uidebam. Atqui utebar familiarissimè Cæsare: Pompeium faciebam plurimi: sed erat meum consilium cùm fidele Pompeio, tum salutare utriq;. Quæ prætereà prouiderim, prætereo. Nolo enim hunc de me optimè meritũ existimare, ea me suasisse Pompeio, quibus ille si paruisset, esset hic quidem clarus in toga, & princeps: sed tantas opes, quantas nunc habet, non haberet. Eundum in Hispaniam censui: quod si fecissem, ciuile bellum nullum omnino fuisset. Rationem haberi

A minori

Amplificatio

†Hetruscæ

A certa sua diuinatione Narratio: nã narrat consilia sua, quæ dedit Pompeio & Cæsari.

Primum consilium. Occupatione utitur, ne offendat Cæsarem.

Secundum consilium.

Tertium consilium.

Clausula.

Pompeium excusat.

Cur Pōpeiū secutus sit.

Consolari incipit.

Diuisio argumentorū.

Minor. Ab illis quæ adsunt Cæsari Primum colligit signa a Cæsaris natura.

baberi absentis non tam repugnaui, ut liceret, quàm ut, quando ipso consule pugnante populus iusserat, haberetur. Causa belli orta est: quid ego prætermisi aut monitorum, aut querelarum? cum uel iniquissimam pacem iustissimo bello anteferrem. Victa est autoritas mea non tam à Pompeio (nam is mouebatur) quàm ab ijs, qui de Pompeio freti, peropportunam & rebus domesticis, & cupiditatibus suis illius belli uictoriam fore putabant. Susceptum bellum est, quiescente me: depulsum ex Italia, manēte me, quoad potui: sed ualuit apud me plus pudor meus, quàm timor: ueritus sum deesse Pompeij saluti, cum ille aliquando non defuisset meæ. Itaq; uel officio, uel fama bonorū, uel pudore uictus, ut in fabulis Amphiaraus, sic ego prudens, & sciens ad pestem ante oculos positum sum profectus. Quo in bello nihil aduersi accidit nō prædicente me. Quare, quando ut Augures, & Astrologi solent, ego quoq; Augur publicus ex meis superioribus prædictis constitui apud te autoritatē augurij, & diuinationis meæ: debebit habere fidē nostra prædictio. Non igitur ex alitis uolatu, nec ex cantu simistro oscinis, ut in nostra disciplina est, nec ex tripudijs solistimis, aut somnijs tibi auguror: sed habeo alia signa, quæ obseruem, quæ etsi non sunt certiora illis, minus tamen habent uel obscuritatis, uel erroris. Notantur autem mihi ad diuinandum signa duplici quadam uia: quarum alteram duco è Cæsare ipso: alteram è temporū ciuilium natura, atq; ratione. In Cæsare hæc sunt: mitis, clemens q; natura, qualis exprimitur præclarè illo

libro. libro Querelarum tuarum. Accedit, quòd mirificè ingenijs excellentibus, quale est tuum, delectatur: præterea cedit multorum iustis precibus, & officio incensis, non inanibus, aut ambitiosis uoluntatibus. In quo uehementer eum consentiens † Hetruria mouebit. Cur hæc igitur adhuc parum profecerunt? quia non putat se sustinere causas posse multorum, si tibi, cui iustius uidetur irasci posse, concesserit. Quæ est igitur, inquies, spes ab irato? Eodem fonte se hausturum intelligit laudes suas, è quo sit leuiter aspersus. Postremò homo est ualde acutus, & multū prouidens: intelligit te hominem in parte Italiæ minimè contemnenda facilè omnium nobilissimū, & in communi Republica cuiuis summorū tuæ ætatis, uel ingenio, uel gratia, uel fama populi Romani parem, non posse prohibere à Republica diutius. Nollet hoc temporis potius esse aliquando beneficium, quàm iam suum. Dixi de Cæsare: nūc dicam de temporū, rerumq; natura. Nemo est tam inimicus ei causæ, quā Pompeius animatus melius, quàm paratus susceperat, qui nos malos ciueis dicere, aut homines improbos audeat. In quo admirari soleo grauitatem, & iustitiam, & sapientiam Cæsaris: qui nunquàm nisi honorificentissimè, Pompeiū appellat. At in eius personam multa fecit asperius. Armorum ista & uictoriæ sunt facta, non Cæsaris. At nos quemadmodum est cōplexus? Cassium sibi legauit: Brutum Galliæ præfecit: Sulpitium Græciæ: Marcellū, cui maximè succensebat, cum summa illius dignitate restituit. Quò igitur hæc spectant? Rerū hæc natura, & ci-

Prolepsis

† curia.

Prolepsis altera.

Deinde colligit signa a natura temporum.

A causa quā Cæcinna secutus sit.

Obiectio Subiectio Ab exemplis aliorum Pompeianorū, quos Cæsar honorifice tractarit.

uilium temporum nõ patietur: nec manens, nec mutata ratio feret: primum, ut non in causa pari eadem sit & conditio, & fortuna omnium: deinde, ut in eam ciuitatem boni uiri, & boni ciues nulla ignominia notati non reuertantur, in quam tot nefariorũ scelerũ condemnati reuerterunt. Habes augurium meum, quo, si quid addubitarem, non potius uterer, quàm illa consolatione, qua facilè fortem uirum sustentarem. Te, si explorata uictoria arma sumpsisses pro Republica (ita enim tum putabas) non nimis esse laudandum: sin propter incertos exitus, euentusq; bellorum posse accidere, ut uinceremur, putasses: non debere te ad secundam fortunam bene paratũ fuisse, aduersam ferre nullo modo te posse. Dispuтarè etiam, quanto solatio tibi conscientia tui facti, quantæue delectationi in rebus aduersis literæ esse deberẽt. Cõmemorarem non solũ ueterum, sed & horum etiam recentium uel ducum, uel comitum tuorum grauissimos casus. Etiam externos multos claros uiros nominarem. leuat enim dolorem communis quasi legis, & humanæ conditionis recordatio. Exponerem etiam, quemadmodum hîc, & quanta in turbatione, quantaq; in confusione rerum omnium uiueremus: necesse est enim minore desiderio perdita Republica carere, quàm bona. Sed hoc genere nihil opus est: incolumẽ te citò, ut spero, uel potius, ut prospicio, uidebimus: intereà tibi absenti, & huic, qui adest, imagini animi, & corporis tui, constantissimo, atq; optimo filio tuo studiũ, officium, operam, laborem meum iampridem et pollicitus sum, & detuli. Nunc

A rerum & ciuilium temporũ natura consolatur.

Alia consolatio.

Epilogus argumentorũ. Obiectione utitur ab animo Cęcinnę, quo arma sumpsit.

A cõscientia, recte facti.

A literis.

A casibus uirorum aliorũ

A reipub. confusione.

Correctio Defert officium.

Nunc hoc amplius, quod me amicissimè quotidie magis Cæsar amplectitur: familiares quidem eius, sicuti neminem. Apud quem quicquid ualebo uel autoritate, uel gratia, ualebo tibi. Tu cura, ut cùm fortitudine animi tui te, tum etiam spe optimorum sustentes. Vale

Conclusio epistolæ.

ARG. EPIST. SEQ.

Excusatio est quare scriptum noluerit exhiberi. Oratio est argута & propria, & pollens ea uirtute quam uocant dinotita.

A. Cæcinna M. Ciceroni S D.

Epistola consolatoria & hortatoria. Exorditur a petitione uentæ, quod liber suus, tam fero Ciceroni sit redditus. Querela de facto quod in libro suo reperiatur.

QVòd tibi non tam celeriter liber est redditus, ignosce timori nostro, & miserere temporis. Filius, ut audio, pertimuit (neq; iniuria) si liber exisset (quandò non tam interest, quo animo scribatur, quàm quo accipiatur) ne ea res ineptè mihi noceret: cum præsertim adhuc stili pœnas dem: qua quidem in re, singulari sum fato. Nam cum mendum scripturæ, litura tollatur, stultitia fama multetur: meus error exilio corrigitur: cuius summa criminis est, quòd armatus aduersario maledixi. Nemo †nostrorũ est, ut opinor, quin uota uictoriæ suæ fecerit: nemo quin etiã cũ de alia re immolaret, tamen eo quidẽ ipso tempore, ut quàm primũ Cæsar superaretur, optarit. hoc si nõ cogitat, omnibus in rebus felix est. si scit, & persuasus est: quid irascitur ei, qui aliquid scripsit contra suã uoluntatẽ, cũ ignorit omnibus, qui multa Deos uenerati sint contra eius salutem? Sed, ut eôdem reuertar, causa hæc fuit timoris: scripsi de te parcè mediusfidius, et timidè, non reuocans me ipse, sed penè refugiens. Genus autem hoc scripturæ nõ modò liberum, sed incitatum, atq; elatum esse debere quis ignorat? So-

† nostrum.

A minori.

Ad institutũ redit, cur sibi in libro suo metuerit.

A persona Ciceronis.

A difficultate rei, quam tractarit, quod nõ pro eo ac uoluit, librũ scribere potuerit.

lutum existimatur esse, alteri maledicere: tamen cauendum est, ne in petulantiam incidas. Impeditum, se ipsum laudare, ne uitium arrogantiæ subsequatur. Solũ uerò liberum, alterum laudare, de quo quicquid detrahas, necesse est aut infirmitati, aut inuidiæ assignetur. Ac nescio, an tibi gratius, opportuniusq; acciderit. Nam quod † præclarè non poteram, primum erat non attingere: secundum beneficium, quàm parcissimè facere: sed tamen ego quidem me sustinui: multa minui, multa sustuli: complura ne posui quidem. Quemadmodum igitur scalarum gradus si alios tollas, alios incidas, nonnullos malè hærentes relinquas, ruinæ periculum struas, nõ ascensum pares: sic tot malis tum uictum, tum fractũ studium scribendi, quid dignum auribus, aut probabile potest afferre? Cùm uerò ad ipsius Cæsaris nomen ueni, toto corpore contremisco, nõ pœnæ metu, sed ipsius iudicij: totum enim Cæsarem non noui. Quem putas animum esse, ubi secum loquitur? hoc probabit: hoc uerbum suspicioſum est: quid si hoc muto? at uereor, ne peius sit. Age uerò, laudo aliquem, num offendo? cum porrò offendam, quid si non uult? armati stilum persequitur, uicti & nondũ restituti quid faciet? Auges etiã tu mihi timorem, qui in oratore tuo caues tibi per Brutum, & ad excusationem sociũ quæris. Vbi hoc omniũ patronus facis, quid me ueterem tuum, nunc omniũ clientem sentire oportet? In hac igitur calumnia timoris, & cæcæ suspicionis tormento, cũ plurima ad alieni sensus coniecturam, non ad suũ iudicium scribantur, quàm difficilè

†præstare.

Simile aptissimum.

A persona Cæsaris.

Subiectionibus ludit.

A minori. Ab exemplo Ciceronis.

A maiori. Epilogus argumentorũ, & conclusio huius quæstionis, de forma scripti a difficultate libri sui scribendi.

difficile sit euadere, si minus expertus es, quòd te ad omnia summũ, atq; excellens armauit ingenium, nos sentimus. Sed tamen ego filio dixeram librum tibi legeret, & auferret: aut ea cõditione daret, si reciperes te correcturum: hoc est, si totum alium faceres. De Asiatico itinere, quanquàm summa necessitas premebat, ut impetrasti, feci. Te pro me quid horter? uides tempus uenisse, quo necesse sit de nobis constitui. Nihil est mi Cicero, quòd filium meum expectes: adolescens est: omnia excogitare, uel studio, uel ætate, uel metu nõ potest. Totum negotiũ tu sustineas oportet: in te mihi omnis spes est. Tu pro tua prudentia, quibus rebus gaudeat, quibus capiatur Cæsar, tenes: à te omnia proficiscantur, & per te ad exitum perducantur, necesse est: apud ipsum multum, apud eius omneis plurimum potes: unum si tibi persuaseris, non hoc esse tui muneris, si quid rogatus fueris, ut facias (quanquàm id magnum, & amplum est) sed totum tuum esse, omne onus perficies: nisi fortè aut in miseria nimis stultè, aut in amicitia nimis impudenter tibi onus impono. Sed utriq; rei excusationem, tuæ uitæ consuetudo dat: nam quòd ita consueuisti pro amicis laborare, non iam sic sperant abs te, sed etiam sic imperant tibi familiares. Quod ad librum attinet, quem tibi filius dabit, peto à te, ne exeat: aut ita corrigas, ne mihi noceat. Vale.

Narratiuncula.

Aliud argumentum. Hortatur Ciceronem.

A facili.

Molesta excusatio.

A consuetudine Ciceronis in defendendis amicis.

ARG. EPIST. SEQ.

Fuerat in Sicilia Cæcinna usq; ad præstitutum a Cæsare tempus, cum iam id adesset, ueritus Cæcinna, ne Cæsaris animũ abalienaret, consuluit Ciceronẽ, an relicta Sicilia in Asiam se transferret.

Huic consultationi Cicero respondet: suadens, suo consilio in Sicilia maneat, idq; argumentis a loci natura sumptis, & ab utili.

M. T. C. A. Cæcinnæ S. D. 86

Narratio, & expositio consilij. Epistola est suasoria. Exorditur a narratione.

CVm esset mecum Largus, homo tui studiosus, locutus, Calendas Ian. tibi præfinitas esse, quòd in omnibus rebus perspexeram, quæ Balbus, & Oppius absente Cæsare egissent, ea solere illi rata esse, egi uehementer cum his, ut hoc mihi darent, tibi in Sicilia, quoad uellemus, uti esse liceret. Qui mihi consuessent aut libenter polliceri, si quid esset eiusmodi, quod eorũ animos non offenderet, aut etiam negare, & afferre rationem cur negarent: huic meæ actioni, uel rogationi potius, non continuò responderunt: eodem die tamen ad me reuerterunt: mihiq; hoc dederunt, ut esses in Sicilia, quoad uelles: se præstaturos, nihil ex eo te offensionis habiturum. Quando quid tibi permittatur, cognouisti: quid tibi placeat, puto te scire oportere. Aclis his rebus, literæ à te mihi sunt redditæ, quibus à me consiliũ petis, quod sim tibi autor, in Siciliáne subsidas, an ut ad reliquias Asiaticæ negotiationis proficiscare. Hæc tua deliberatio non mihi cõuenire uisa est cum oratione Largi. Ille enim mecum, quasi tibi non liceret in Sicilia diutius commorari, ita locutus erat: tu autem quasi concessum sit, ita deliberas. Sed ego siue hoc, siue illud est, in Sicilia censeo commorandum. Propinquitas locorũ uel ad impetrandum adiuuat crebris literis, et nuntijs, uel ad reditus celeritatem, re aut impetrata, aut (quod spero) aliqua ratione confecta. Quamobrem censeo magnopere commo-

Iurisconsultorum uox. Transitio Noua narratiuncula. Propositio consilij. A locorum propinquitate. A celeritate reditus. Consilium. Narratio

commorandum. T. Furfano Posthumio familiari meo, legatisq; eius, item meis familiaribus diligentißimè te commendabo, cùm uenerint: erant enim omnes Mutinæ. uiri sunt optimi, & tui similium studiosi, & mei necessarij. Quæ mihi uenient in mentem, quæ ad te pertinere arbitrabor. ea mea sponte faciam. Si quid ignorabo, de eo admonitus, omniũ studia uincam. Ego etsi coràm de te cum Furfano ita loquar, ut tibi literis meis ad eum nihil opus sit: tamen quoniam tuis placuit, te habere meas literas, quas ei redderes, morẽ his gessi: earum literarum exemplum infrà scriptum est. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Commendatio est. Orditur narrationem ab Auli officijs, quare tueri Cæcinnam debeat. Et est cõmunis forma cõmendatitiarum.

M. T. C. Furfano Prætori S. P. D. 87

CVm A. Cæcinna tanta mihi familiaritas, cõsuetudoq; semper fuit, ut nulla maior esse posit. Nam & patre eius claro homine, & forti uiro plurimũ usi sumus: & hunc à puero, quòd & spem mihi magnã afferebat summæ probitatis, summæq; eloquẽtiæ, & uiuebat mecum coniunctißimè, nõ solum officij amicitiæ, sed etiam studijs cõmunibus, sic semper dilexi, ut non ullo cum homine coniunctius uiuerẽ. Nihil attinet me plura scribere, q̃ quòd mihi necesse sit eius salutẽ, & fortunas, quibuscunq; rebus posim tueri, ut uides. Reliquum est, ut cum cognôrim pluribus rebus, quid tu & de bonorum fortuna, & de Reipublicæ calamitatibus sentires, nihil à te petã, nisi ut ad eam uoluntatẽ, quam tua sponte erga

Cõmendatoria epistola. Exorditur a causis commendationis Narratio, quæ habet argumenta ab officijs.

Commendatio est.

Epilogus

Cæcinnam habiturus esses, tantus cumulus accedat commendatione mea, quãti me à te fieri intelligo. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Exordium a commemoratione beneuolentię, & querela, quod neq; ipsius consilijs auscultauerit, neq; cito reuocatus sit a Cæsare.

M. T. C. Trebatio S. P. D. 88

Consolatoria epistola. Exordiur ab amplificatione amoris & studij erga Trebatium

EGo quanti te faciam, semperq; fecerim, quanti me à te fieri intellexerim, sum mihi ipse testis. Nam & consilium tuum, uel casus potius, diutius in armis ciuilibus commorandi, semper mihi magno dolori fuit: & hic euentus, quòd tardius, quàm est æquum, & quàm ego uellem, †receperis fortunam, & dignitatem tuam, mihi nõ minori curæ est, quàm tibi semper fuerint casus mei. Itaq; Posthumeleno, & Sextio, & sæpissimè Attico nostro, proximeq; Teudæ liberto tuo totum me patefeci, & his singulis sæpe dixi, quacunq; re possem, me tibi, & literis tuis satisfacere cupere: idq; tu ad tuos uelim scribas, hæc quidem certè quæ in potestate mea sunt, ut operam, studium, consilium, rem, fidem meam, sibi ad omneis res parata putent. †Si autoritate, & gratia tantum possem, quantum in ea Repub. de qua ita meritus sum, posse deberem: tu quoq; is esses, qui fuisti, cum omni gradu amplissimo dignissimus, tum certè ordinis tui facilè princeps. Sed quãdo eodem tempore, eademq; de causa nostrum uterq; cecidit: tibi & illa polliceor, quæ suprà scripsi, quæ sunt adhuc mea: & ea quæ præterea uideor mihi ex aliqua parte retinere tanquam ex reliquijs pristinæ dignitatis. Neq; enim ipse Cæsar, ut multis

recuperes.

Propositio in qua pollicetur officiũ suum Trebatio.

† Sin

Ratio quæ confirmat propositionẽ

multis rebus intelligere potui, est alienus à nobis: & omnes ferè familiarissimi eius, quasi deuincti meis magnis ueteribus officijs me diligenter obseruant, & colunt. Itaq; si quis mihi erit aditus de tuis fortunis, id est, de tua incolumitate, in qua sunt omnia, agendi, quod quidem quotidie magis ex eorum sermonibus adducor ut spe rem: agam per me ipse, & moliar. singula persequi non est necesse: uniuersum studium meũ, & beneuolentiam ad te defero. Sed magni mea interest, hoc tuos omneis scire, quod tuis literis fieri potest: ut intelligant omnia Ciceronis patêre Trebatio. Hoc eò pertinet, ut nihil existiment esse tam difficile, quod non pro te mihi susceptum, iucundum sit futurum. Antea misissem ad te literas, si genus scribendi inuenirem. tali enim tempore aut consolari amicorum est, aut polliceri. Consolatione non utebar, quòd ex multis audiebam, quàm fortiter, sapienterq; ferres iniuriam temporum, quàmq; te uehementer consolaretur cõscientia factorum, & consiliorum tuorum. quod quidem si facis, magnum fructum studiorum optimorum capis, in quibus te scio semper esse uersatum: idq; ut facias, etiam atq; etiam hortor. Simul & illud tibi homini peritissimo rerum, & exemplorũ, & omnis uetustatis, ne ipse quidem rudis, sed in studio minus fortasse, quàm uellem, & in rebus, atq; usu plus etiam, quàm uellem, uersatus, spondeo, tibi acerbitatem istam, & iniuriam non diuturnã fore. Nam & ipse, qui plurimum potest, quotidie mihi delabi ad æquitatem, & ad rerum naturam uidetur: & ipsa causa ea est, ut

A Cæsaris persona Trebatium cõsolatur.

A familiaribus Cæsaris.

Cur suũ erga Trebatium animũ omnibus amicis, eiq; perspectũ esse uelit.

Procatalepsis.

Consolatio duplex, a loco cõmuni, & ab argumentis de reditu.

Cur antehac nullas literas Trebatio scripserit.

A diuisione

Abreuitat exilij.

Rationes de reditu a Cæsaris persona & a Reipub. statu.

A causa.

iam simul cum Repub. quæ in perpetuum iacêre non potest, necessariò reuiuiscat, atq; recreetur: quotidieq; alia quid fit lenius, & liberalius, q̃ timebamus. Quæ quando in temporũ inclinationibus sæpe paruis posita sunt, omnia momenta obseruabimus: neq; ullum prætermittemus tui iuuandi, & leuandi locum. Itaq; illud alterum, quod dixi, literarum genus quotidie mihi, ut spero, fiet procliuius, ut etiam polliceri possim: id re, quàm uerbis, faciam libentius. Tu uelim existimes, & plureis te amicos habere, quàm qui in isto casu sint, ac fuerint, quantum quidem ego intelligere potuerim: & me concedere eorũ nemini. Fortem fac animũ habeas, & magnum: quod est in te uno: quæ sunt in fortuna, temporibus regentur, & consilijs nostris prouidebuntur. Vale.

A studio suo.

Conclusio, in qua pollicetur Trebatio reditum.

Conclusio epistolæ.

ARG. EPIST. SEQ.

Gratulatio est, cui attexit breuissimam consolationem. Ordítur autem a narratione Dolabellæ, operam prædicans. Quia Cicero coniunctus fuit multis officijs illis, qui erant familiarissimi Cæsaris, ideo multis confecit reditum. Initium est eleganter amplificatum collatione quadam.

M. T. C. Trebatio S. P. D. 10 89

Narratio a Dolabellæ diligentia.

Hortatoria epistola.

Exorditur ab obligatione, qua Trebatio obstrictus sit.

Propositio continens ratulationẽ de reditu.

DOlabellam antea tantummodo diligebam: obligatus ei nihil eram: nec enim acciderat mihi opus esse: & ille mihi debebat, quòd non defuerã eius periculis. Nũc tanto sum deuinctus eius beneficio, quòd & antea in re, & hoc tempore in salute tua cumulatissimè mihi satisfecit, ut nemini plus debeam. Qua in re tibi gratulor ita uehementer, ut te quoq; mihi gratulari, quàm gratias agere malim: alterum non omnino desidero, alterũ uerè facere poteris. Quod reliquum est, quando tibi uirtus, & dignitas tua reditum ad tuos aperuit: est tuæ sapientiæ, magnitudinisq; animi, quid amiseris, obliuisci: quid recuperaueris, cogitare. Viues cum tuis, uiues nobiscũ. Plus acquisiuisti dignitatis, quàm amisisti rei familiaris: quæ ipsa tamen esset iucũdior, si ulla esset Respub. Nestorius noster familiaris ad me scripsit, te mihi maximas gratias agere. Hæc prædicatio tua mihi ualde grata est: eaq; te uti facilè patior, cum apud alios, tum mehercule apud Syronem nostrum amicum. Quæ enim facimus, ea prudentissimo cuiq; maximè probata esse uolumus. Te cupio uidere quàm primum. Vale.

Hortatur ut eorum quæ amisit, prorsus obliuiscatur.

Ab officio.

Quia plus acquisierit, quam amiserit.

Conclusio epistolæ.

ARG. EPIST. SEQ.

Gratulatio est, ac initio statim proponitur propositio, deinde sequitur narratio, in fine addit consolationem ex locis communibus sumptum a uirtute, & fructu literarum.

M. T. C. Appio Balbo S. P. D. 11 90

Exorditur a gratulatione.

Narratio.

Propositio

Cur causam egerit.

GRatulor tibi mi Balbe, uereq; gratulor: nec sum tam stultus, ut te usura falsi gaudij frui uelim: deinde frangi repentè, atq; ita cadere, ut nulla res te ad æquitatem animi postea possit extollere. Egi tuam causam apertius, quàm tempora nostra ferebant. Vincebatur enim fortuna ipsa debilitate gratiæ nostræ, tui charitate, & meo perpetuo erga te amore, culto à te diligentissime. Omnia promissa, cõfirmata, certa, & rata sunt, quæ ad reditum, & salutem tuã pertinent: uidi, cognoui, interfui: etenim omneis Cæsaris familiares satis opportunè habeo implicatos consuetudine, & beneuolentia, sic, ut cũ ab illo discesserint, me proximũ habeãt. Hoc Pansa, Hirtius, Balbus, Oppius, Marius, Postumius, planè ita faciunt,

faciunt, ut me unicè diligant. Quòd si mihi per me efficiendum fuisset, non me pœniteret pro ratione temporum ita esse molitum. Sed nihil est à me inseruitum temporis † causa: ueteres mihi necessitudines cum his omnibus intercedunt, quibus cum ego agere de te non destiti. Principem tamen habuimus Pansam, tui studiosissimũ, mei cupidum: qui ualet apud illum non minus autoritate, quàm gratia. Cimber autem Tullius mihi planè satisfecit. Valent tamen apud Cæsarem non tam ambitiosæ rogationes, quàm necessariæ: quas quia Cimber habebat, plus ualuit, quàm pro ullo alio ualere potuisset. Diploma statim non est datum, quòd mirifica est impro bitas in quibusdam, qui tulissent acerbius, ueniam tibi dari, quem illi appellant tubam belli ciuilis: multáq; ita dicunt, quasi non gaudeant id bellum incidisse. Quare uisum est occultius agendum, neq; ullo modo diuulgandum, de te iam esse perfectum: sed id erit perbreui: nec dubito, quin legente te has literas confecta iam res futura sit. Pansa quidẽ mihi, † grauis homo, & certus nõ solum confirmauit, uerum etiam recepit, perceleriter se ablaturũ diploma. Mihi tamen placuit, hæc ad te perscribi: minus enim te firmum sermo Apuleiæ tuæ, † lachrymæq; Appiæ declarabant, quàm significant literæ tuæ: atq; illæ arbitrabãtur, cum à te abessent ipsæ, multò in grauiore cura te futurum. Quare magnopere putaui angoris, & doloris tui leuandi causa, pro certis ad te ea, quæ essent certa perscribi oportere. Scis me antea sic solitũ esse scribere ad te, magis ut consolarer fortem uirum,

Prolepsis

† gratus.

† causæ.

Cur has literas ad Appiũ miserit.

† al. lacrymæq; ipsæ declarab.

Cõsolatio ex locis communibꝰ sumpta a uirtute Appii, & fructu literarum.

uirum, atq; sapientem, quàm ut exploratam spem salutis ostenderem: nisi eam, quam ab ipsa Repub. cum hic ardor extinctus esset, sperari oportere censerem. Recordare tuas literas, quibus & magnum animum mihi semper ostendisti, & ad omnes casus ferendos constantem, atq; paratum. quod ego non mirabar, cùm recordarer te & à primis temporibus ætatis in Rep. esse uersatũ, & tuos magistratus & in ipsa discrimina incidisse salutis, fortunarumq; cõmunium: & in hoc ipsum bellum esse ingressum, nõ solũ uti uictor beatus, sed etiam, ut si ita accidisset, uictus, & sapiens esses. Deinde cum studium tuum consumas in uirorum fortium factis memoriæ prodendis, considerare debes, nihil tibi esse committendum, quamobrem eorum, quos laudas, non te similem præbeas. Sed hæc oratio magis esset apta ad illa tempora, quæ iam effugisti. Nunc uerò tantùm te para ad hæc nobiscum ferenda, quibus ego, si quam medicinam inuenirem, tibi quoq; eandem traderem. Sed est unum perfugium, doctrina ac literæ, quibus semper usi sumus †: quæ secundis rebus delectationẽ modò habere uidebãtur, nunc uerò etiam salutem. Sed, ut ad initium reuertar, caue dubites, quin omnia de salute, ac reditu tuo perfecta sint. Vale.

Hic consolatur Appium. A tempore quo in Rep. uersatus sit Appius.

A lectione scriptorum.

Conclusio epistolæ ab hortatione, & est locus communis.

† fuimus.

ARG. EPIST. SEQ.

Ligarium consolatur a Cæsaris eum animo, item natura & ratione temporum, cum officij sui commendatione, & hortatione, ut iniuriam temporis fortiter ferat.

M. T. C.

M. T. C. Q. Ligario S. P. D. 92

Consolatoria epistola. Exorditur a causis, cur & hactenus nihil ad Ligariũ scripserit, & cur iã scribat Propositio cõsolationis, & additæ sunt plures rationes. Cur Cæsar non durior in Ligarium futurus sit.

ET si tali tuo tempore me aut consolandi, aut iuuandi tui causa scribere ad te aliquid pro nostra amicitia oportebat: tamen adhuc id non feci: quia neq; lenire uidebar oratione, neq; leuare posse dolorem tuum. Posteà uerò quàm magnam spem habere cœpi, fore, ut te breui tempore incolumem haberemus: facere nõ potui, quin tibi & sententiam, & uoluntatẽ declararem meã. Primùm igitur scribam quod intelligo, & perspicio, nõ fore in te Cæsarem duriorem: nam & res eum quotidie, & dies, & opinio hominum, &, ut mihi uidetur, etiam sua natura mitiorẽ facit: idq; cum de reliquis sentio, tum de te etiam audio ex familiarissimis eius, quibus ego ex eo tempore, quo primum ex Africa nuntius uenit, supplicare unà cum fratribus tuis non desliti: quorum quidem & uirtute, & pietate, & amore in te singulari, & assidua, & perpetua salutis tuæ cura tantum profeci, ut nihil sit, quod non ipsum Cæsarem tributurum existimem. & si tardius fit, quàm uolumus: magnis occupationibus eius, à quo omnia petuntur, aditus ad eum difficiliores fuerunt: & simul Africanæ causæ iratior, diutius uelle uidetur eos habere solicitos, à quibus se putat diuturnioribus esse molestijs conflictatũ: sed hoc ipsum intelligimus eum quotidie remissius, et placatius, ferre. Quare mihi crede, & memoriæ manda, me tibi id affirmasse, te in istis molestijs diutius non futurum. Quandò quid sentirem exposui: quid uellem tua causa, re potius declarabo, quàm oratione. Et si tantũ possem, quantum in

A suo studio

Procatalepsis

Clausula

Defert Ligario suum officium.

A sua opera.

ea Rep. de qua ita meritus sum, ut tu existimas posse debebam: ne tu quidem in istis incõmodis esses. Eadem enim causa opes meas fregit, quæ tuam salutem in discrimen adduxit. Sed tamen quicquid imago ueteris meæ dignitatis, quicquid reliquæ gratiæ ualebunt: studiũ, consilium, opera, gratia, fides mea, nullo loco deerit tuis optimis fratribus. Tu fac habeas fortem animum, quem semper habuisti: primùm ob eas causas, quas scripsi: deinde, quòd ea de Repub. semper uoluisti, atq; sensisti, ut non modò nunc secunda sperare debeas, sed etiam, si omnia aduersa essent, tamen ex conscientia & factorum & consiliorum tuorum, quæcunq; accideren, fortissimo & maximo animo ferre deberes. Vale.

Conclusio breuis ab hortatione.

ARG. EPIST. SEQ.

Nunciatoria est epistola. Exordiũ est officiosum: deinde quid spei habebat de reditu Ligarij a Cæsaris uoluntate, uultũ natura aperiẽs. Postremo hortatur, ut exilium fortiter ferat.

M. T. C. Q. Ligario S. P. D. 92

ME scito omnem meum laborem, omnem operam, curam, studium in tua salute consumere: nam cum te semper maximè dilexi, tum fratrũ tuorum, quos æquè, atq; te, summa beneuolentia sum complexus, singularis pietas, amorq; fraternus, nullum me patitur officij erga te, studijq; munus, aut tempus prætermittere. sed quæ faciam, fecerimq; pro te, ex illorũ te literis, quàm ex meis malo cognoscere. Quid autem sperem, aut confidã, & exploratum habeam de salute tua, id tibi à me declarari uolo. Nã si quisquã est timidus in magnis, periculosisq; rebus, semperq; magis aduersos rerum exitus metuens, quàm

Epistola est nuntiatoria, iuxta consolatoria. Exorditur a narratione. Apodioxis

quàm sperans secundos, is ego sum: & si hoc uitium est, eo me non carere confiteor. Ego idem tamen cum ad

Narratio †VI. †11. Calend. intercalareis priores, rogatu fratrum tuorum uenissem mane ad Cæsarem: atq; omnem adeundi, & conueniendi illius indignitatem, & molestiam pertulissem: cum fratres, & propinqui tui iacerent ad pedes, & ego essem locutus, quæ causa, quæ tempus tum

Ab oratione Cæsaris. Ab oculis, & uultu. postulabat: non solùm ex oratione Cæsaris, quæ sanè mollis, & liberalis fuit: sed etiam ex oculis, & uultu, & multis præterea signis, quæ facilius perspicere potui, quàm scribere, hanc in opinionem discessi, ut mihi tua

Breuis adhortatio. salus dubia non esset. Quamobrem fac animo magno, fortiq; sis: & si turbidissima sapienter ferebas, trãquillora lætè feras. Ego tamen tuis rebus sic adero, ut difficilimis: neq; Cæsari solùm, sed etiam amicis eius omnibus, quos mihi amicissimos esse cognoui, pro te, sicut adhuc feci, libentissimè supplicabo. Vale.

Gratulatoria est epistola.

CICERO BASILIO S. 14 93

TIbi gratulor: mihi gaudeo: te amo: tua tueor: à te amari, & quid agas, quidq; istic agatur, certior fieri uolo. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Reddit causam Bithynicus, cur iuste a Cicerone petere debeatur, deinde quid petat, subijcit.

BITHYNICVS CICERONI S. 94

Petitoria epistola. Exorditur a priuata amicitia. SI mihi tecum non & multæ, & iustæ causæ amicitiæ priuatim essent, repeterem initia amicitiæ ex parentibus nostris: quod faciendũ ijs existimo, qui paternam amicitiam

amicitiam nullis ipsi officijs prosecuti sunt. Itaq; contentus ero nostra ipsorum amicitia: cuius fiducia peto à te, ut me absentem quibuscunq; in rebus opus fuerit, tueare, si nullum officium tuum apud me intermoritum existimas. Vale. Petitio. Enumeratio.

ARG. EPIST. SEQ.

Inter causas cur Rempub. constitutam uelit, & hanc quoq; adfert, uti cum Bithynico uiuere familiarius posset. Laudat deinde eius uoluntatem, & quantopere illi faueat, dicit.

M. T. C. Bithynico S. 16 95

CVm cæterarum rerum causa cupio esse aliquando Rempub. constitutam: tum uelim, mihi credas, † accedere id etiam, quò magis expetam promissum tuum, quo in literis tuis uteris. Scribis enim, si ita sit, te mecum esse uicturum. Gratissima mihi tua uoluntas est: facisq; nihil alienum à necessitudine nostra, iudicijsq; patris tui de me, summi uiri. Nam sic habeto: beneficiorũ magnitudine eos, qui temporibus ualuerunt, aut ualeant, coniunctiores tecum esse, quàm me: necessitudine, neminẽ. Quamobrem grata mihi est & memoria tua nostræ cõiunctionis, & eius etiam augendæ uoluntas. Vale.

Epistola familiaris. Propositio, qua optat ut ita uiuere possit. Exorditur a causis, cur rempub. constitutam uelit Amplificatio †al. accidere.

ARG. EPIST. SEQ.

Mixta hæc epistola est. Primum enim respondet de iure Aruspicum legendorũ in decuriones. deinde de rebus Hispanicis quid certi habeat, edisserit. mox Oratoris sui laudem liberaliter agnoscit, & ut Leptæ filius eo delectetur exoptat. Postremo ad gloriæ & uirtutis studium Leptæ filium exhortatur.

M. T. C. Leptæ S. P. D. 17 96

SImul ut accepi à Seleuco tuo literas, statim quæsiui è Balbo per codicillos, quid esset in lege. Rescripsit, eos qui facerẽt præconium, uetari esse in decurionibus:

Nunciatoria epistola. Exorditur a narratione.

Varię narrationes

qui fecissent, non uetari. Quare bono animo sint & tui, & mei familiares: neq; enim erat ferendum, cum qui ho die arusp icinam facerent, in Senatu Romæ legerentur: eos, qui aliquando præconium fecissent, in municipijs decuriones esse non licere. De Hispanis noui nihil: magnum tamen exercitũ Pompeium habere constat. Nam Cæsar ipse ad nos misit exemplũ Patiatij literarum: in quo erat, illi undecim esse legiones. scripserat etiam Messala Qu. Salasso, Qu. Curtium fratrem eius, iussu Pompeij, inspectante exercitu interfectum, quòd consen sisset cum Hispanis quibusdam, si in oppidũ nescio quod Pompeius rei frumentariæ causa uenisset, eum comprehendere, ad Cæsarem q; deducere. De negotio tuo, quòd

Hæc aũt scripsit tum quũ pater Pompeius erat interfectus Hic autem loquitur de pompeio filio, nõ de patre

A minori Narrat quædam de rebus Hispanicis

† Balbus

sponsor es pro Pompeio: si † Galba consponsor tuus redierit, homo in re familiari non parum diligens, nõ desinam cũ illo cõmunicare, si quid expediri posit: quod uidebatur mihi ille cõfidere. Oratorem meũ tantopere à te probari, uehemẽter gaudeo. Mihi quidem sic persuadeo, me, quicquid habuerim iudicij de dicendo, in illum librum cõtulisse. Qui si est talis, qualem tibi uideri scribis, ego quoq; aliquid sum: sin aliter, nõ recuso, quin quantum de illo libro, tantundem de mei iudicij fama detrahatur. Leptam nostrũ cupio delectari iam talibus scriptis: etsi abest maturitas ætatis, iam tamẽ personare aureis eius huiusmodi uocibus, nõ est inutile. Me Romæ tenuit omnino Tulliæ meæ partus. Sed cùm ea, quem addum spero, satis firma sit, teneor tamen, dũ à Dolabellæ procuratoribus exigam primã pensionẽ: & mehercule non

Oratoris Ciceronis laus

Nratio Ciceronis

Cur Romæ maneat

non tam sum peregrinator iam, quàm solebam. ædificia mea me delectant, & otium domus est, quæ nulli uillarũ mearum cedat, otium omni desertißima regione maius. Itaq; ne literæ quidem meæ impediuntur: in quibus sine ullo † interpellatore uersor. Quare, ut arbitror, prius hìc te nos, quàm istic tu nos uidebis. Lepta suauissimus ediscat Hesiodum: & habeat in ore:

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι. μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν,
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον, ἐπὴν δ' ἐς ἄκρον ἵκηται,
Ῥηϊδίη δ' ἔπειτα τέλλ', χαλεπὴ περ ἐοῦσα.

Vale.

Conclusio ab hortatium cula

Adhortatio

† ulla inter pellatione.

Id est. Aute uirtutẽ sudorẽ dij posuerunt immortales

Longa autẽ, & ardua uia ad ipsam, & aspera primũ Vbi autem in cacumen uentum est, facilis est, quę dura & aspera extiterat

ARG. EPIST. SEQ.

Hortatur Leptam, ne ambitiosius Cæsaris amicitiam ambiat.

M. T. C. Leptæ S. P. D. 18 97

Maculam officio functum esse gaudeo: eius Falernum mihi semper idoneum uisum est diuersorio: si modò tecti satis est ad comitatum nostrum recipiendum. Cæterum is mihi quidem locus non displicet: nec ea re Petrinum tuum deseram. Nam & uilla, & amœnitas illa commorationis est, non diuersorij. De curatione aliqua munerum regiorum cum Oppio locutus sum: nam Balbum, postea quàm tu es profectus, non uidi: tantis pedum doloribus afficitur, ut se cõueniri nolit. Omnino de tota re, ut mihi uideris, sapientius faceres, si nõ curares: quod enim eo labore assequi uis, nullo modo assequêre: tanta est enim intimorũ multitudo, ut ex his potius aliquis effluat, quàm nouo sit aditus: præsertim

Narrationes Dissuasoria est, nam dissuadet Leptę ne ulla munera Cæsari pareret.

Exorditur a laude Maculæ iuxta uillę eius, & uillæ Leptæ

Ætiologia a multitudine familiarium Cæsaris

qui nihil afferat præter operam, in qua ille se dedisse beneficium putabit (si modò ipsum sciet) non accepisse. Sed tamen aliquid uidebimus, in quo sit spes: aliter quidem non modo non appetendum, sed etiam fugiendum puto. Ego me Asturæ diutius arbitror commoraturum, quoad ille quandoq; ueniat. Vale.

Correctio

ARG. EPIST. SEQ.

Monet Toranum, ut in Sicilia maneat, nec aliquo discedat, propter opportunitatē loci, ubi omnia Cæsaris facta, uoluntatem animumq; facile percipere possit, & quid de reditu sperandum sit intelligere. Postremo consolatur notissimis argumentis.

M. T. C. Torano S. P. D. 98

Monitoria est epistola, cōsilium dat ne Toranus ex illo loco discedat. Beneuolentiam captat, & cur breuis in hac epistola esse debeat & a genere epistolæ. Ab utili. Amplificat utilitatem. A loci opportunitate. Clausula.

DEderam triduo antè pueris Cn. Plancij literas ad te: eò nunc ero breuior, teq;, ut antea consolabar, hoc tempore monebo. Nihil puto tibi esse utilius, quàm ibidem opperiri, quoad scire possis, quid tibi agendum sit. Nam præter nauigationis longæ, & hyemalis, & minimè portuosæ periculum, quod uitaueris, ne illud quidem negligendum, quamuis subitò, cùm certi aliquis aduenientibus te offerre gestias. multa præterea mecum, quæ cum Milone nostro communicaui. Quid multa? Loco opportuniore in his malis nullo esse potuisti, ex quo te, quocunq; opus erit, facilimè, & expeditissimè conferas. Quòd si recipiet ille se, ad tempus aderis: sin (quoniam multa accidere possunt) aliqua res eum uel impediet, uel morabitur, tu ibi eris, ubi omnia scire possis: hoc mihi prorsus ualde placet. De reliquo, ut te sæpe per literas hortatus sum, ita uelim tibi persuadeas, te

Conclusio epistolæ a consolatione. A communi periculo.

te in hac causa nihil habere, quod timendum sit, præter communem casum ciuitatis: qui etsi est grauissimus, tamen ita uiximus, & id ætatis iam sumus, ut omnia, quæ non nostra culpa nobis accidēt, fortiter ferre debeamus. Hìc tui omnes ualent, summáq; pietate te desiderant, & diligunt, & colunt. Tu & cura ut ualeas, & te isthinc ne temerè commoueas. Vale.

Ab ætate.

ARG. EPIST. SEQ.

Consolatur Toranum, in eadem cum reliquis Pompeianis conditione existentem: primum quod nihil inopinatū acciderit, ut qui cum alijs hæc euētura prouidisset. deinde a morte, quæ sit omnium malorum extrema defunctio. Postremo a cōscientia rectè factorū.

M. T. C. Torano S. P. D. 99

Consolatoria est epistola. A circumductione ductū est exordiū. A concordia sententiarum. A prouidentia malorum.

ETsi cum hæc ad te scriberem, aut appropinquare exitus huius calamitosissimi belli, aut iam aliquid actum, & confectum uidebatur: tamen quotidie commorabam, te unum in tanto exercitu mihi fuisse assensorem, & me tibi: solosq; nos uidisse, quantum esset in eo bello mali, in quo spe pacis exclusa, ipsa uictoria futura esset acerbissima, quæ aut interitum allatura esset, si uictus esses, aut si uicisses, seruitutē. Itaq; ego, quem tum fortes illi, et sapientes Domitij, & Lentuli timidum esse dicebant (& eram planè: timebam enim, ne euenirent ea, quæ acciderunt) idē nunc nihil timeo, & ad omnem euentum paratus sum. Cum aliquid uidebatur caueri posse, tum id negligi dolebam: nunc uerò euersis omnibus rebus, cum consilio profici nihil possit, una ratio uidetur, quicquid euenerit, ferre moderatè: Præsertim cum omnium rerum mors sit extremum: & mihi sim

Cur ante bellum ciuile timidus fuerit.

conscius, me, quoad licuerit, dignitati Reipublicæ consuluisse: & hac amissa, salutē retinere uoluisse. Hæc scripsi, non ut de me ipse dicerem, sed ut tu, qui coniunctissima fuisti mecum & sententia, & uoluntate, eadem cogitares. Magna enim cōsolatio est, cum recordare, etiā si secus acciderit, te tamen rectē uereq; sensisse. Atque utinam liceat aliquando aliquo Reip. statu nos frui, interq; nos conferre solicitudines nostras, quas pertulimus tum, cum timidi putabamur, quia dicebamus ea futura, quæ facta sunt. De tuis rebus nihil esse, quod timeas præter uniuersæ Reipublicæ interitum, tibi confirmo. De me autem sic uelim iudices, quantum ego posim, me tibi, saluti tuæ, liberisq; tuis summo cum studio præstò semper futurum. Vale.

A mortis bono.
A cōscientia consiliorum Curargumentis consolatoris usus sit.
Applicatio ad cōsolationem.
Epilogus

ARG. EPIST. SEQ.

Domitius hic in bello Pharsalico fuerat, atq; acerrime pro Pompeio dimicauerat, ut ex Lucano constat. Deuicto autem Pompeio, & Catone mortuo, Domitius se in Italiā receperat, ut in patria, in amorē patriæ animā funderet. Itaq; sibi ipse manus inferre statuerat, nisi Hortilia coniuge prohibēte, & Cicerone dissuadēte, in aliā sentētiā perductus fuisset. Eius dissuasionis exēplū hæc est epistola.

M. T. C. Domitio S. P. D. 100

NOn ea res me deterruit, quò minus posteà, quàm in Italiam uenisti, literas ad te mitterem, quòd tu ad me nullas miseras: sed quia nec quid tibi pollicerer ipse egens rebus omnibus, nec quid suaderem, cùm mihimet ipsi consilium deesset, nec quid consolationis afferrem in tantis malis, reperiebam. Hæc quanquam nihilo meliora sunt, † nunc etiam atq; etiam multo desperatiora, tamen inaneis esse meas literas, quàm nullas, malui. Ego si

Exordītur a causis, cur nihil literarum hactenus ad Domitium miserit.
Distributio
† et iam etiam multò desp.

te intelligerem plus conatum esse suscipere Reipub. causa muneris, quàm quantū præstare potuisses: tamen quibuscunq; rebus possem, ad eam conditionē te uiuendi, quæ daretur, quæq; esset, hortarer. Sed cum consilij tui bene fortiterq; suscepti, eum tibi finē statueris, quem ipsa fortuna terminum nostrarum contentionum esse uoluisset, oro, obtestorq; te pro nostra uetere coniunctione, ac necessitudine: proq; summa mea in te beneuolentia, & tua in me pariter, te ut nobis, parenti, coniugi, tuisq; omnibus, quibus es, fuisti semper charissimus, saluum conserues: incolumitati tuæ, tuorumq;, qui ex te pendent, consulas: quæ didicisti, quæq; ab adolescentia pulcherrimè à sapientissimis uiris tradita, memoria, & scientia comprehendisti, ijs hoc tempore utare: quos cōiunctos summa beneuolentia, plurimisq; officijs † amisisti, eorum desiderium, si non æquo animo, at forti feras. Ego quid posim, nescio: uel potius me parum posse sentio: illud tamen tibi polliceor, me, quæcunq; saluti, dignitatiq; tuæ conducere arbitrabor, tanto studio esse facturum, quanto semper tu & studio, & officio in meis rebus fuisti. Hanc meam uoluntatem ad matrem tuam optimam fœminam, tuiq; amantissimā detuli. Si quid ad me scripseris, ita faciā, ut te uelle intellexero. Sin aūt tu minimè scripseris, ego tamen omnia quæ tibi utilia esse arbitrabor, summo studio, diligentiaq; curabo. Vale.

Exordiū ab excusatione silentij.
A consilio quo bellum Pharsalicum Domitius ingressus sit.
Obtestatio
A præceptis philosophiæ.
† al. amasti
Conclusio epistolæ, a sua in rebus Domitij opera.
Consolatio, qua defert suum officiū.

DOCTISSIMORVM VIRORVM ANnotationes & castigationes in sextum librum Epist. Famil. Ciceronis.

In Epist. 1.

Torquato) Is in causa Milonis quæsitor fuit.

S.Cor. A Ser.Sulpitium) Achaiæ præfectum.

Autoritatem & consilium) Epist.iij.lib.iiij.

Togati) Cæsaris: quoniam depositis armis Cos.esset factus.

Armati) Cæsaris.

Etsi ea perturbatio) Consolatio. Argumentatio habet consolationem de loco. Romæ esse, est miserrimum. Igitur tu ne doleas te abesse.

Nec tamen tu ipse) Noua consolatio de Repub.argumentum sumitur ex loco honestatis.

Excruciet commune) Maior.

Philip. Quare si id euenit) Conclusio, Bonus uir debet recte sentire & facere, & fortiter ferre exitum qualiscunq; futurus sit. Nos id fecimus, igitur non doleamus.

Atq; hæc mihi) Amplificatio ex ueteri robore & constantia.

Torquati) Olim fuisti fortis, sis nunc quoq;.

Hoc uero tempus) Consolatio de loco ab Athenarũ laudibus.

In Epist. 2.

Absim ab urbe) in meis prædijs.

A quibus reciperis) Al. recesseris.

Quos adiuuisti) Al. quos adiuisti.

Necesse est enim) Argum.dilemma est, Aut aliqua Respublica erit, aut nulla. Si aliqua tibi spes reliqua est. Si nulla, nec tu optes te superstitem Reipub.

In Epist. 3.

S.Cor. Superioribus literis) huius libri primis.

Hoc autem) Al. hoc item.

Acies) Al. hæc res.

Vt non sit) Al. ut tum sit.

Quum quemuis) Al.quam quemuis eorum, qui discesserunt.

Nam etsi quotidie Narratio de publicis periculis.

Idq; quum optime respexi) Propositio consolationis.

ne mors quidem mala, sumpta est consolatio ex philosophia.

Sed hæc consolatio) Consolatio ex loco communi: Nihil magnopere dolendum esse quum careamus culpa.

Sensu omni carebo) Torquatus fuit Epicureus, itaq; interdum admiscet Epicureas sententias, & est ille quem inducit defendentem

tem Epicureorum dogmata de finibus bonorum.

In Epist. 4.

Non quo ego certo scirem, sed quod non difficilis erat coniectura) Al.non quo, sed quod difficilis erat, &c.

Sumus experti) Epist.ix.lib.iiij.

Ad te scripsi) Epistola j. huius libri.

De futuris autem rebus) Narratio de communibus periculis.

Augere dolorem) Prima propositio consolationis ab honesto.

Conscientiam rectæ) Maxima consolatio est bonæ cõscientiæ.

Sed hoc mihi tamen) Secunda ab utili, quod scilicet nihil sit ipsi periculi.

Reliquum est) Tertia de loco: opponit tantundem Romæ esse miseriarum, nec ijs qui Romæ sint melius esse.

Quanto fuerim) Cõsolatio a suo exemplo, in quo colligit multas rationes consolationis a conscientia consiliorum, ab ætate, ab aliorum interitu.

Sed hæc satis multa) Conclusio habet excusationem prolixitatis.

In Epist. 5.

Liber tuus) Epist.vij. huius libri.

Ea natura rerum est) Epist.sequenti.

Fortuna esse diuturna) Epist.xiij.lib.iiij.

In Epist. 6.

Non uereor) Al.uereor.

Herrusce) Al.uetustæ.

Populus tulerat) decem Tribus pleb. ferentibus.

Bello anteferrem. Epist.ix. lib.iiij.

Aliquando non defuisset. Al.aliquando defuisser; &c.

Brutum. M.Brutum, Epist.x.lib.xiij.

Gallice. Cisalpinæ.

Græciæ. Achaiæ.

Marcellum. Epist.iiij.lib.iiij.

Nam quum me. Amplificatio.

Quæ præterea. Ne prorogarentur Cæsari Galliæ.

Vt in fabulis Amphiaraus. Huic erat in fatis, ut si proficisceretur ad expugnationem Thebæ, periret: Itaq; quum ab uxore sua proditus est, & ad Thebas perductus, ibi in hiatu terræ periit

Habes augurium. Alia consolatio sumpta ex locis communibus ab honesto, quod fortiter ferenda sit iniuria fortunæ, sine culpa contracta.

In Epist. 7.

Me ueterem tuum. pro quo extat oratio.

Nam quum mendum) Duplex quærela, altera quod grauiter plectatur propter scriptum.

Sed ut eodem reuertar) Altera querela de forma scripti, quod cum non fuerit liber, in scribendo non bene cohæreat oratio.

Quum potero) Ab exemplo Ciceronis.

Te pro me horter) Adhortatur ut diligenter ipsius causam cõmendet amicis Cæsaris.

In Epist. 8.

S.Cor. Vt esse in Sicilia) In omnibus fere libris legitur Gallia, quam bene, nihil nunc ad me.

In Epist. 9.

T. Furfano Præt.) Al. Procos. id quod nihil refert. Nam Prætorem Procos. & Procos. quandoq; Prætorem appellat.

Cum A. Cæcinna) Commendatio

Nam & patre) Narratio, quæ habet argumenta ab officijs

In Epist. 10.

Trebatio) Al. Trebiano

Posthumio) Al. Posthume loco

Quasi) Al. Casu.

In Epist. 11.

Nestorius) Vestorius, de quo in Epistola ad Atticum sæpe fit mentio

Syronem. Epicureum: quem suum familiarem L. Torquatus libro ij. de Finibus uocat

In Epist. 12.

Matius. C. Matius, Epistola xxvij. libro xj.

Exploratum. Al. exploratæ.

Factis. Nam & de Cæsare scripsit: si modo T. Ampius, non T. Amprius, apud Tranquillum in Cęsare, ut uolunt docti, legatur

In Epist. 14.

Propinqui tui. T. Brochus auunculus, eius filius, L. Martius, &c.

Tempus tum. Al. tempus tuum

Ad XI. Calendas inter calares. Hoc est ante principium inter calarij mensis prioris, id est, XXIII. die Februarij.

In Epist. 18.

Leptæ. qui præfectus fabrum cum Cicero in Cilicia fuit

Simul ac accepi. Al. Simul accepi

Qu. Curtium. Al. P. Clodium

Delectant. Al, delectabant

In

In Epist. 19.

Maculam. Pompeium Maculam. de quo meminit Macrobius

Cæteroqui. Al. cæterum. Al. cætera quidem

Effluat. Al. affluat

In Epist. 20.

Cn. Plancij. Epistola xiiij. libro iiij.

Quamuis subito. Al. non quantiuis, subito

In Epist. 22.

Pariter. Al. pari

Non ea res me. Consilium, ne Domitius ad arma ciuilia redeat

Sed quum consilij. Proposito, ne redeat ad bellum ciuile, posteaquam iam semel arma abiecerit.

M. T. CICERONIS EPISTOLARVM FAMILIARIVM LIBER VII.

ARG. EPIST. SEQ.

Responsoria ad petitionem Marij pro ludorum, & spectaculorum descriptione a Cicerone sibi mittenda: in qua quantum potest elegantissime omnem istarum rerum uoluptatem extenuat, sed tamen quales fuerint, interim scribit: ostenditq; quam possit melioribus uoluptatibus tranquillus animus se oblectare.

M. Cicero M. Mario S. D. 101

SI te dolor aliquis corporis, aut infirmitas ualetudinis tuæ tenuit, quò minus ad ludos uenires: fortunæ magis tribuo quàm sapiẽtiæ tuæ. Sin hæc, quæ cæteri mirantur, contemnenda duxisti, & cum per ualetudinem posses, uenire tamen noluisti, utrunq; lætor, & sine dolore

Nunciatoria est epistola a causa consilij Exorditur a dilemmate, & extenuatione, & contemptu ludorum.

dolore corporis te fuisse, et animo ualuisse, cùm ea, quæ
sine causa mirantur alij, neglexeris: modò, ut tibi consti
terit fructus otij tui: quo quidem tibi perfrui mirificè li
cuit, cum esses in ista amœnitate penè solus relictus. Ne-
que tamen dubito, quin tu ex illo cubiculo tuo, ex quo
tibi Stabianum perforasti, & patefeciſti Seianum, per
eos dies matutina tempora lectiunculis consumpseris:
cum illi interea, qui te isthic reliquerunt, spectarent cō
muneis mimos semisomni. Reliquas uerò parteis diei tu
consumebas his delectationibus, quas tibi ipsi ad arbi-
trium tuum compararas: nobis autem erant ea perpe-
tienda, quæ scilicet Sp. Metius probauisset. Omnino, si
quæris, ludi apparitißimi, sed non tui stomachi: conie-
cturam enim facio de meo. Nam primò honoris causa in
scenam redierũt ij, quos ego honoris causa de scena de-
cessisse arbitrabar. delitiæ uerò tuæ noster Aesopus
eiusmodi fuit, ut ei desinere per omneis homines licē-
ret: is iurare cum cœpisset, uox eum defecit in illo loco.
Si sciens fallo. Quid tibi ego alia narrem? nosti enim re-
liquos ludos. Quid? ne id quidem lepôris habuerunt,
quod solent mediocres ludi. Apparatus enim spectatio
tollebat omnem hilaritatem: quo quidem apparatu non
dubito, quin animo æquißimo carueris: quid enim dele-
ctationis habent sexcenti muli in Clytæmnestra? aut in
equo Troiano craterarum tria millia? & armatura ua-
ria peditatus, & equitatus in aliqua pugna? quæ popu-
larem admirationē habuerunt: delectationem tibi nul-
lam attulissent. Quòd si tu per eos dies operam dediſti

Præfert otiũ & ſtudia Marij ludis ſcenicis.

Ludorũ deſcriptio cum extenuatione.

Verba iuran tis perIouem lapidem. Mire extenuat ludos.

Id eſt in fabula quãdo Clytemneſtra produxit filiam Iphigeniam mactandam.

Protogeni tuo, dummodo is tibi quiduis potius, quàm
orationes meas legerit, næ tu haud paulò plus, quàm
quisquam nostrûm, delectationis habuisti. Non enim te
puto Græcos, aut Oscos ludos desiderasse: præsertim
cum Oscos ludos uel in Senatu nostro spectare possis:
Græcos uerò ita ames, ut ne ad uillam quidem tuam uia
Græca ire soleas. Nam quid ego te athletas putem desi-
derare, qui gladiatores contempseris? in quibus ipse
Pompeius confitetur se & operã, & oleum perdidisse.
Reliquæ sunt uenationes binæ per dies quinq;, magnifi-
cæ, nemo negat: sed quæ potest esse homini politico dele
ctatio, cùm aut homo imbecillus à ualentißima beſtia
laniatur, aut præclara beſtia uenabulo transuerbera-
tur? quæ tamen, si uidenda sint, sæpe uidisti: neq; nos qui
hæc spectauimus, quicquàm uidimus noui. Elephanto-
rum extremus dies fuit: in quo admiratio magna uulgi,
atq; turbæ, delectatio nulla extitit: quin etiam miseri-
cordia quædam consecuta est, atq; opinio eiusmodi, esse
quandam illi belluæ cum genere humano societatem.
His ego tamen diebus, ludis scenicis, ne fortè uidear tibi
non modò beatus, sed ne liber omnino fuisse, dirupi pe-
nè me in iudicio Galli Caninij familiaris tui. quòd si tam
facilem populum haberem, quàm Aesopus habuit, liben
ter mehercule artem † desinerem, tecumq;, & cum si-
milibus nostri uiuerem. Nam me cùm antea tædebat,
cùm & ætas & ambitio me hortabãtur, & licebat de-
niq;, quem nolebam, non defendere: tum uerò hoc tem-
pore uita nulla est. Neque enim fructum ullum laboris
expecto:

A maiori.

Oſci ludi ruſticani.

Vide Chiliad. Eraſmi.

Se lubens a cauſis agendis liberari uelle ſcribit, ut cum Mario ruſticari queat.

† deſererẽ.

† ex his peto.

† expecto: & cogor nonnunquam homines non optimè de me meritos, rogatu eorum, qui bene meriti sunt, defendere. Itaq; quæro causas omneis aliquando uiuendi arbitratu meo: teq;, & istam rationem otij tui & laudo uehementer, & probo: quodq; nos minus interuisis, hoc fero animo æquiore. quòd si Romæ esses, tamen neq; nos lepôre tuo, neq; te (si quis est in me) meo frui liceret, propter molestissimas occupationes meas: quibus si me relaxaro (nam ut planè exoluam, non postulo) & te ipsum quidem, qui multos annos nihil aliud commentaris, docebo profectò, quid sit humaniter uiuere. Tu modò istam imbecillitatẽ ualetudinis tuæ sustenta, & tuere, ut facis, ut nostras uillas obire, & mecũ simul lecticula circuncursare possis. Hæc ad te pluribus uerbis scripsi, quàm soleo, non otij abundantia, sed amoris ergate, quòd me quadã epistola subinuitaras, si memoria tenes, ut aliquid ad te huiusmodi scriberẽ, quò minus te prætermisisse ludos pœniteret. Quòd si assecutus sum, gaudeo: sin minus, hoc me tamen consolabor, quòd posthac ad ludos uenies, nosq; uises: neq; in epistolis relinques meis spem aliquam delectationis tuæ. Vale.

Laudat otiũ Marij

Hortatur Marium, ut ualetudini suæ consulat.

Conclusio epistolæ

Dilemma

ARG. EPIST. SEQ.

Ex testamento acceperat Ciceronis prædium, de quo Marius scripserat, ut sibi ematur a Cicerone quam minimo queat. Vndecans Cicero, dicit sua interesse, ut quam maximo uendatur: dicit tamen se curaturum eius negotium: ac demum dicit se uicisse aduersarium suum nomine Bursam, de quo sperat Marium gauisurum.

Narrationes Epistola est responsoria ad gratulatoriam.

M. T. C. M. Mario S. P. D. 102

MAndatum tuum curabo diligenter. Sed homo acutus, ei mandasti potissimum, cui expediret illud uænire quàm plurimo. Sed eo uidisti multum, quòd præsisti, quò ne pluris emerem. Quòd si mihi permisisses, qui meus amor in te est, confecissem cum cohæredibus: nunc quoniam tuum pretium noui, licitatorẽ potius apponam, quàm illud minoris uæniat: sed de ioco satis est. Tuum negotium agam, sicuti debeo, diligenter. De Bursa te gaudere certò scio: sed nimis uerecundè mihi gratularis. Putas enim, ut scribis, propter hominis sordes minus me magnã illam lætitiam putare. Credas mihi uelim, magis me iudicio hoc, quàm morte inimici lætatũ. Primùm enim iudicio malo, quàm gladio: deinde gloria potius amici, quàm calamitate. In primisq; me delectauit, tantum studium bonorum in me † extitisse contra incredibilẽ contentionẽ clarissimi, & potentissimi uiri. Postremo, quòd uix uerisimile fortasse uidetur, oderam multò peius hunc, quàm illum ipsum Clodium. Illum enim oppugnaram, hunc defenderã. Et ille, cum omnis Respublica in meo capite discrimen esset habitura, magnum quiddam spectauit: nec sua quidem sponte, sed eorum auxilio, qui me stante stare non poterant: hic simiolus animi causa, me, in quẽ inueheretur, delegerat: persuaseratq; nõnullis inuidis meis, se in me emissariũ semper fore. Quamobrem ualde iubeo gaudere te. magna res gesta est, nunq; ulli fortiores ciues fuerunt, quàm qui ausi sunt eum cõtra tantas opes eius, à quo ipsi lecti iudices erant, condemnare. Quod feciissent nunquàm, nisi ijs dolori meus fuisset dolor. Nos hic multitudine, et celebritate iudiciorum, & nouis legibus ita distinemur, ut

Exorditur a ioco

Respondet ad gratulationem Marij, & se quod Bursam in iudicio uicerit, multis nominibus gaudere debere ostendit.

† stetisse.

Collatio personarum

Narratio

Emissarios dicimus, qui sunt expositi ad subitas excursationes

Epilogus

ut quotidie uota faciamus, ne intercaletur, ut quàm primum te uidere possimus. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Valde dulcis & parua est narratio, in qua exponit quare discesserit a bello. Altius autem ordítur a commemoratione, quo consilio ad bellum profectus sit. Est autem in extrema egregia enumeratio: inde sequitur epilogus.

M. T. C. M. Mario S. P. D. 103

Exorditur a narratione, in qua exponit quo consilio profectus sit bellum, & quare a bello discesserit.

PErsæpe mihi cogitanti de communibus miserijs, in quibus tot annos uersamur, & (ut uideo) uersabimur, solet in mentem uenire † illius temporis, quo proximè fuimus unà: quin etiam ipsum diem memoria teneo. Nam ad III. Idus Martias, Lentulo, & Marcello consulibus, cum in Pompeianum uesperi uenissem, tu mihi solicito animo præstò fuisti. Solicitum autem te habebat cogitatio tum officij, tum etiam periculi mei. Si manerẽ in Italia, uerebare, ne officio deessem: si proficiscerer ad bellum, periculum te meum commouebat. Quo tempore uidisti profectò me quoq; ita conturbatum, ut non explicarem, quid esset optimum factu: pudori tamen malui, famæq; cedere, quàm salutis meæ rationem ducere. Cuius me mei facti pœnituit, non tam propter periculum meum, quàm propter uitia multa, quæ ibi offendi, quò ueneram. Primum neq; magnas copias, neq; bellicosas: deinde extra ducem, paucosq; præterea (de principibus loquor) reliqui primùm in ipso bello rapaces, deinde in oratione ita crudeles, ut ipsam uictoriam horrerem, maximum autem æs alienum amplissimorũ uirorũ. Quid quæris? nihil boni præter causam.

† illius temporis recordatio

Cur ad Pompeium profectus sit.

Quid in Pompeij castris offenderit.

Quid apud Pompeium egerit.

Quæ cũ uidissem, desperans uictoriã, primũ cœpi suadere pacem, cuius fueram semper autor: deinde cum ab ea sententia Pompeius ualde abhorreret, suadere instituti, ut bellum duceret. Hoc interdum probabat, et in ea sententia uidebatur fore, et fuisset fortasse, nisi quadam ex pugna cœpisset suis militibus confidere. Ex eo tempore uir ille summus, nullus Imperator fuit. Signa tyrone, & collectitio exercitu cum legionibus robustissimis contulit, uictus turpissimè, amissis etiam castris, solus fugit. Hunc ego belli mihi finem feci: nec putaui: cum integri pares non fuissemus, fractos superiores fore. Discessi ab eo bello, in quo aut in acie cadendum fuit, aut in aliquas insidias incidendum, aut deueniendum in uictoris manus, aut ad Iubam confugiendum, aut capiendus tanquam exilio locus, aut conscisenda mors uoluntaria. Certè nihil fuit præterea, si te uictori nolles, aut non auderes committere. Ex omnibus autem, ijs, quæ dixi, incõmodis, nihil tolerabilius exilio, præsertim innocenti, ubi nulla adiuncta est turpitudo: addo etiã, cùm ea urbe careas, in qua nihil sit, quod uidere possis sine dolore. Ego cum meis (si quicquam nunc cuiusquam est) etiam in meis esse malui. Quæ acciderunt, omnia dixi esse futura. Veni domum, non quòd optima uiuendi conditio esset: sed tamen, si esset aliqua forma reipub. tanquam in patria ut essem: si nulla, tanquam in exilio. Mortem mihi cur cõsciscerem, causa † nulla uisa est: cur optarẽ, multæ causæ. Vetus est enim, Vbi non sis qui fueris, non esse cur uelis uiuere. Sed tamen uacare culpa magnum

Enumeratio.

Cur a bello discesserit.

Consolatur Marium. A genere mali. A causa Accipub. Romanæ perturbatione.

Cur domum Cicero uenerit.

† non

Cur mortem optet. Vide Chiliad. Erasmi.

r est

A cõscientia. A literarum studijs. A rerum gestarũ gloria.

est solatium, præsertim cũ habeam duas res, quibus me sustentem, optimarum artium scientiam, & maximarum rerum gloriam: quarũ altera mihi uiuo nunquam eripietur, altera ne mortuo quidem. Hæc ad te scripsi uerbosius: & tibi molestus fui, quòd te cum mei, tum reipub. cognoui amantissimum. Notum tibi omne consilium meum esse uolui, ut primum scires me nunquàm uoluisse, plus quenquam posse, quàm uniuersam rempostea autem quã alicuius culpa tantum ualeret unus, ut obsisti non posset, me uoluisse pacem amisso exercitu, & eo duce, in quo spes fuerat uno: me uoluisse etiam, reliquis omnibus postquàm non potuerim, mihi ipsi fi-

Prolepsis

nem fecisse belli: nunc autem, si hæc ciuitas est, ciuẽ esse me: si non, exulem esse non incommodiore loco, quàm si me Rhodum, aut Mytilenas contulissem. Hæc tecum coràm malueram: sed quia longius fiebat, uolui per literas eadem, ut haberes quid diceres, si quando in uituperatores meos incidisses. Sunt enim, qui, cum meus interitus nihil fuerit Reipub. profuturus, criminis loco putant esse, quòd uiuam. Quibus ego certò scio non uideri satis multos periisse: qui si me audissent, quamuis iniqua pace, honestè tamen uiuerent. Armis enim inferiores,

Conclusio

non causa fuissent. Habes epistolam uerbosiorem fortasse, quàm uelles: quod tibi ita uideri putabo, nisi mihi longiorem remiseris. Ego, si quæ uolo expediero, breui tempore te, ut spero, uidebo. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Pollicetur se ad Marium in Pompeianum uenturum, monetq; ut prospiciat, ne podagra laboret, dum illic erit.

M. T. C.

M. T. C. M. Mario S. D. 104

Hortatoria est & iocosa. A narratiuncula est ductũ exordiũ

ADIX. Calend. Iulias in Cumanum ueni cum Libone tuo, uel nostro potius: in Pompeianũ statim cogito. Sed faciam te antè certiorem. Te, cum semper ualere cupio, tum certè, dum hic sumus. Vides enim quantò pòst unà futuri sumus. Quare si quid constitutum cum podagra habes, fac in alium diem differas. Cura igitur, ut ualeas: & me hoc biduo, aut triduo expecta. Vale.

Iocatur cum Mario.

ARG. EPIST. SEQ.

Illa est plena humanitatis, estq; scripta ante bellum ciuile. Commendatio est Trebatij. Habet breue exordium, inde sequitur narratio, cui additæ sunt rationes sumptæ ex laudibus Trebatij.

M. T. C. Cæsari Impera. S. D. 105

Commendatoria epistola Ab effectu et insinuatione exorditur. Narratio, qua occasione Trebatiũ ipsi commenderet.

†omnibus studijs beneficijsq; ornatiss.

VIde quàm mihi persuaserim, te me esse alterum, non modò in ijs rebus, quæ ad me ipsum, sed etiam in ijs quæ ad meos pertinent. C. Trebatium cogitaram, quocunq; exirem, mecũ ducere, ut eum meis † communibus studijs, & beneficijs quàm ornatissimum, domum reducerem. Sed postea quàm & Pompeij commoratio diuturnior erat, quàm putaram: & mea quædam tibi non ignota dubitatio aut impedire profectionẽ meã uidebatur, aut certè tardare: uide quid mihi sumpserim. Cœpi uelle ea Trebatium expectare à te, quæ speraisset à me. Neq; mehercule minus ei prolixè de tua uoluntate promisi, quàm eram solitus de mea polliceri. Casus uerò mirificus quidã interuenit, quasi uel testis opinionis meæ, uel sponsor humanitatis tuæ. Nam cùm de hoc ipso Trebatio cũ Balbo nostro loquerer accuratius domi meæ, literæ mihi dantur à te, quibus in extremis scriptũ erat,

Prolixè promittere, pro large.

M. Furium, quem mihi commendas, uel regem Galliæ faciam, uel Leptæ legatum. Si uis tu, ad me alium mitte, quem ornem. Sustulimus manus & ego, & Balbus: tanta fuit opportunitas, ut illud nescio quid non fortuitum, sed diuinũ uideretur. Mitto igitur ad te Trebatiũ, atq; ita mitto, ut initio meâ sponte, pòst aũt inuitatu tuo mittendum duxerim. Hũc, mi Cæsar, sic uelim omni tua comitate complectare, ut omnia, quæ per me possis adduci, ut in meos conferre uelis, in unum hunc conferas. de quo tibi homine † hæc spondeo, non illo uetere uerbo meo, quod cùm ad te de Milone scripsissem, iure lusisti: sed more Romano, quomodo homines non inepti loquuntur, probiorem hominem, meliorem uirum, prudentiorẽ esse neminem. Accedit etiam, quod † familiaritatem inducit, in iure ciuili singularis memoria, summa scientia. Huic ego neq; tribunatum, neq; præfecturam, neq; ullius † beneficij certum nomen peto: beneuolentiam tuam, & liberalitatem peto: neq; impedio, quò minus, si tibi ita placuerit, etiam hisce eum ornes gloriolæ insignibus: totum deniq; hominem tibi trado de manu (ut aiunt) in manum tuam istam & uictoriã, & fide præstantem. Sumus enim † putidiusculi, quàm per te uix licet: uerum, ut uideo, licebit. Cura, ut ualeas & me, ut amas, ama. Vale.

Opportunitas commendandi Trebatium.
Petitio A sua persona.
† hic
Rationes sumptæ ex laudibus Trebatij. A Trebatij persona.
† familiam
A re quam petit.
† officij
Conclusio
† impudentiusculi.

ARG. EPIST. SEQ.

Obiurgat Trebatium impatienter ferentem molestias peregrinationis. Et hortatur eum uerbis sumptis ex tragœdia, quæ testantur multos extra patriam bene consuluisse suis rebus. Iocatur cum homine amico.

M. T. C.

M. T. C. Trebatio S. P. D. 6 106

IN omnibus meis epistolis, quas ad Cæsarẽ, aut ad Balbum mitto, legitima quædam est accessio commendationis tuæ, nec ea uulgaris, sed cum aliquo insigni indicio meæ erga te beneuolentiæ. Tu modo ineptias istas, & desideria urbis, & urbanitatis depone: & quo consilio profectus es, id assiduitate, & uirtute consequere. Hoc tibi tam ignoscemus nos amici, quàm ignouerunt Medeæ, quæ Corinthi arcem altam habebant matronæ opulentæ, optimates: quibus illa manibus † gypsatissimis persuasit, ne sibi illæ uitio uerterent, quòd abesset à patria. Nam multi suã rem bene gessere, & publicam patria procul. Multi qui domi ætatem agerent, propterea sunt improbati. Quo in numero tu certè fuisses, nisi te extrusissemus. Sed plura scribemus aliâs. Tu, qui cæteris cauere didicisti, in Britannia ne ab essedarijs decipiaris, caueto: & quãdo Medeam agere cœpi, illud semper memẽto: Qui ipse sibi sapiẽs prodesse nequit, nequicquam sapit. Cura ut ualeas.

Narratio Hortatoria epistola.
Exorditur a narratiũcula.
Propositio
A ratione cõficiẽdi quod uelit.
Obiurgat Trebatium.
Ab exemplo
Id est candidissimis.
Locus communis.
Conclusio

ARG. EPIST. SEQ.

Epistola familiaris, & iocosa. Exponit enim qua diligentia Trebatium commendet. Dat & rationem, qua in Cæsaris familiaritatem citius asseri possit.

M. T. C. Trebatio S. P. D. 7 107

EGo te commendare non desisto: sed quid proficiam ex te scire cupio. Spem maximam habeo in Balbo: ad quem de te diligentissime, & sæpissime scribo. Illud soleo mirari, non me toties accipere tuas literas, quoties à Qu. fratre mihi afferũtur. In Britannia nihil esse audio

Balbus fuit familiarissimus Cæsari, quem Cicero aliquando defendit.

Iocatur in Trebatium, quẽ pecuniarum auidum esse sciebat. A Balbi persona.

neq; auri, neq; argenti. Id si ita est, essedum aliquod suadeo rapias, & ad nos quàm primũ recurras. Sin sine Britannia tamen assequi id, quod uolumus, possumus, perfice, ut sis in familiaribus Cæsaris: multũ enim te in eo frater adiuuabit meus, multũ Balbus: sed mihi crede, tuus pudor, & labor plurimũ. Imperatorẽ liberalißimũ, ætatem opportunißimã, cõmendationẽ certè singularẽ habes: ut tibi unũ timendũ sit, ne ipse tibi defuisse uideare.

ARG. EPIST. SEQ.

Accusat latenter Trebatium, quod nondũ insinuauerit se Cæsari: accusatq; quod tribunatũ a Cæsare oblatum spreuisset. In quo per iocum dicit eum stulte egisse.

Cicero Trebatio S. D. 8 108

Obiurgatoria epistola. A narratione exordítur.

SCripsit ad me Cæsar perhumaniter, nondum te sibi satis esse familiarẽ propter occupationes suas, sed certè fore: cui quidem ego rescripsi, quàm mihi gratum esset futurum, si quàm plurimum in te studij, officij, liberalitatis suæ contulisset. Sed ex tuis literis cognoui præproperam quandam festinationem tuam: & simul sum admiratus, cur tribunatus cõmoda, dempto præsertim labore militiæ contempseris. Querar cũ Vacerra & Manilio: nam Cornelio nihil audeo dicere, cuius tu pericu

Obiurgat Trebatium

lo stultus es, quando te ab eo sapere didicisse profiteris.

Hortatio

quin tu urges istam occasionẽ, & facultatẽ, qua melior nunq; reperietur? Quod scribis de illo Prætiano iurecõ

Conclusio

sulto, ego te ei non desino commendare: scribit etiã ipse mihi, te sibi gratias agere debere. De eo quid sit, cura, ut sciam. Ego uestras Britannicas literas expecto. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Hæc epistola respondet superiori, cuius initium: In omnibus meis epistolis, &c.

M. T. C.

M. T. C. Trebatio S. P. D. 9 109

Hortatoria epistola. Exorditur a tacita obiurgatiõe, quod Trebatius nihil scribat, & cur ipse nihil scripserit. Hortatur Trebatium, ne Romam properet. Conclusio a narratiũcula.

IAndiu ignoro, quid agas: nihil enim scribis: neq; ego ad te his duobus mensibus scripseram: quia cum Quintratre meo non eras, quò mitterẽ, aut cui darem, nesciebã. Cupio scire, quid agas, & ubi sis hyematurus. Equidem uelim cum Cæsare: sed ad eum propter eius occupationes nihil sum ausus scribere: ad Balbũ tamen scripsi. Tu tibi deesse noli: serius potius ad nos, dum plenior. quod huc properes, nihil est, præsertim Vacerra mortuo: sed tibi consilium non deest. Quid constitueris, cupio scire. Cn. Octauius tuus familiaris, summo genere natus, terræ filius, is me, quia scit tuum familiarem esse, crebrò ad cœnam inuitat: adhuc non potuit perducere: sed mihi tamen gratum est. Vale.

Vide Chiliad. Erasmi.

ARG. EPIST. SEQ.

Scripserat Trebatius magnam esse de se apud Cæsarem opinionem, secq; existimari ab eo in iure ciuili perinsimum. In quo Cicero iocatur nunc cũ Trebatio, & eũ familiariter ridet multis de rebus, deinde dicit se uelle scire quatenus profecerint commendationes suæ. Ac demũ consulit, ut utilitati manẽdo, aut redeundo inseruiat.

M. T. C. Trebatio S. P. D. 10 110

Iocosa epistola. A ioco exorditur.

LEgi tuas literas, ex quibus intellexi te Cæsari nostro ualde Iureconsultum uideri. Est quod gaudeas, te in ista loca uenisse, ubi aliquid sapere uiderêre. Quòd si in Britanniam quoq; profectus esses, profectò nemo in illa tãta insula peritior te fuisset. Verũtamen rideamus licet: sum enim à te inuitatus. Subinuideo tibi ultro te etiam accersitum ab eo, ad quem cæteri, non propter eius superbiam, sed propter occupationem aspirare non possunt. Sed tu in ista epistola nihil mihi scripsisti de

Iocatur in auaritiam Trebatij.

tuis rebus: quæ mehercule mihi non minori curæ sunt, quàm meæ. Valde metuo, ne frigeas in hybernis, quamobrem camino luculento utendum censeo. Idem & Mutio, & Manilio placebat, præsertim qui sagis non abundares: quanquam uos nunc istic satis calere audio: quo quidem nuntio ualde mehercule de te timueram. Sed tu

In timiditatẽ Trebatij iocatur.

in re militari multò es cautior, quàm in aduocationibus, qui neq; in Oceano natare uolueris studiosissimus homo natandi, neq; spectare essedarios, quem antea ne

Correctio Narratio

Andabatam quidem defraudare poteramus. Sed iam satis iocati sumus. Ego de te ad Cæsarem quàm diligenter scripserim, tute scis: quàm sæpe, ego. Sed mehercule iam intermiseram, ne uiderer liberalissimi hominis, meiq; amantissimi uoluntati erga me diffidere. Sed tamen his literis, quas proximè dedi, putaui esse hominem cõmonendũ. id feci: quid profecerim, facias me uelim certiorem, & simul de toto statu tuo, consilijsq; omnibus. Scire enim cupio, quid agas, quid expectes, quàm longum istum tuum discessum à nobis futurum putes. Sic enim tibi persuadeas uelim, unum mihi esse solatium, quare facilius possim pati te esse sine nobis, si tibi id esse emolumento sciam: sin autem id non est, nihil duobus nobis est stultius: me, qui te non Romam attraham. te, qui nõ huc aduoles. Vna mehercule nostra uel seuera, uel iocosa congressio pluris erit, quàm non modò hostes, sed etiam fratres nostri Hedui. Quare omnib. de rebus fac ut quã primum sciam: aut consolando, aut consilio, aut re iuuero. Vale.

Conclusio ab hortatiuncula.

ARG.

ARG. EPIST. SEQ.

Hortatur ut libenter absit ab urbe: quia si adesset, cuperet abesse propter seditiones ciuiles: monetq; latenter, ut ipse diligenter res suas procuret, ac agat.

M. T. C. Trebatio S. P. D. III

Iocosa est epistola. Exorditur a causa, cur Trebatius urbem relicturus esset.

NIsi antè Roma profectus esses, nunc eam certè relinqueres: quis enim tot interregnis Iureconsultum desiderat? Ego omnibus, unde petitur, hoc consilij dederim, ut à singulis † interregibus binas aduocationes postulent. Satis ne tibi uideor abs te ius ciuile didicisse? Sed heus tu, quid agis, & quid fit? uideo enim te iam iocari per literas. Hæc signa meliora sunt, quàm in meo Tusculano. Sed quid sit, scire cupio. Consuli quidem te à Cæsare scribis: sed ego tibi ab illo consuli mallem: quòd si aut fit, aut futurũ putas, perfer istam militiam, & permane. Ego enim desiderium tui, spe tuorum commodorum consolabor. Sin ista sunt inaniora, recipe te ad nos. Nam aut erit hic aliquid aliquando: aut si minus, una mehercule collocutio nostra pulris erit, quàm omnes Samarobrinæ. Deniq; si te citò retuleris, sermo nullus erit: sin frustra diutius abfueris, non modo Laberium, sed etiam sodalem nostrum Valerium pertimesco. Mira enim persona induci potest Britannici Iureconsulti. Hæc ego non rideo, quamuis tu rideas: sed de re seuerissima tecum, ut soleo, iocor. Remoto ioco, tibi hæc amicissimo animo præcipio, ut si istic mea commendatione tuam dignitatem obtinebis, perferas nostri desiderium, honestatem, & facultates tuas augeas. Sin ista frigebunt, recipias te ad nos. Omnia tamen quæ

† inter regnis

Iocus in uerbi amphibologia.

Hortatiuncula iocosa, ne temere redeat Ro.

Conclusio epistolæ ab hortatiũcula

uis, & tua uirtute profectò, et nostro summo erga te studio consequêre. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Intellexerat Cicero Trebatium effectũ Epicureũ: quod quidem ostendit esse turpissimum, præsertim iurisconsulto, quem æquum esse decet: quod esse non poterit, si omnia sua utilitate, ac uoluptate metietur, ut faciunt Epicurei: & licet simulet se ioco agere, serio tamen agit.

M. T. C. Trebatio S. P. D. 112

Tota est iocosa. A paradoxo exorditur.

MIrabar quid esset, quòd tu mihi literas mittere intermisisses. Indicauit mihi Pansa meus Epicureũ te esse factum. O castra præclara: quid tu fecisses, si te Tarentum, & non Samarobrinam misissem? Iam tum mihi non placebas, cum idem intuebare, quod & Titius familiaris meus. Sed quonam modo ius ciuile defendes, cùm omnia tua causa facias, non ciuium? Vbi porrò illa erit formula fiduciæ, inter bonos bene agier oportet? Quis enim est bonus, qui facit nihil nisi sua causa? Quod ius statues communi diuidundo, cum commune nihil possit esse apud eos, qui omnia uoluptate sua metiũtur? Quomodo autem tibi placebit Iouem lapidem iurare, cum scias Iouem iratum esse nemini posse? Quid fiet porrò populo Vlubrano, si tu statueris πολιτεύεσθαι non oportere? Quare si planè à nobis deficis, molestè fero: sin Pansæ assentari commodum est, ignosco, modò scribas aliquàdo ad nos, quid agas: & à nobis quid agi, quid fieri, aut curari uelis. Vale.

Id est, administrare rempublicam.

ARG. EPIST. SEQ.

Diuturni silentij causam dicit, quam cum Trebatius non accipere, uelle uideatur, ex occasione in aptissimam iocandi materiam descendit.

M. T. C.

M. T. C. Trebatio S. P. D. 113

Iocosa epistola. Ex abrupto exorditur. & causam intermissionis literarũ indicat.

ADeò ne me iniustum esse existimasti, ut tibi irascerer, quòd parum mihi constans, & nimium cupidus decedendi uiderêre, ob eamq; causam me arbitrarere literas ad te iandiu non misisse? Mihi perturbatio animi tui, quam † primis literis perspiciebam, molestiam attulit. Neq; alia fuit ulla causa intermissionis literarũ, nisi quòd ubi esses planè nesciebam. Hîc tu me etiam insimulas, nec satisfactionem meam accipis. Audi mi Testa: utrum superbiorem te pecunia facit, an quòd te Imperator consulit? Moriar, (ni quæ tua gloria est) puto te malle à Cæsare cõsuli, quàm inaurari. Si uerò utrunq; est: quis te ferret præter me, qui omnia ferre possum? Sed ut ad rem redeam, te istic inuitum non esse, uehementer gaudeo: & ut illud erat molestũ, sic hoc est iucundum. Tantum metuo, ne artificium tuum tibi parum prosit. Nam, ut audio, istic

† proximis

Iocatur cum Trebatio

Versus Enniani.

Non ex iure manu consertum, sed mage ferro
Rem repetunt, regnumq; petunt: uadunt solida ui.

Et tu nõ soles ad uim faciendam adhiberi. Neq; est quòd illam exceptionem interdicto pertimescas, quòd tu prior cum hominibus armatis ueneris: scio enim te non esse procacem in lacessendo. Sed ut ego quoq; te aliquid de nostris † cautionib. admoneam, Treuiros uites censeo: audio capitales esse: mallem auro, argento, ære essent: sed aliâs iocabimur. Tu ad me de istis rebus omnibus scribas uelim quàm diligentissime. Ad tertium Nonas Martias. Vale.

Epilogus

† uestris

Capitales uocat hîc eos, qui exitium adferunt.

ARG.

ARG. EPIST. SEQ.

Innuit se iocose, & familiariter de Trebatio conqueri, quod nihil ad se scripserat: sed re uera ac serio eum accusat, cum non sit causa, cur nihil scribat.

M. T. C. Trebatio S. P. D. 14 114

Tota est iocosa. A narratiuncula ductum est exordiū.

CHrysippus Vectius Cyri architecti libertus fecit, ut te non immemorē putarem mei: salutem enim mihi uerbis tuis nūciauit. Valde iam lautus es, qui grauēre literas ad me dare, homini præsertim propè domestico. Quòd si scribere oblitus es, minus multi iam te aduocato, causa cadent: sin nostri oblitus es, dabo operam, ut istuc ueniam antè, quàm planè ex animo tuo effluam: sin æstiuorum timor te debilitat, aliquid excogita, ut feceris de Britannia. Illud quidem perlibēter audiui ex eodem Chrysippo, te esse Cæsari familiarem. Sed mehercule mallem id, quod erat æquius, de tuis rebus ex tuis literis quàm sæpissimè cognoscere. Quod certè ita fieret, si tu maluisses beneuolentiæ, quàm litium iura perdiscere. Sed hæc iocati sumus & tuo more, & nonnihil etiam nostro. Te ualde amamus, nosq; à te amari tum uolumus, tum etiam confidimus. Vale.

Dilemma Causa cadit, qui repellitur ab actione etiam antequam de causa pronuncietur.

ARG. EPIST. SEQ.

Iocose dicit se moleste ferre, quod prius placuit Gallia uidelicet placere Trebatio. Laudat, & commendat familiaritatem eius cum C. Mario.

M. T. C. Trebatio S. P. D. 15 119

A sententia generali exorditur. A se confirmat sententiā

QVàm sint morosi qui amant, uel ex hoc intelligi potest: molestè ferebā antea te inuitū istic esse: pungit me rursus, quòd scribis te esse istic libenter: neq; enim mea commendatione te nō delectari facilè patiebar: & nunc

nunc angor, quicquam tibi sine me esse iucundum. Sed tamen hoc malo nos ferre desiderium, quàm te non ea, quæ spero, consequi. Quòd uerò in C. Marij suauissimi, doctissimiq; hominis familiaritatem ueneris, non dici potest, quàm ualde gaudeam: qui fac ut te quàm maximè diligat: mihi crede, nihil ex ista prouincia potes, quod iucundius sit, deportare. Cura, ut ualeas.

Correctio Conclusio et a gratulatione & hortatione. Is fuit intimus Cæsaris.

ARG. EPIST. SEQ.

Questus erat Trebatius, quod nondum magistratum assecutus erat, cui respondet hac epistola cum ioco, disputatq;, quomodo intelligat. Trebatium futurum esse diuitem, &c.

M. T. C. Trebatio S. P. D. 16 116

Vide Eras.

Iocosa epistola. A prouerbio exordium ductum.

INequo Troiano scis esse in extremo, serò sapiunt. Tu autem mi uetule non serò: primùm, illas rabiosulas sat fatuas dedisti: deinde, quòd in Britannia non † minus, Philecteten te præbuisti, planè non reprehendo: nunc uerò in hybernis iniectus mihi uideris. itaq; te commouere non curas. Vsq;quaq; sapere oportet: id erit telum acerrimum. Ego si foris cœnitarem, Cn. Octauio familiari tuo non defuissem: cui tamen dixi, cum me aliquoties inuitaret, Oro te quis tu es? Sed mehercule extra iocum, homo bellus est: uellem eum tecum abduxisses. Quid agatis, & ecquid in Italiam uenturi sitis hac hyeme, fac planè sciam. Balbus mihi confirmauit te diuitem futurū: id utrum Romano more locutus sit, bene nummatum te futurū: an quomodo Stoici dicunt, omnes esse diuites qui cœlo, & terra frui possunt, postea uidero. Qui istinc ueniunt, superbiam tuam accusant, quòd negent per cunctantibus respondere. sed tamen est quòd gaudeas:

† nimis Philotheoron te quàm

locus est in amphibologia rationis

gaudeas: constat enim inter omneis, neminem te uno Samarobrinæ iuris peritiorem esse. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Adhortatio, ne occasionem augendæ rei familiaris amittat, sed præcedit longa narratio, quæ continet reprehensionem inconstantiæ & imbecillitatis, cuius principio significationes quasdam dederit Trebatius. Deinde addit occupationem, cur eum a se dimiserit.

M. T. C. Trebatio S. P. D. 117

Narratio. Nunciatoria et hortatoria epistola. A narratione exorditur.

EX tuis literis & Quinto fratri gratias egi, & te aliquando collaudare possum, quòd iam uideris certa aliqua in sententia constitisse. Nam primorum mensium literis tuis uehementer commouebar, quòd mihi interdum (pace tua dixerim) leuis in urbis, urbanitatisq; desiderio, interdum piger, interdum timidus in labore mi litari, sæpe autem etiam, quod à te alienissimũ est, subimpudens uidebare: tanq; enim syngrapham ad imperatorem, non epistolã attulisses, sic pecunia ablata domũ redire properabas: nec tibi in mentẽ ueniebat, eos ipsos, qui cum syngraphis uenissent † Alexandriã, nullũ adhuc nũmum auferre potuisse. Ego si mei commodi rationem ducerem, te mecum esse maximè uellem: non enim mediocri afficiebar uel uoluptate ex consuetudine nostra, uel utilitate ex consilio, atque opera tua. Sed cùm te ex adolescẽtia † tua in amicitiã, & fidem meã contulisses, semper te non modò tuendũ mihi, sed etiam augendum, atq; ornandum putaui. Itaq; quoad opinatus sum, me in prouinciam exiturum, quæ ad te ultro attulerim, meminisse te credo: posteà quàm mea mutata ratio est, cùm uiderim me à Cæsare honorificentissimè tractari, & unicè

† Alexiam. Cur Trebatium adesse uelit. Occupatio, quare eum a se dimiserit.

† & adolescentiã tuã

unicè diligi, hominisq; liberalitatẽ incredibilem, & singularẽ fidem nossem, sic ei te cõmendaui, & tradidi, ut grauissimè, diligentissimeq; potui. Quod ille ita & accepit, & mihi sæpe literis significauit: & tibi uerbis, & re ostendit, mea cõmendatione se ualde esse cõmotum. Hunc tu uirum nactus, si me aut sapere aliquid, aut uelle tua causa putas, ne dimiseris: & si qua te fortè res aliquando offenderit, cùm ille aut occupatione, aut difficultate tardior tibi erit uisus, perferto, & ultima expectato: quæ ego tibi et iucũda, & honesta præstabo. Pluribus te hortari non debeo: tantùm moneo, neq; amicitiæ confirmandæ clarissimi, ac liberalissimi uiri, neq; uberioris prouinciæ, neq; ætatis magis idoneũ tempus, hoc si amiseris, te esse ullum unquã reperturũ. Hoc quemadmodũ uos scribere soletis in uestris libris, idẽ Q. Cornelio uidebatur. In Britanniã te non esse profectũ uehementer gaudeo, quòd & tu labore caruisti, & ego te de rebus illis nõ audiam. Vbi sis hybernaturus, & qua spe, aut conditione, perscribas ad me uelim. Vale.

Narrat quomodo eũ Cæsari commendarit.

Adhortatio, ne occasionẽ augendæ rei familiaris amittat. Ab ætate A tempore Iocus in iure consultos. Epilogus

Conclusio epistolæ.

ARG. EPIST. SEQ.

Scopus epistolæ adhortatorius est, ut Trebatius in proposito perseuerandi in prouincia maneat. Aspersi sunt aliquot, loci suis ex locis petiti, ijsq; notis.

M. T. C. Trebatio S. P. D. 118

ACcepi à te aliquot epistolas uno tempore: quas tu diuersis temporibus dederas: in quibus me cætera delectarunt. Significabant enim te istam militiam iam firmo animo ferre, & esse fortem uirum, & constantem. Quæ ego paulisper à te ita desideraui, non ut imbecillitate

Breues narrationes Iocosa et hortatoria. A narratione exordiũ est ductum.

tate animi tui, sed magis ut desiderio nostri te æstuare
Hortatio est putarem. Quare perge, ut cœpisti: fortiani mo to
Ab utili lera militiam. Multa, mihi crede, assequêre. ego enim
A modo renouabo commendationem: sed tempore. Sic habeto,
non tibi maiori esse curæ, ut iste tuus à me discessus fru-
Iocatur ctuosissimus tibi sit, quàm mihi. Itaq; quãdo uestræ cau
tiones infirmæ sunt, græculam tibi misi cautionem chi
rographi mei. Tu me uelim de ratione Gallici belli cer
tiorem facias. ego enim ignauissimo cuiq; maximam fi-
dem habeo. Sed ut ad epistolas tuas redeam, cætera bel-
lè: illud miror, quis solet eodem exemplo plureis dare, q̃
Iocus qui sua manu scribit? Nam quòd in palimpsesto, laudo
equidem parsimoniam: sed miror quid in illa chartula
† al. quàm fuerit, quod delere malueris, † quàm hæc scribere: nisi
exscribere fortè tuas formulas. Nõ enim puto te meas epistolas de-
lere, ut reponas tuas. An hoc significas, nihil fieri, frige-
re te, ne chartam quidem tibi suppeditari? Iam ista tua
culpa est, qui uerecundiam tecum extuleris, & non hîc
Narratio nobiscum reliqueris. Ego te Balbo, cùm ad uos proficis-
Epilogus cetur, more Romano commendabo. Tu si interuallum
longius erit mearum literarum, ne sis admiratus: eram
enim adfuturus mense Aprili. Has literas scripsi in Pon-
tino, cum ad uillam Metrilij Philomenis diuertissem: ex
qua iam audierã fremitũ clientum meorum, quos qui-
dem tu mihi conciliasti. Nam Vlubris honoris mei cau-
sa uim maximam ranunculorum se cõmosse constabat.
Cura ut ualeas. Sexto Idus Aprileis, de Pontino.

ARG.

M. C. Trebatio S. D. 119

Epistolam tuam, quam accepi ab L. Aruntio, conscidi
Responsoria ad mandatoriam. innocentem: nihil enim habebat, quod non uel in con
Narratiuncula. cione rectè legi posset. Sed & Aruntius ita te mandasse
aiebat, & tu adscripseras. Verum illud esto: nihil te ad
me posteà scripsisse demiror, præsertim tam nouis re-
bus. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Petierat Trebatius, ut Aristotelis Topica Cicero latine interpretaretur, quod per occasionem a se factum Cicero rescribit.

Cicero Trebatio S. D. 120

Vide quànti apud me sis, etsi iure id quidem: non enim
Nunciatoria Exorditur ab oblitione quam de absente Trebatio habeat. amore te uinco. ueruntamen quod præsenti tibi pro
pè subnegaram, non tribuere certè id absenti non po-
tui. Itaq; ut primum Velia nauigare cœpi, institui To-
pica Aristotelica conscribere, ab ipsa urbe commoni-
Narrat occasionẽ scribendi Topica. tus amantissima tui. Eum librum tibi misi Rhegij scri-
ptum, quàm plenissimè res illa scribi potuit. Sin tibi quæ
dam uidebuntur obscuriora, cogitare debebis, Nullam
Prolepsis. Gnome. Ab exemplo gnomen confirmat. Correctio artem literis sine interprete, & sin aliqua exercitatio-
ne percipi posse. Non longè abieris. num ius ciuile ue-
strum ex libris cognosci potest? qui quanquam plurimi
sunt, doctorem tamen, lumenq; desiderant. Quanquam
tu si attentè leges, si sæpius, per te omnia consequêre,
ut certè intelligas. ut uerò etiam ipsi tibi loci proposita
quæstione occurrant, exercitatione consequêre. In qua
Conclusio epistolæ, quomodo Topica legere debeat. quidem nos te continebimus, si & salui redierimus, &
salua ista offenderimus. Vale. V. Calendas Sextileis,
Rhegio.

5 ARG.

ARG. EPIST. SEQ.

Laudat Cicero Veliam, ut Trebatio magis persuadeat, ne uendat ea quæ Veliæ habebat, quemadmodum intellexerat illum facere uelle: deinde more suo iocans, dicit se uidisse librum quendam Niconis de uoracitate, seq; eo delectatum: cũ longe aliter sit, quia Cicero semper parcissimus cibi fuit.

Cicero Trebatio S. D. 121

Suasoria est epistola. Exorditur a causa, cur Velia amabilior sibi fuerit. Propositio consilij. Adhortatione ne uendat paternas possessiones.

AMabilior mihi Velia fuit, quòd te ab ea sensi amari. Sed quid ego dicam te, quem quis non amat? Rufio mediusfidius tuus ita desiderabatur, ut si esset unus e nobis. Sed ego te non reprehendo, qui illum ad ædificationem tuam traduxeris. Quanquam enim Velia non est uilior, quàm Lupercal, tamen isthuc malo, quàm hæc omnia. Tu, si me audies, quem soles, has paternas possessiones tenebis (nescio quid enim Velienses uerebantur) neq; Halethem nobilem amnem relinques, nec Papyriam domum deseres: quanquam illa quidem habet lucum, à quo etiam aduenæ teneri solent: quem tamen si excideris, multum prospexeris. Sed in primis opportunum uidetur, his præsertim temporibus, habere profugium, primùm eorum urbem, quibus charus sis: deinde etiam tuam domum, tuosq; agros, eaq; remoto, salubri, amœnoq; loco: idq; etiam mea interesse mi Trebati arbitror. Sed ualebis, meaq; negotia uidebis, meq; dijs inuantibus ante brumam expectabis. Ego à Sexto Fabio Niconis discipulo librum absoluli Νίκωνος περὶ πολυφαγίας. O medicum suauem, meq; docilem ad hanc disciplinam. Sed Bassus noster me de hoc libro celauit: te quidem, non uidetur. Ventus increbrescit. Cura ut ualeas. XIII. Calend. Sext. Velia.

Ab opportuno tempore. A loco ubi habeat possessiones.

Narratio Id est, Niconis de edacitate. Conclusio

ARG.

ARG. EPIST. SEQ.

Commendat Silium Trebatio, & ut causam illius curet diligenter postulat.

Cicero Trebatio S. D. 122

Narratio quæ habet causæ forensis commendationem. Commendatoria est epistola. A narratione exorditur. † al. nos Commendet Trebatio Silium.

SIlij causam te docui. is postea fuit apud me, cum ei dicerem, tibi uideri sponsionem illam † non sine periculo facere posse. Etsi bonorum Turpiliæ possessionem Q. Cæpio prætor ex edicto suo mihi dedit, negare aiebat Seruium, tabulas testamenti esse eas, quas instituisset is, qui factionem testamenti non habuerit: hoc idem Officium dicere. tecum se locutum negabat: meq; rogauit, ut se, causamq; suam tibi cõmendarem. Nec uir melior mi Testa, nec mihi amicior P. Silio quisquam est, te tamen excepto. Gratissimũ igitur mihi feceris, si ad eum ultro ueneris, eiq; pollicitus eris: sed si me amas, quamprimũ: hoc te uehementer etiam atq; etiam rogo. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Disputatoria est epistola, qua adductus autoribus, Trebatij sententiam reprehendit Cicero.

Cicero Trebatio S. D. 123

Nunciatoria uel narratoria est epistola. Est perpetua narratio.

ILluseras heri inter scyphos, quòd dixeram controuersiam esse, posset ne hæres, quod furtum antea factum esset, recte furti agere. Itaq; etsi domi bene potus seroq; redieram, tamen id caput, ubi hæc controuersia est, notaui, & descriptum tibi misi: ut scires id, quod tu neminem sensisse dicebas, Sext. Aelium, M. Manlium, M. Brutum sensisse. Ego tamen Scæuolæ, & Testæ assentior. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Grata & accepta illi scribit fuisse signa quæ emerit Gallus in ornamentum bibliothecæ, gratiora tamen futura fuisse si ea emisset

quæ Cicero mandasset. Fuit autem perstudiosus signorum elegantium Cicero, præsertim eorum quæ eruditionis antiquitum erant, ut in lib. j. epist. ad Atticum declarauit.

M. T. C. Fabio Gallo S. P. D. 124.

Narratio Epistola est nunciatoria. A narratiuncula exordiũ est ductum. Expostulatio.

TAntùm ex Arpinati ueneram, cùm mihi à te literæ redditæ sunt: ab eodemq; accepi Auiani literas: in quibus hoc erat liberalissimum, nomina se facturũ, cùm uenisset, qua ego uellem die. Fac quæso, qui ego sum, esse te: estne aut tui pudoris, aut nostri primum rogare de die: deinde plus annua postulare? Sed essent mi Galle omnia facilia, si & ea mercatus esses, quæ ego desiderabam, & ad eam summam, quam uolueram. † Attamen isthæc ipsa, quæ te emisse scribis, non solum rata mihi erunt, sed etiam grata: planè enim intelligo, te non modò studio, sed etiam amore usum, quæ te delectarint hominem (ut ego semper iudicaui) in omni iudicio elegantissimum, quæq; me digna putaris, coëmisse. Sed uelim maneat Damasippus in sententia: prorsus enim existimationibus nullã desidero. Tu autem ignarus instituti mei, quanti ego genus omne signorum omnium non æstimo, tanti ista quatuor, aut quinq; sumpsisti. Bacchas istas cum Musis Metelli comparas: quid simile primum? deinde ipsas ego Musas nunquàm tanti putassem: atq; id fecissem Musis omnibus approbantibus: sed tamen erat aptum bibliothecæ, studijsq; nostris cõgruens. Bacchis uerò ubi est apud me locus? At pulchellæ sunt: noui optimè, & sæpe uidi. nominatim tibi signa mihi nota mandassem, si probassem. Ea enim signa ego emere soleo, quæ ad similitudinem gymnasiorum exornent,

† ac tamen. Nonnihil ostendit sibi molestũ esse, quod alias imagines emerit, quam iusserit. Correctio.

Recenset aliquot imagines a Gallo emptas non admodũ sibi gratas.

mihi in palæstra locum. Martis uerò signum quò mihi pacis autori? Gaudeo nullum Saturni signum fuisse: hæc enim duo signa putarem mihi æs alienum attulisse. Mercurij mallem aliquod fuisset: felicius, puto, cum Auiano transigere possemus. Quòd tibi destinaras trapezophorum: si te delectat, habebis: sin autem sententiam mutasti, ego habebo. Scilicet ista quidẽ summa, næ ego multò libentius emerim diuersorium. Tarracinæ, ne semper hospiti molestus sim. Omnino liberti mei uideo esse culpam, cui planè res certas mandaram: itemq; Iunij, quem puto tibi notum esse Auiani familiarem. Exedria quædam mihi noua sunt instituta in porticula Tusculani: ea uolebam tabellis ornare: etenim si quid generis istiusmodi me delectat, pictura delectat. Sed tamen si ista mihi sunt habenda, certiorem uelim me facias, ubi sint, quando accersantur, quo genere uecturæ. Si enim Damasippus in sententia non manebit, aliquem pseudodamasippum uel cum iactura reperiemus. Quod ad me de domo scribis iterum, iam id ego proficiscens mandaram meæ Tulliæ. Ea enim ipsa hora acceperam tuas literas. egeram etiam cum tuo Nicia, quòd is utitur, ut scis, familiariter Cassio. Vt redij autem, prius, quàm tuas legi has proximas literas, quæsiui de mea Tullia, quid egisset: per Liciniam se egisse dicebat: sed opinor Cassium uti non ita multũ sorore: ea porrò negat se audere, cùm uir abesset (est enim profectus in Hispaniam Decius) illo et absente, & insciẽte migrare. Est mihi gratissimũ tanti à te æstimatam cõsuetudinem uitæ, uictusq; nostri:

Narratiuncula.

Respondet ad id, quod de domo emenda Gallus scripserat.

Narratio alia.

Epilogus.

primùm ut eam domum sumeres, ut non modò prope, sed planè mecũ habitare posses: deinde ut migrare tantopere festines. Sed ne uiuam, si tibi concedo, ut eius rei tu cupidior sis, quàm ego sum. Itaq; omnia experiar. Video enim, quid mea interfit, quid utriusq; nostrum: si quid egero, faciam ut scias. Tu & ad omnia rescribes, & quando te expectem, facies me, si tibi uidebitur, certiorem. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Conqueritur de leuitate Tigellij Sardi, cantoris & musici: de quo Horatius lib. 1. Sermonum: Sardus habebat ille Tigellius hoc. petitq; librum, quem Gallus de Cæsare scripserat.

M. C. Fabio Gallo S. D. 25 125

Narratio, cõtinens excusationem officij, cuidam amici denegati.

Nunciatoria uel cõquestoria epistola.

Exordiũ ducit a perpetuo Galli erga se amore.

Propositio, qua docilitatem captat.

AMoris quidem tui, quoquò me uerti, uestigia uel proxime de Tigellio perspexi. Sensi enim ex literis tuis ualde te laborasse. Amo igitur uoluntatem. Sed pauca de re: Cæpius (opinor) olim, Non omnibus dormio: sic ego non omnibus mi Galle seruio: etsi quæ est hæc seruitus? Olim, cùm regnare existimabamur, non tam ab ullis, quàm hoc tempore obseruor à familiarissimis Cæsaris omnibus, præter istum. Id ego in lucris pono, non ferre hominem pestilentiorẽ patria sua: eumq; addictũ iam tũ puto esse Calui Licinij Hipponacteo præconio. At uide, quid succenseat. Phameæ causam susceperam, ipsius quidem causa: erat enim mihi sanè familiaris. Is ad me uenit, dixitq; iudicẽ sibi operam dare cõstituisse eo ipso die, quo de P. Sextio in cõsilium iri necesse erat: respondi nullo modò me facere posse: quem uellet alium diem si sumpsisset, me ei non defuturum. Ille autem, qui

Epilogus narrationis

sciret se nepotem bellũ tibicinem habere, & sat bonum †unctorẽ, discessit à me, ut mihi uidebatur, iratior. Habes Sardos uenales, alium alio nequiorẽ. Cognosti meã causam, & istius Salaconis iniquitatem. Catonem tuum mihi mitte: cupio enim legere. me adhuc non legisse, tur pe utriq; nostrum est. Vale.

† cantorẽ.

Conclusio a petitione. Vide Chiliad. Erasmi.

ARG. EPIST. SEQ.

Mandarat Gallus Ciceroni, ut epistolam quandam laceraret: & deinde petierat, ut id non faceret: unde scribit se integram adhuc eam habere, deinde quædam obscura de Cæsaris amore tangit.

M. T. C. M. Fabio Gallo S. P. D. 26 126

QVòd epistolam conscissam doles, noli laborare: salua est domi: petes, cum libebit. Quòd autem me mones, ualde gratum est: idq; ut semper facias rogo. Videris enim mihi uereri, ne si istum habuerimus, rideamus γέλωτα σαρδόνιον. Sed heus tu, manum de tabula. magister adest citius, quàm putaramus. Vereor ne in Catonium Cato nos. Mi Galle caue putes quicquã melius, quàm epistolæ tuæ partem, ab eo loco, Cætera laburtur. Secretò hoc audi, tecum habeto, ne Apellæ quidem liberto tuo dixeris: præter duos nos, loquitur isto modo nemo: bene, malè ne, uidero: sed quicquid est, nostrum est. Vrge igitur, nec transuersum unguem (quod aiunt) à stilo: is enim est dicendi opifex: atq; equidem aliquantum iam etiam noctis assumo. Vale.

Epistola responsoria ad monitoriam, & ualde enigmatica.

Exorditur a consolatiuncula.

Id est, risum Sardonium.

In Cæsarem inuehi uidetur.

Vide Chiliad. Eras.

Epilogus epistolæ ab hortatione.

ARG. EPIST. SEQ.

Scribit se petisse Tusculanum, quia iam decem dies laborabat ex fluxu uentris: quem in cœna augurali contraxerat: nec inde exiturum, donec conualebit.

M. T. C. Gallo S. P. D. 27 127

Epistola nuncia toria. A narratione exorditur.

CVm decimum iam diem grauiter ex intestinis laborarem: neq; ijs, qui mea opera uti uolebant, probarem me non ualere, quia febrim non haberē: fugi in Tusculanum: cùm quidem biduum ita ieiunus fuissem, ut neaquam quidem gustarem. Itaq; confectus languore, & fame, magis tuum officium desideraui, quàm abs te requiri putaui meum. Ego autem cum omneis morbos reformido, tum in quo Epicurum tuum Stoici malè accipiūt, quia dicāt λυσεριὰ ἢ λυσεντερικὰ πάθη molesta esse. quorum alterum morbum edacitatis esse putant, alterum etiam turpioris intemperantiæ. Sanè λυσεντερίαν pertimueram. Sed uisa est mihi uel loci mutatio, uel animi etiā relaxatio, uel ipsa fortasis iam senescentis morbi remissio profuisse. Attamen ne mirere, unde hoc acciderit, quomodò ue commiserim: lex sumptuaria, quæ uidetur λιτότητα attulisse, ea mihi fraudi fuit. Nam dum uolunt isti lauti terra nata, quæ lege excepta sunt, in honorem adducere: fungos, helueolas, herbas omneis ita condiunt, ut nihil possit esse suauius. in eas cùm incidissem in cœna augurali apud Lentulum, tanta me διάῤῥοιαι arripuit, ut hodie primum uidear cœpisse consistere. Ita ego, qui me ostreis, & murænis facile abstinebā, à beta etiam, & malua deceptus sum. posthac igitur erimus cautiores. Tu tamen cùm abdisses ab Anitio (uidit enim me nauseantem) non modò mittendi causam iustam habuisti, sed etiam uisendi. Ego hîc cogito commorari, quoad me reficiam: nam & ureis,

Id est, urinæ et intestinorū difficultates. Id est, intestinorū difficultatem.

Causam morbi ostendit. Id est, frugalitatem.

Id est, profluuium uentris

Epilogus narrationis.

Conclusio

reis, & corpus amisi. Sed si morbum depulero, facilè (ut spero) illa reuocabo. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Ad capita accusationis Galli respondet, & ita ut se innoxium, illud uero dignum accusatione dicat.

M. T. C. Fabio Gallo S. P. D. 28 128

MIror cur me accuses, cùm tibi id facere non liceat: quòd si liceret, tamen non debebas. Ego enim te in consulatu obseruaueram: & ais fore, ut te Cæsar restituat. Multa tu quidem dicis, sed tibi nemo credit. Tribunatum plebis dicis de mea causa petisse: utinam semper esses Tribunus, intercessorē non quæreres. Negas me audere, quod sentiā, dicere: quasi tibi, cùm parū pudenter me rogares, parū fortiter respōderim. Hæc tibi scripsi, ut isto ipso in genere, in quo aliqd posse uis, te nihil esse cognosceres. Quòd si humaniter mecū questus esses, libenter tibi me, & facile purgassem. Non enim ingrata mihi sunt, quæ feciſti: sed, quæ scripsisti, molesta. Me aūt propter quem cæteri liberi sunt, tibi liberum non uisum demiror. Nam si falsa fuerunt, quæ tu ad me, ut ais, detulisti: quid ego tibi debeo? sin uera: tu es optimus testis, quid mihi populus Romanus debeat. Vale.

Epistola responsoria ad accusatoriā. Ad quasdam epistolæ Galli partes respondet.

Conclusio a dilemmate.

ARG. EPIST. SEQ.

Propter acerba quæ Romæ fiunt, dicit se laudare absentiā Curij, quam prius damnarit, & ad literas se contulisse.

M. T. C. Curio S. P. D. 29 129

MEmini, † quū mihi desipere uidebare, quòd istic potius uiueres, quàm nobiscum. Erat enim multò domicilium huius urbis (cùm quidem hæc urbs) aptius humanitati, & suauitati tuæ, quàm tota Peloponnesus, nedum

† quod.

Nunciatoria epistola. Captat bene uolentiam ab eo, quod consilium Curionis

dum Patræ. Nunc contrà & uidisse mihi multum uideris, cùm propè desperatis his rebus & te in Græciâ continuisti, & hoc tempore nõ solùm sapiens, qui hinc abssis, sed etiam beatus quanquam quis, qui aliquid sapiat, nũc beatus esse potest? Sed quod tu, cui licebat, pedibus es cõsecutus, ut ibi esses, ubi nec Pelopidarum. nosti cætera: nos idem propemodum consequimur alia ratione. Cùm enim salutationi nos dedimus amicorum, quæ fit ex hoc etiã frequentius, quàm solebat, quòd quasi autem albam uidentur bene sentientem ciuem uidere: abdo me in bibliothecam. Itaq; opera efficio tanta, quanta fortasse tu senties. Intellexi enim ex tuo sermone quodam, cum mœstitiam meam, & desperationem accusares domi tuæ, dicere te, ex meis libris animũ meũ desiderare: sed meherc ule & tum Rempub. lugebam, quæ nõ solum suis erga me, sed etiam meis erga se beneficijs erat mihi charior, & hoc tempore, quanquam me non ratio solum consolatur, quæ plurimum debet ualere, sed etiam dies, quæ stultis quoq; mederi solet: tamen doleo ita communem esse dilapsam, ut ne spes quidem, melius aliquando fore, relinquatur. Nec uerò nũc quidem culpa in eo est, in cuius potestate omnia sunt (nisi fortè id ipsum esse nõ debuit) sed alia casu, alia etiam nostra culpa sic acciderunt, ut de præteritis non sit querendũ. Reliquam spem nullam uideo: quare ad prima redeo. Sapienter hæc reliquisti, si consilio: feliciter, si casu. Vale.

quod sibi aliquãdo displicuerit, nunc placeat. Correctio Narrat Curioni, quid Romæagat.

Cur temp. semper lugeat.

Conclusio a laude consilij Curionis. Excusatio per translationem.

ARG. EPIST. SEQ.

Post blandimenta petit literas commendatorias, iocans in fine.

M. Cu-

M. Curius M. T. Ciceroni S. P. D. 130

SI uales, bene est. Sunt enim χρήσιμα tuus, κτήσιος ὄν, Attici nostri: ergo fructus est tuus, mancipium illius: quod quidem si inter uos senes emptionaleis uenale proscripserit, egerit non multum. At illa nostra prædicatio quanti est? nos quòd simus, quòd habeamus, quòd homines existimemur, id omne abs te habere. Quare Cicero mi perseuera constanter nos conseruare, & Sulpitij successori nos de meliore nota commenda, quò facilius tuis præceptis obtemperare possimus, teq; ad †uer lubentes uidere, & nostra defigere, deoptareq; tutò possimus. Sed amice magne noli hanc epistolam Attico ostendere. sine eum errare, & putare, me uirum bonum esse, nec solere duos parietes eadem fidelia dealbare. Ergo patrone mi bene uale, Tyronemq; meum saluta nostris uerbis. Dat. ad IIII. Calend. Nouemb.

Id est, usu quidem. Id est, possessione uero. Petitoria epistola. Exorditur ab assentatione quadam, & est insinuatio. Petit a Cicerone epistolã cõmendatoriam ad successorem Sulpitij. †al. urbem Adagium. Conclusio

ARG. EPIST. SEQ.

Laudat iterum, quod Curius tanta mala non uidear, quæ Romæ fiant: recitatq; ridiculum facinus in comitijs euenisse, & ad se philosophiæ portum collatum.

M. T. C. Curio S. P. D. 131

EGo uerò iam te nec hortor, nec rogo, ut domum redeas: quin hinc ipse euolare cupio, & aliquò peruenire, ubi nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam. Incredibile est quàm turpiter mihi facere uidear, qui his rebus interfim. Næ tu uidêris multò antè prouidisse, quid impendêret tum, cùm hinc profugisti. quanq; hæc etiam audita acerba sunt: tamen audire tolerabilius est, quàm uidere. In campo certè non fuisti, cùm hora secunda

Nunciatoria epistola. Captat bene uolentiam a laude propositi Curij. Narratio

Facetum est, quod Cicero narrat.

da comitijs quæstoris institutis, sella Q. Maximi, quem illi consulem esse dicebant, posita esset, quo mortuo nuntiato, sella sublata est. Ille autem, qui comitijs tributis esset auspicatus, centuriata habuit, cõsulem hora septima renuntiauit, qui usq; ad Calend. Ianuar. esset. quæ erant futuræ manè postridie. Ita Caninio consule scito neminem prandisse: nihil tamen eo consule mali factum est. fuit enim mirifica uigilantia, qui suo toto consulatu somnum non uiderit. Hæc tibi ridicula uidentur: non enim ades: quæ si uideres, lachrymas nõ teneres. Quid si cætera scribam? Sunt enim innumerabilia generis eiusdem: quæ quidem ego non ferrem, nisi me in Philosophiæ portum contulissem, & nisi haberem socium studiorum meorum Atticum nostrum. cuius quando proprium te esse scribis mancipio, & nexu, meum autem usu & fructu, contentus isto sum. Idem enim cuiusq; est proprium, quo quisque fruitur, atq; utitur. Sed hæc aliàs pluribus. Acilius, qui in Græciam cum legionibus missus est, maximo meo beneficio affectus est. bis enim est à me iudicio capitis rebus saluis defensus: & est homo non ingratus, meq; uehementer obseruat. Ad eum de te diligentissimè scripsi: eamq; epistolã cum hac coniunxi: quam ille quando acceperit, ecquid tibi pollicitus sit, uelim ad me scribas. Vale.

Vide Chiliad. Eras.

Ad exordiũ epistolę Curij respondet.

A finitione est locus, & ratiocinatio integra hic elici potest.

Conclusio a narratione.

ARG. EPIST. SEQ.

Testatus fuerat Curius suam in Ciceronem beneuolentiam: diuexeratq; se omnia obtenturum ab Acilio, quæ uoluisset: in de Cicero se gaudere dicit, iocaturq; monens in urbem redeat.

M. T. C.

M. T. C. Curio S. P. D. 132

Hortatoria iocosa.

FAcilè perspexi ex tuis literis, quod semper studui, & me à te plurimi fieri, et te intelligere, quàm mihi charus esses. Quod quando uterq; nostrum consecutus est: reliquum est, ut officijs certemus inter nos: quibus æquo animo uel uincam te, uel uincar abs te. Ad Acilium non fuisse necesse meas dari literas, facilè patior. Sulpitij tibi operam, intelligo ex tuis literis, nõ multum opus fuisse, propter res tuas ita contractas, ut, quemadmodum scribis, nec caput, nec pedes. Equidem uellem uti pedes haberent, ut aliquando redires. Vides enim exaruisse iam ueterem urbanitatem: ut Pomponius noster suo iure possit dicere, nisi nos pauci retineamus gloriam antiquam Atticam. Ergo is tibi, nos ei succedimus. Veni igitur, quæso, ne tantum semen urbanitatis unà cum Republica intereat. Vale.

Captat bene uolentiam a studio Curionis, quod ex literis eius perspexerit.

Ad uaria capita cuiusdã epistolæ Curij respondet

Cõclusio ab hortatiũcula

ARG. EPIST. SEQ.

Ad iocosam epistolam partim iocosa respondet, partim etiã seria, quare petit, ut Volumnius sæpius ad se scribat.

M. T. C. Volumnio S. P. D. 133

QVòd sine prænomine familiariter, ut debebas, ad me epistolam misisti, primum addubitaui, num à Volumnio senatore esset, quo cum mihi est magnus usus: deinde εὐτραπελίαν literarum fecit, ut intelligerem tuas esse. Quibus in literis omnia mihi periucunda fuerunt, præter illud, quòd parum diligenter possessio salinarum mearum à te procuratore defenditur. Ais enim, ut ego discesserim, omnia omnium dicta, in his etiã Sextiana, in me cõferri. Quid? tu id pateris? nõne defendis? non

Breue exordium.

Iocosa epistola.

A narratiuncula exordiũ est ductum.

Id est, urbanitas, comitas Iocatur multis modis Cicero.

non resistis? equidem sperabam ita notata me reliquisse genera dictorum meorum, ut cognosci sua sponte possent. Sed quando tanta fex est in urbe, ut nihil tam sit ἄκυρον, quod non alicui uenustũ esse uideatur: pugna, si me amas. nisi acuta ἀμφιβολίαι, nisi elegans ὑπερβολή, nisi παράγραμμα bellum, nisi ridiculum παρὰ προσδοκίαν, nisi cætera, quæ sunt à me in secundo libro de Oratore per Antonij personam disputatá de ridiculis, ὕπτεχνα, & arguta apparebunt, ut sacramento cõtendas mea nõ esse. Nam de iudicijs quòd quereris, multò laboro minus: trahantur per me pedibus omnes rei. sit uel Selius tam eloquens, ut possit probare se liberum: non laboro. Vrbanitatis possessionem, amabò, quibusuis interdictis defendamus: in qua te unũ metuo, contemno cæteros. Derideri te putas: nunc demùm intelligo te sapere. Sed mehercule extra iocũ, ualde mihi tuæ literæ facetæ, elegãtesq; uisæ sunt: illa quàm uis ridicula essent, sicut erant, mihi tamen risum non mouerũt. Cupio enim nostrum illum amicum in tribunatu quàm plurimum habere grauitatis: idq; cum ipsius causa (est enim mihi, ut scis, in †maioribus) tum mehercule etiam Reipub. quam quidẽ, quamuis in me ingrata sit, tamen amare non desinam. Tu mi Volumni, quando & instituisti, & mihi uides esse gratum, scribe ad me quàm sepissimè de rebus urbanis, de Repub. Iucundus est mihi sermo literarum tuarum. Præterea Dolabellam, quem ego perspicio, & iudico cupidissimum esse, atq; amantissimum mei, cohortare, & confirma, & redde plane meum.

Id est, ineptũ sine autoritate.
Id est, ambiguitas.
Id est, excessus.
Id est, inuersio literarum
Id est, præter expectationẽ
Id est, artificiosa.
Iam serio scribit.
†amoribus
Adhortatio
Conclusio a petitione.

meum. Non mehercule, quod quicquam desit: sed quia ualde cupio, † nunc uideor nimium laborare. Vale.

† uideor non nim.

ARG. EPIST. SEQ.

Breues propositiones sunt, in quibus una est amplificata, in qua extenuat suam eloquentiam, sumpta ratione ab iniustitia temporũ. Sequuntur & aliæ quædam rationes. Est autem uenustissima allusio eloquentiæ, & tristium temporum ad tela Herculis & Philoteten. Et hic apparet quanta uenustatis sit in allusionibus. Est autem hæc epistola scripta regnante iam Cæsare. Eo tempore adolescentes, Hircius & alij uoluerunt a Cicerone doceri, & sæpe apud eum declamabant. Hisq; officijs Cicero ualde sibi deuinxit familiarissimos Cæsaris, qui multas quoq; apud eum disputationes habuerũt. Cicero quoq; dicitur autor fuisse huius nominis Declamationes, quia Græci uocant meletas, id est, exercitationes.

Breues expositiones sunt. Nunciatoria epistola. Captat bene uolentiam ab extenuatione tacita suarum declamationum, & quod Volumnius nullam causam Hirtio inuidendi habeat.

M. T. C. Volumnio S. P. D. 134

Quòd Declamationibus nostris cares, damni nihil facis. Quòd Hirtio inuideres, nisi eum amares, non erat causa inuidendi: nisi fortè ipsius eloquentiæ magis, quàm quod me audiret, inuideres. Nos enim planè mi suauissime Volumni, aut nihil sumus, aut nobis quidem ipsis displicemus, gregalibus illis, quibus te plaudente uigebamus, †amissis: ut etiam si quando aliquid dignum nostro nomine emisimus, ingemiscamus, quòd hæc pennigero, non armigero in corpore tela exerceantur, ut ait Philoctetes apud Accium, abiecta gloria. Sed tamen omnia mihi erunt, si tu ueneris hilariora: quanquàm uenies, ut ipse intelligis, in maximarum quasi concursum occupationum: quas si, ut uolumus, † exceperimus, ego uerò multam salutem, & fòro dicam, & curiæ: uiuamq; tecum multum, & cum † communibus nostris amatoribus. Nam & Cassius tuus, & Dolabella noster, uel potius uterq; noster, studijs ijsdem tenẽtur, & meis æquissimis

† emissis
Gregalibus, id est, cæteris oratoribus Hortensio, Marcello. Ostendit se ad uentũ Volumnij desiderare.
† excluserimus
Narratio
† omnibus
Consilium quam utuendi rationem sumpturus sit.

simis utuntur auribus. Opus est hîc limatulo, & politulo tuo iudicio, & illis interioribus literis meis, quibus sæpe uerecundiorem me in loquendo facis. Mihi enim iudicatum est, si modò hoc Cæsar aut patietur, aut uolet, deponere illam iam personã, in qua me sæpe illi ipsi probaui, ac me totum in literas abdere, tecumq; et cum cæteris earum studiosis honestissimo otio perfrui. Tu

Conclusio

uellem, ne ueritus esses, ne perinuitus legerem tuas literas, si mihi (quemadmodum scribis) longiores forte missesses: ac uelim posthac sic statuas, tuas mihi literas longissimas quasq; gratissimas fore. Vale.

ANNOTATIONES AC Castigationes in septimum librum Epist. Famil. Ciceronis.

In Epist. 1.

Olor aliquis) ut podagra. Epist. 4. huius libri.

Ad ludos) factos Pompeio in secundo consolatu.

Æsopus) tragœdus.

Muli) Agamemnonis, ueluti capta Troia redeuntis.

Ita ames. Al. ita non ames.

Oleum. usurpatum loco prouerbium.

Politico. Alij legunt polito.

Desinerem. Al. desererem.

Laboris expecto. Al. laboris peto.

Teipsum quidem, &c. Sic legendum: Idipsum, quod multos annos nihil aliud cõmentor, re docebo, &c. nam uarie hîc legitur.

Tu modo. Al. tu mihi.

Si te dolor. Narratio a causa consilij

Commnnes mimos. Mimi non agebant comœdias aut tragœdias, sed peculiares ludos ædebant.

Omnino si quæris. Narratio de apparatu ludorum, quos extenuat, quod in ijs nihil admiratione dignum fuerit.

Aut Oscos ludos. Osci ludi dicebantur rusticani, & obscœni ludi, sicut dicunt ab Osco dictum obscœnum: Osci uero fuerunt populi Italiæ. Græci ludi ubi græca argumenta exhibentur.

Extremus

Extremus elephantorum dies) Tribuit elephantis rationẽ quandam.

Quod si tam facilem populum haberem, quam) Ironia est, seu eclipsis.

In Epist. 2.

Licitatorem) In uetere libro legimus, illicitatorem: ut fortasse legendum sit, illi licitatorem.

Calamitate) ut Milonis exilio.

Nouis legibus) a Pompeio 3 Coss. latis.

Intercaletur) Mensis & tempus prorogetur.

De Bursa te) Fuit unus e Clodianis, qui multum exercuit Ciceronem, sed postea male multatus est in iudicio a Cicerone, quia succubuit & uictus est

Credas mihi uelim) Ætiologia, quur hoc iudicio, quo uictus est Bursa, mirifice sit lætatus

In Epist. 3.

Illius temp.) Al. illud temporis

Quadam ex pugna) ad Dyrrachium facta, in qua Pompeius ipse imperator fuit appellatus.

Ex eo tempore) Enumeratio, in qua collatis omnibus periculis, ostendit se id eligisse, quod minimum haberet turpitudinis, & periculi.

Sed tamen uacare) Epilogus qui continet causas scriptæ epistolæ, scilicet quia fuerunt amico consilia eius exponenda. Et quia uelit apud illum esse defensionis suæ argumenta.

In Epist. 5.

M. Furium) Varie leges, M. Rufum, Ircium, Lesinum, Ithium, Vficium, Vrfinium: ex quibus uerbis colliget legendum M. Curium, quicunq; epistolas ad Q. fratrem uiderit: etsi M. Orfium, nonnulli legunt.

Impudentiusculi.) Al. pudentiusculi, blandiusculi, putidiusculi.

Quæ Corinthũ) Sunt mutilati uersus Ennij, & sunt tantũ membra uersuũ. Idem uersus sunt græce apud Euripidem in Medea.

Cæteris cauere) Cauere est hoc loco dare consilium dicenti in iudicio, ne committat in leges.

Quibus in extremis) pro quarum in fine eleganter a Ciceronе dictum.

More Romano) Quis sit is mos lege postremas annotationes Erasmi adagiorum.

Accedit etiam ad familiaritatem) Erro est insignis pro familia. In ea enim fuerant multi Iureconsulti præclari, ut ea scientia esset

t illis

illis quasi propria & gentilitia.

In Epist. 6.

S. Corn. Ignouerunt Medeæ) lege Politianum cap. 27. Misc.

Essedarijs) Militibus Britannicis, ex essedis pugnantibus.

Qui ipse sibi, &c.) Carmen Euripidis uide in epist. 15. lib. 13. unde hoc Ennius transtulit.

Manibus gypsatissimis) Pro fugitiuis uel improbissimis, dolosissimis. Sunt enim gypsati decatasta uenalitij. Talis & Medea fuit patris & patriæ proditrix.

In Epist. 8.

Te sibi) Al. se tibi.

In Epist. 9.

Propter eius, &c.) Propterea, legitur in ueteribus libris.

An. Cn.) Al. Ant. Cn.

Terræ filius) Politianus cap. 18. Misc. & Cælius lib. 2. cap. 5.

In Epist. 10.

Ne frigeas) Nihil facias

Andabatam) Vide Erasmi prouerbia

Idem & Mutio & Manilio) Sunt duo ueteres Iureconsulti. Scilicet propter pericula belli, quia Cæsar domuit Gallias non sine maximo labore, periculo, & sudoribus.

Ne Andabatam quidem) Id est, dimicantem in tenebris. Andabatæ enim gladiatores erant, qui in tenebris dimicabant.

In Epist. 11.

Interregnis) Post M. Messalam & Cn. Domitium Cos.

Interregnis) Interregnum est hoc tempus, quod erat inter consulatus superiores, & inter comitia consularia, quibus eligebantur alij consules.

Sin frustra diutius abfueris) Id est, si diu frustra abfueris, & inanis redieris, deridebunt te mimi. Porro inter mimos præcipuus fuit Laberius.

In Epist. 12.

Et Titius.) In antiquis libris uaria est lectio: Eteius, Ethicius, Canius.

Facias) Al. Facies

Non ciuium) Hæc duo uerba non sunt in ueteribus libris

Iouem lapidem) Epist. 1. huius libri

Formula fiduciæ) Fiducia est certa quædã species contractus, quam uocamus resignationẽ ad fideles manus, ut cũ aliquis transferat alteri domum, uel alia bona, ut ad certum tempus sibi restituat, fecerit tamen ut alter interim eius utatur tanquam rebus suis proprijs.

Inter bonos bene agi) Hæc formula pertinet ad omnes contractus bonæ fidei, & possumus ea uti sæpe in epistolis. Monet aũt uiros bonos multa debere præstare, quę etiã nõ sunt lingua nũcupata

Populo Vlubrano) Vlubræ est oppidum parum frigidum in ultima Italia. Sic Horatius:

Quadrigis petimus bene uiuere, quod petis hic est,
Est Vlubris animus si te non deficit æquus.

Possumus uti ad consolandos eos qui sunt queruli de præsentibus conditionibus, & de præsenti statu.

In Epist. 13.

Primis) Al. unis

Ex iure manu consertum) Hæc uerba sunt loco Romani casus, lege Gellium lib. 20. cap. 9.

Nostris) Al. uestris

Auro, argento, ære essent) Treuiri: sic ab antiquis scribebantur, III. V. A. A. A. F. F. hoc est, Trium uiri auro, argento, ære, flando, feriundo.

Non ex iure) Optimi uersus ex Ennio, qui possunt accommodari ad nostra etiam tempora:

Spernitur orator bonus, horridus miles amatur,
Pellitur e medio sapientia, ui geritur res.

In Epist. 16.

In equo Troiano) Liuij Andronici tragœdia

Sero sapiunt Phryges

Respondere. Idem de Valerio epist. 9. lib. 1. dixit.

In equo Troiano Comprobatio quod sibi caueat, & sit in locis tutis. Et hanc initio amplificat repetitis alijs signis prudentiæ & diligentiæ.

In equo Troiano, in extremo, sero sapiunt. Vide Polit. Misc. cap. 87. P. Beroald. in Annotat.

Deinde quod in Britannia. cap. 12, Vide P. Crinitum lib. 5.

In Epist. 18.

Ranunculorum) Vlubranorum qui in paludibus habitant.

In Epist. 20.

Veruntamen) Ex ueteribus libris & Topicorũ proœmio sic legendum censeo: Veruntamen, quod præsenti tibi prope subnegarem, non tribuerem certe, id absenti debere non potui.

Lumenq;) Al. uarie legitur unum, unumq;, unumquodq;.

Vide quanti apud me sis) Narratio, de scriptis Topi. præmittit autem narrationi affectus.

Sui tibi quædam. Excusatio obscuritatis, uel difficultatis.

In Epist. 21.

Rufio) Rufus, Rufius, Bufius etiam legitur.
Lucum) Al. locum. Sunt tamen, qui locum reponant.
Niconis) Al. Miconis, de quo apud Plinium fit mentio.

In Epist. 24.

Tantum) Al. tantum quod, quod docti exponunt commodū.
Nomina se facturum) In codicem relaturum
Tiro Nicia) Epist. 10. lib. 9. nisi liberti nomen sit hoc loco.
Opinor Cassium) Opinor ego quoq;, Crassium, legi propter Licinian sororem oportere.
Est ne aut tui pudoris) Expostulat de signis nimis magno emptis. Cicero enim uoluit sibi emi picturas & tabulas, ipse uere emerat statuas.

In Epist. 25.

Capius) Qui Pararencho dictus est, quod simularet dormientem, quo impunitus eius uxor mœcharetur.
Hipponacteo præconio) Iambico scazonti, sic ab autore appellato, quale est illud. Sardi Tigelli putridum caput uenit.

In Epist. 26.

Siistum) Tigellum, uel Phameam potius, quam Cæsarem significat, propter prouerbium quod addit, & nescio quam suspicionem, de qua lib. 13. ad Atticum scribit.
In Catonium Cato nos) Al. in Catonē Catonianos, de quo loco multi multa scribūt, sed de Catoniano, Gellius lib. 16. cap. 7.
Vrge) Al. urgeo.
Quod epistolam) Narrationes.
Rideamus gelota) Est in ea re esse hilarem, quæ paulo post magnum malum est allatura.

In Epist. 27.

Intestino) Al. intestinis.
Polipodarum) in Quæstura diximus.
Dysenteriam) Quando intestina sunt exulcerata, & simul effluit sanguis.
Dysurica. Dysuria, quando aliquis non potest omnino mingere. Illud est lethale.
Heluellas. Heluella est generale uocabulum omnium inferiorum herbarum, uel potius oluscularum.
Diarroia. Est quando aluus est nimis cita, sed ita ut intestina tamen non sint exulcerata, & non profluat sanguis.
Murenis. Murena est peculiaris piscis similis uariolis, quos uariolæ, quas nos habemus rectius dicuntur auratæ, goldfarcos

Variolæ autem dicuntur quasi lupi uarij, in capite enim sunt similes lupis piscibus.

In Epist. 30.

Sum enim Al. ego sum.
Sulpitij successori Epist. 50. lib. 13. Al. Sulpitio successori.
Vrbem Al. uer
Sum enim Narratio faceta & figurata in qua se totum Ciceronem & Attico addit.

In Epist. 31.

Acilius Al. Attilius: sed nisi Vatinius legatur, res mihi in obscuro est.
Ego uero iam) Orditur a conclusione superiorum literarum, & simplicissime proponit. dehortans reditum, postea subijcit causas, quia Cæsar magistratus leges impediat.

In Epist. 33.

Salinarum) Locorum, in quibus mei sales & facetiæ consistūt
Sacramento) Quingentis æris depositis, lege Varronem.
Rei sit uel) Al. Rei uel.
Selius) Al. Solius Al. Cælius qui eo tempore ab Appio lege Scatinia postulatus est. Epist. 12. lib. 8.
A moribus) Al. maioribus.
Nunc uideor) Al. non uideor.
Quibus in literis Narratio in quo stomachatur in se conferri quorumlibet in sua dicta, & notas addit.

In Epist. 34.

Communibus Al. omnibus
Opus est hic Al. opus est huc.

M. T. CICERONIS EPISTOLARVM FAMILIARIVM LIBER VIII.

ARG. EPIST. SEQ.

Huius libri epistolæ non tā propter eloquentiā quam propter historiam legendæ. Sunt aūt scriptæ absente Cicerone in prouincia sub initio belli ciuilis. Et Cælius scripsit Ciceroni istius belli præludia. Sunt tales epistolæ, quales etiā hoc tempore possunt scribi ab aliquo, qui mediocriter sit doctus, nō sunt obscuræ, ut putant quidam, modo quis respiciat ad historias. Sunt autem referendæ ad superiores, quas Cicero scripsit ad Cælium.

Cælius M. Ciceroni S. D. 135



Epistola nũciatoria. Exordiũr ab excusatione.

VOD tibi decedenti pollicitus sũm, me omneis res urbanas diligentissimè tibi perscriptũrum: data opera parãui, qui sic omnia persequeretur, ut uerear, ne tibi argũta nimiũm hæc sedulitas uideatur: tametsi tu, scio, quàm sis curiosus, & quàm omnibus peregrinantibus gratum sit, minimarũm quoq; rerũm, quæ domi gerantur, fieri certiores. Tamen in hoc te deprecor, ne meum hoc officium arrogantiæ cõdemnes, quòd hunc laborem alteri delegaui: non quin mihi suauissimum sit & occupato, & ad literas scribendas, ut tu nosti, pigerrimo, tuæ memoriæ dare operam. Sed ipsum uolumen, quod tibi misi, facilè, ut ego arbitror, me excusat. Nescio cuius otij esset, non modo perscribere hæc, sed omnino animaduertere. Omnia enim sunt ibi senatusconsulta, edicta, fabulæ, rumores: quod exemplum si fortè minus te delectarit, ne molestiam tibi cum impensa mea exhibeã, fac me certiorem. Si quid in Respub. maius actum erit, quod isti operarij minus commode persequi possint: & quemadmodũ actum sit, & quæ existimatio consecuta, quæq; de eo spes est, diligèter tibi perscribemus. Vt nunc est, nulla magnopere expectatio est. Nam & illi rumores de comitijs Transpadanorum, † Cumarum tenus caluerunt. Romam cum uenissem, ne tenuissimam quidem auditionem de ea re accepi. Prætera Marcellus quidem adhuc nihil retulit de successione prouinciarum Galliarũ: & in Calend. Iun. ut mihi ipse dixit, eam distulit relationem: sanè quàm eos sermones repressit, qui de eo tum fuerant, cum Romæ nos essemus. Tu si Pompeium, ut uolebas, offendisti: qui tibi uisus sit, & quam orationem habuerit tecum, quamq; ostenderit uoluntatem (solet enim aliud sentire, & loqui: neq; tantum ualere ingenio, ut non appareat, quid cupiat) fac mihi perscribas. Quod ad Cæsarem attinet, crebri & non belli de eo rumores, sed susurrationes dũtaxat ueniũt: alius equitem perdidisse, quod opinor certè factum: alius septimam legionem uapulasse: ipsum apud Bellouacos circunsederi, intercluſum ab reliquo exercitu: neq; adhuc certi quicq̃ est, neq; hæc incerta, quidẽ tamen uulgò iactantur, sed inter paucos, quos tu nosti planè, secretò narrantur. at Domitius, cum manus ad os apposuit? Te ad IX. Calend. Iun. subroſtrarij (quod illorum capiti sit) dißiparant perijsse, ita ut in urbe, ac foro toto maximus rumor fuerit, te à Qu. Pompeio in itinere occisum. Ego, qui scirem Qu. Pompeium Baulis † schœnobaticam facere, & usq; eò, ut ego misererer eius esuriei, non sum commotus: & hoc mendacio, si qua pericula tibi impenderent, ut defungeremur, optaui. Plancus quidem tuus Rauennæ est: & magno congiario donatus à Cæsare, nec beatus, nec bene instructus est. Tui Politici libri omnibus uigent. Vale.

Propositio.

†Comum

Narratiũcula

Al. Calẽ Ian.

Petitio.

Tarenti. Epist. 8. lib. 2 a Cæsare.

Narratiũcula

Al. palam

Conclusio a narratiũcula.

† epibaticã & embaneticam, hoc est naxicularia.

ARG. EPIST. SEQ.

Scripserat Cicero se mirari quendam inter eos notum esse absolutum, cuius absolutionem confirmat nunc Cælius: dicitq; factam eum exibitione Hortensij. Deinde dicit quem competitorem habeat in ædilitate: & ut pantheras mittat, rogat. Huic epistolæ respondet lib. 2. putares ne, &c.

Cælius Ciceroni. S. D. 136

Nunciatoria epistola. A narratione captat beneuolentiam.

CErtè, inquam, absolutus est: me præsente pronuntiatum est, & quidem omnibus ordinibus, sed & singulis in unoquoq; † genere sententijs. Ridés ne rogo? inquis. Non mehercules. nihil enim unquam tam præter opinionem, tam quod uideretur omnibus indignũ, accidit. quin ego, quũ pro amicitia ualidissimè fauerem ei, & me iam ad dolendum præparassem: postquàm factũ est, obstupui, & mihi uisus sum captus esse. Quid alios putas? clamoribus scilicet maximis iudices corripuerunt: & ostenderunt planè esse quod ferri non posset. Itaq; relictus lege Licinia maiore esse periculo uidetur. Accessit huc, quòd postridie eius absolutionis, in theatrum Curionis Hortensius introijt, puto ut suum gaudium gauderemus. Hìc tibi strepitus, fremitus, clamor, tonitruum, & rudentũ sibilus. Hòc magis animaduersum est, quòd intactus à sibilo peruenerat Hortensius ad senectutem. Sed tum ita benè, ut in totam uitam cuiuis satis esset, & pœniteret eum iam uicisse. De re pub. quid tibi scribã, nihil habeo. Marcelli impetus resederunt, non inertia, sed (ut mihi uidebatur) consilio. De comitijs consularibus incertissima est existimatio. Ego incidi in competitorem nobilem, † & ignobilem egentem. Nam M. Octauius Cn. filius, & C. Hirrus mecum petit. Hoc ideò scripsi, quòd scio te acriter propter Hirrum, nuntium nostrorum comitiorum expectaturum. Tu tamen simul ac me designatum audieris, ut tibi curæ sit, quod ad pantheras attinet, rogo. Syngraphamham Sitianam tibi commendo. Commentarium rerum urbanarum primum dedi L. Castrinio Pæto, secundum ei, qui has literas tibi reddet. Vale.

Al. relicta

Incrementũ. Plin. lib. 36. cap. 15.

Al. ridentium

Alia narratio

† & nobilẽ agentem

Petitio.

Conclusso. Epist. 13. lib. 13.

ARG. EPIST. SEQ.

Ex stipulatione scribit Cælius, se diligentibus scribere: & nuntiat, quæ interea gesta sunt. Postremo hortatur ad mutuum officiũ scribendarum literarum.

ESt ne? uici, & tibi sæpe quod negaras discedens curaturum, literas mitto? est, siquidem perfruntur, quas do. Atq; hoc eò diligentius factito, quò cum otiosus sum, planè ubi delectem otiolum meum, non habeo. Tu cum Romæ eras, hoc mihi certum, ac iucundissimũ uacanti negotium erat, tecum id otij tempus consumere: idq; non mediocriter desidero: ut non modo mihi solus esse, sed Romæ, te profecto, solitudo uideatur facta: & qui (quæ mea negligentia est) multos sæpe dies ad te, cũ hìc eras, non accedebam, nunc quotidie non esse te, ad quem curritem, discrucior. Maximè uerò, ut te dies, noctesq; quæram, competitor Hirrus curat. Quomodo illum putas auguratus tuum competitorem dolere, & dissimulare me certiorem, quàm se candidatum? de quo, ut quem optas, quàm primum nuntiũ accipias, tua mediusfidius magis, quàm mea causa cupio. Nã me si fio, forsitan cum locupletiore referã: sed hoc usq; eò suaue est, quòd si acciderit, tota uita risus nobis deesse non poterit. Sed tanti? Sed est mehercule. Nec multum M. Octauius eorum odia, qui Hirrum premunt, quæ per multa sunt, subleuat. Quod ad Philotimi liberti officium, & bona Milonis attinet, dedimus operam, ut & Philotimus

Nunciatoria, & petitoria epistola. Exorditur a fide seruata, quam Cicerom de literis & rebus ad eum mittẽdis dederat, & cur tam diligenter ad eũ scribat, ostendit.

Querela est de sua ipsius negligentia.

Narratio.

lotimus quàm honestißimè Miloni absenti, eiusq; necessarijs satisfaceret, & secundum eius fidem, & sedulitatem † existimatio tua conseruaretur. Illud nũc à te peto, si eris (ut spero) otiosus, aliquid ad nos, ut intelligamus nos tibi curæ esse, σύνταγμα conscribas. Qui tibi istuc, inquis, in mentem uenit homini nõ inepto? aliquod ex tam multis tuis monimentis extare, quod nostræ amicitiæ memoriã, posteris quoq; prodat, uelim. Cuiusmodi puto quæris. Tu aptius, qui omnem nosti disciplinã, quod maximè conueniat, excogitabis: ex eo tamen genere, quod & ad nos pertineat, & διδασκαλίαν quandam, ut uersetur inter manus, habeat. Vale.

Alij æstimatio. Petitio. Subiectio. Id est opus siue librum studiose digestũ. Epilogus. Id est disciplinam.

ARG. EPIST. SEQU.

Scripserat Cicero ad se multa deferri, quæ facta erant in urbe: quocirca scribit Cælius se eidem inuidere, quod tanta deferrentur: narratq; quæ Romæ agantur, & de rebus Cæsaris & Pompeij. Et postremo petit ab eo pantheras ad se mitti, & certiorem fieri, quid agant Aegyptij post mortem Ptolemæi.

Cælius Ciceroni S. D. 138

Nuideo tibi, quòd tam multa quotidie, quæ mirere istuc perferuntur. Primùm illud, absolutum Messalã, deinde eundem condemnatum: C. Marcellum consulem factum: M. Claudium à repulsa postulatũ à Gallis duobus: P. Dolabellam quindecimuirũ factum. Hoc tibi non inuideo, caruisse te pulcherrimo spectaculo, & Lentuli Suræ repulsi uultum non uidisse. At qua spe? quàm certa opinione descẽderat? quàm ipso diffidente Dolobella? & hercules, nisi nostri equites acutius uidissent, penè concedente aduersario superasset. Illud te non arbitror miratum,

Narratio. Nunciatoria epistola. Exorditur ab ijs quę inuideat Cicero-ni narrari. Amplificatio Al. cruris.

miratum, Seruium trib. pleb. designatum, condemnatum: cuius locum C. Curio petijt: sanè quàm multis incutit, qui eum, facilitatemq; eius nõ norunt, magnum metum. Sed, ut spero, & uolo, & ut se fert ipse, † bonos & senatum mallet: totus, ut nunc est, hic scaturit. Huius autem uoluntatis initium, & causa est, quòd eum non mediocriter Cæsar, qui solet † infirmorum hominum amicitias sibi qualibet impensa adiungere, ualde contempsit. Qua in re mihi uidetur illud perquàm uenustè cecidisse: quod à reliquis quoque usque eò est animaduersum, ut Curio, qui nihil consilio facit, ratione, & insidijs usus uideretur in euitãdis eorum consilijs, qui se intenderant aduersarios in eius tribunatũ. Lælios, & Antonios, & id genus ualentes dico. Has ego tibi literas eò maiore misi interuallo, quòd comitiorum dilationes occupationem me habebant, & expectare in dies exitum cogebant, ut confectis omnibus te facerem certiorem. Ad Calend. Sextileis usque expectaui. Prætorijs moræ quædam inciderunt. Mea porrò comitia, quem euentum sint habitura, nescio: opinionem quidem, quod ad Hirrum attinet, incredibilem Aed. pl. comitijs nacta sunt. Nam M. Cælium Viciniamum mentio illa fatua, quam deriseramus olim, et promulgatio de dictatore subitò deiecit, & deiectum magno clamore insecuta est. Inde Hirrum cuncti ad non faciendum flagitare. Spero te celeriter, & de nobis quod sperasti, & de illo quod uix sperare ausus es, auditurũ. De repub. iam noui quicquam expectare desieramus. Sed cum senatus habitus

Narratio. † bonos seruatos mallet † infimorũ Narratio alia Al. Vinciamũ ut uocat Hirtius.

habitus ẽsset ad Apollinis, ad XI. Calend. Sextil. & referretur de stipendio Cn. Pompeij, mentio facta est de legione ea, quã expensam tulit C. Cæsari Pompeius, quo numero esset, quo appeteretur, cum ex Gallia coactus esset dicere Pompeius se legionem abducturum, sed nõ statim sub mentionem & cõuicium obtrectatorum. Interrogatus de successione C. Cæsaris: de qua, hoc est, de prouincijs, placitum est, ut cum primùm ad urbẽ reuerteretur Cn. Pompeius, corã eo de successione prouinciarum ageretur. Nam Ariminum ad exercitũ Pompeius erat iturus, & statim puto Idib. Sextil. de ea re factum iri: profectò aut transigetur aliquid, aut turpiter intercedetur. Nam in disputando coniecit illam uocem Cn. Pompeius, Omneis oportere senatus dicto audientes esse. Ego tamen sic nihil expecto, quàm modo Paulum consulem designatum primùm sententiam dicentem. Sæpius te admoneo de syngrapha Sitiana: cupio enim te intelligere eam rem ad me ualde pertinere. Item de Pantheris, ut Cybiratas accersas, curesq; mihi ut uehantur. Præterea nuntiatum nobis, & procerto iam habetur, regem Alexandrinum mortuum: quid mihi suadeas, quo modo regnũ illud sese habeat, quis procuret, diligenter mihi perscribas. Calend. Sext. Vale.

Sic uidetur legendũ: Quũ appareret eã esse in Gallia, coactus est, &c.

Repetit, ea quæ antehac sæpe petiit curanda a Cicerone.

Conclusio a narratiuncula, & consilij petitione.

ARG. EPIST. SEQ.

Cum dubitaretur de bello Parthico: & alij pacem conficiendã putarent, alij prælio decertandũ: scribit Cælius se uehementer esse de hac re solicitum: & latenter monet Ciceronem, ut fugiat dimicationem, eum paruis sit copijs fretus: demum scribit se paratũ esse de Repub. scribere, si, quæ scribenda sint, haberet.

Cælius M. Ciceroni. S. D. 139

QVa tu cura sis, quod ad pacem prouinciæ tuæ, finitimarumq; regionum attinet, nescio: ego quidem uehementer animi pendeo. Nam si hoc † more moderari possemus, ut pro uiribus copiarum tuarum belli quoq; existeret magnitudo, & quantum gloriæ triumphoq; opus esset, assequeremur, periculosam & grauem illã dimicationem euitaremus: nihil tam esset optandum. Nunc si Parthus mouet aliquid, scio non mediocrem fore contentionem: tuus porrò exercitus uix unum saltũ tueri potest. Hanc autem nemo ducit rationem: sed omnia desiderantur ab eo (tanquam nihil denegatum sit ei, quò minus quàm paratissimus esset) qui publico negotio præpositus est. Accedit huc, quòd successionem futuram propter Galliarum controuersiam non uideo. Tametsi hac de re puto te constitutum, quid facturus esses, habere: tamen, quò maturius constitueres, cũ hunc euentum prouidebam, uisum est, ut te facerem certiorem. Nosti enim hæc tralatitia: de Gallijs constituetur: erit, qui intercedat: deinde alius existet, qui, nisi liberè liceat de omnibus prouincijs decernere senatui, reliquas impediat. sic multũ, ac diu ludetur, atq; ita diu, ut plus biennium in his tricis moretur. Si quid noui de Repub. quod tibi scriberem haberem, usus essem mea consuetudine, ut diligenter & quid actum esset, & quid ex eo futurum sperarem, perscriberem. Sanè tanquam in quadam silice iam omnia adhæserunt. Marcellus idẽ illud de prouincijs urget, sed neq; adhuc frequentem senatum efficere

Exordiũ sumptum a cura & solicitudine.

† mora

Epistola est dehortatoria & excusatoria.

Exorditur a dehortatione: nam dehortatur Ciceronẽ a suscipienda pugna cum Parthis.

A belli paruitate.

A copiarum Ciceronis paruitate.

A nullã spe mittendi auxilia a successoribus.

Altera pars de successione prouinciarũ.

Epilogus dehortationis.

Mimesis.

Conclusio a narratione.

efficere potuit. Quòd si hoc anno præterito Curio
designatus Trib. & * eadem actio de prouincijs introierit: quàm
facilè tunc sit omnia impedire, & quàm hoc Cæsari, &
ijs, qui suam causam, non Rempub. curent, suppetat, nõ
te fallit. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Vt usum est lib. 3. in epist. quæ incipit, Cum est ad nos allatum, &c. & in duabus illam sequentibus, accusatus fuerat Appius a Dolabella & fautoribus eius ambitus, & maiestatis: qua accusatione triumphum amisit: quod hic Cælius scribit monens, ut omni simultate deleta, Appium iuuet, ut Pompeius facit: rogatq; ut Appio concilietur.

Cælius Ciceroni. S. D. 6 140

Nunciatoria, est, & monitoria

NOn dubito, quin perlatum ad te sit, Appium à Dolabella reum factum: sanè quàm non ea, qua existimaueram, inuidia. Neque enim stultè Appius: qui simulatq; Dolabella accessit ad tribunal, introierat in urbẽ, triumphiq; postulationem abiecerat. Quo facto retulit sermones, paratiorq; usus est, quàm sperauerat accusator. Is nunc in te maximam spem habet. Scio tibi eum nõ esse odio. quàm uelis eum obligare, in tua manu est: cum quo simultates si tibi non fuissent, liberius tibi de tota re esset. Nunc si ad illam summam seueritatem legitimum ius exegeris: cauendũ tibi erit, ne parum simpliciter, & candidè posuisse inimicitias uidearis. In hãc partem porrò tutum tibi erit, si quid uolueris, gratificari. nemo enim necessitudine, & amicitia te deterritũ ab officio dicet. Illud mihi occurrit, quòd inter postulationem, & nominis delationẽ, uxor à Dolabella discessit. Quid mihi discedens mandaris, memini: quid ego tibi

A narratione exordiritur.

Monet Ciceronem, ut si Appio prodesse uelit, simpliciter et cãdide faciat.

Narratiuncula

tibi scripserim, te non arbitror oblitum. Non est iam tẽpus plura narrandi. Vnum illud monere te possum: si res tibi non displicebit, tamen hoc tempore nihil de tua uoluntate ostendas, & expectes quemadmodum exeat ex hac causa. Denique inuidiosum tibi sit, si emanarit. Porrò significatio ulla si intercesserit, clarius quàm deceat, aut expediat, fiat. neq; ille tacere eam rem poterit, quæ suæ spei tam opportuna acciderit: quæq; in negotio cõficiendo tantò illustrior erit: cum præsertim is sit, qui si perniciosum sciret esse loqui de hac re, uix tamen se contineret. Pompeius dicitur ualde pro Appio laborare, ut etiam putent alterutrum de filijs ad te missurũ. Hîc nos eum omnes absoluimus: & hercule confecta omnia, fœda, & inhonesta sunt. Consules aũt habemus summa diligentia: adhuc senatusconsultũ nisi de feriis Latinis, nullũ facere potuerunt. Curioni nostro tribunatus conglaciat. Sed dici nõ potest, quomodo hic omnia iacent. Nisi ego cũ tabernarijs, & aquarijs pugnarẽ, ueternus ciuitatẽ occupasset. Si Parthi uos nihil calfaciunt, nos hîc frigore frigescimus. Tamẽ quoquo modo hîc omnia iaceãt, potuit sine Parthis. Bibulus in Amano nescio quid cohorticularũ amisit. Hoc si nuntiatũ est. Quod tibi suprà scripsi, Curionem frigere: iam calet. nã feruentissimè concerpitur. † bellissimè enim, quia de intercalando non obtinuerat, transfũgit ad populũ, & pro Cæsare loqui cœpit, legemq; Viariam non dissimilẽ Agrariæ Rulli, et Alimentariã, quas iubet ædiles metiri, iactauit: hoc nondum fecerat, cùm priorem epistolæ partem

De Tullia collocanda. Apodioxis.

Monitio.

Alia narratio

Al. consepta: melius cõscripta.

Narrationes iocosæ.

† leuissimè

Appio

Appio scripsi. Amabo te, si quid, quod opus fuerit, Appio facies: ponito me in gratiam. De Dolabella, integrũ tibi reseruo, suadeo. & huic rei, de qua loquor, & dignitati tuæ, æquitatisq; opinioni hoc ita facere expedit. Turpe tibi erit pantherarum greges me non habere. Vale.

Petitio. Conclusio a consilio.

Al. pantheras me. & greges.

ARG. EPIST. SEQ.

Dicit se cupere, ut Cicero ex prouincia decedat, affertq; iocosa quædam, utpote Ocellam deprehensum in adulterio: nec tamen dicit cum qua, uolens Ciceronem id ex alio inquirere.

Cælius Ciceroni. S. D. 7 141

Nunciatoria epistola. Exorditur a causa, cur Ciceronẽ e prouincia discedere uelit. Narrationes iocosæ.

QVàm citò tu istinc decedere cupias, nescio: ego quidẽ eò magis, quò adhuc felicius rem gessisti. Dum istic eris, de belli Parthici periculo cruciabor, ne hũc risum meũm metus aliqui perturbent. Breuiores has literas properãti publicanorum tabellario subitò dedi: tuo liberto pluribus uerbis scriptas pridie dederam. Res autem nouæ nullæ sanè acciderunt, nisi hæc uis tibi scribi, quæ certè uis. Cornificius adolescẽs Orestillæ filiam sibi despondit. Paula Valeria soror Triarij diuortium sine causa, quo die uir è prouincia uenturus erat, fecit. Nuptura est D. Bruto: nondum retulerat. Multa in hoc genere incredibilia te absente acciderunt. Seruius Ocellæ nemini persuasisset se mœchum esse, nisi triduo bis deprehẽsus esset. quæres ubi? ubi hercule ego minimè uellem. relinquo tibi quod ab alijs quæras: neq; enim displicet mihi imperatorem singulos percontari, cum quasi aliquis deprehensus. Vale.

Al. adolescentior est, ille ubi filium.

Conclusio.

ARG. EPIST. SEQ.

Dicit Sempronium calumnias cum plausu tulisse. Affert & alia de

de Repub. de senatusconsulto: & qui scribæ fuerint in eo, quæ res ipsis duntaxat nota, obscura est legentibus.

Cælius Ciceroni S. D. 8 142

ET si de Repub. quæ tibi scribam, habeo: tamen nihil, quo magis gauisurum te putem, habeo, quàm hoc. Scito C. Sempronium Rufum, mel, ac delicias tuas, calumniã maximo plausu tulisse, † quòd is in causa M. Tuccium accusatorem suum post ludos Romanos, reum lege Plotia de ui fecit, hoc cõsilio, quòd uidebat, si extraordinarius nemo reus accessisset, sibi hoc anno causam esse dicendam. Dubium porrò illi non erat quid futurum esset. Nemini hoc deferre munusculũ maluit quàm suo accusatori. Itaq; sine ullo subscriptore descendit, & Tuccium reum fecit. At ego, simulatq; audiui, inuocatus ad subsellia rei accurro: surgo, neq; uerbum de te facio. Totum Sempronium usq; eò perago, ut Nestorium quoq; interponam, & illam fabulam narrem, quemadmodũ tibi pro beneficio dederit, si quid in iniurijs suis esset, quo Nestorius teneretur. Hæc quoq; magna nunc contentio fòrum tenet. M. Seruilius, postquàm, ut cœperat, omnibus in rebus turbarat, nec, quod non uenderet, quicquam reliquerat: maximè nobis traditus erat inuidiæ: neq; Laterensi prætore postulante Pausania nobis patronis, quò ea pecunia peruenisset, recipere uoluit. Quòd Pylius necessarius Attici nostri de repetundis eum postulauit: magna illico fama surrexit, & de damnatione feruenter loqui est cœptum. Quo uento proijcitur Appius minor, † ut indicet pecuniam ex bo-

Variæ narrationes. Nunciatoria epistola. Parasceue ad sequẽtem narrationem. Narratio. † quæris qua causa Lex Plotia fuit de oppugnantibus dõmos.

Al. Vestorius

Propter Pilia ipsius Attici uxorem,

† diuinatio nisq; nis paternis peruenisse ad Seruilium, † prævaricatio- nisq; causa diceret depositum HS. LXXXI. Admi- rans amentiam? quid si actiones stultissimas? quid si ne- farias de patre confessiones audisses? Mittit in consi- lium eosdem illos, qui litem æstimarant, iudices. Cùm æquo numero sententiæ fuissent, Laterensis leges igno- rans pronuntiauit, quid singuli ordines iudicassent: & ad extremum, ut solet, ait, † referam. Postquàm discessit, & pro absoluto Seruilius haberi cœptus, legis que unum & centesimum caput legit, in quo ita erat: Quod eorum iudicum maior pars iudicârit, id ius ratum esto. in tabulas absolutum non retulit, ordinum iudicia perscripsit, postulante rursus Appio, cum Lucio Lollio transegit, & se relaturum dixit. Sic nunc, neque absolutus, neq; damnatus Seruilius de repetundis sauciis Pylio tradetur. Nam de diuinatione Appius, cum calumniam † iurasset, contendere ausus non est, Pylio- que cessit: & ipse de pecunijs repetundis à Seruilijs est postulatus, & præterea de ui reus à quodam suo emissario Tuccio est factus: rectè hoc par habet. Quod ad Rempublicam pertinet, omnino multis diebus expecta tione Galliarum actum nihil est. Aliquando tamen sæpe re† relata, & grauiter acta, & planè perspecta Cn. Pō peij uoluntate in eam partem, ut eum decedere post Ca lendas Martias placeret, Senatusconsultum, quod tibi misi, factum est, autoritatesq; perscriptæ S. C. autoritas. Pridie Calend. Octob. in æde Apollinis scribendo affuerunt, Lucius Domitius Cnei filius Aenobarbus, Quintus

Al. imputet, implicet

† Non refe ram.

De prævaricatione.

† uitasset

Alia narratio † delata

Scripta affue runt

Quintus Metellus Quinti filius, Pius Scipio, L. Iulius Lucij filius, P. Annalis, Caius Septimius Titi filius, Quirina, Caius Lucius Caij filius, Puphircus, Caius Scribonius Caij filius, Publius Curio, Lucius Atteius L. filius AN. Capito, M. Oppius M. F. Tarentina. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Hic aliam uulgo epistolam auspicantur. Narrat autē, quid Marcellus consul in senatu fecerit.

M. Cælius M. T. Ciceroni S. D. 143

QVòd Marcus Marcellus consul. * V. F. de prouincijs consularibus * D. E. R. I. C. uti C. Paulus, Caius Marcellus consules, cum magistratum iniissent, ad Calendas Martij, quæ in suo magistratu futuræ essent, de consularibus prouincijs ad senatum referrent, né ue quid prius ex Calend. Mart. ad senatum referrent, né ue quid coniunctim de ea re referretur à consulibus, utique eius rei causa per dies comitiales senatum haberent, S. Q. C. facerent, & cum de ea re ad senatum referretur à COSS. eorum, qui in CCC. iudicibus essent, sex adducere liceret. Si quid de ea re ad populum, plebem ue opus esset, ut Ser. Sulpitius, M. Marcel. COSS. Prætores, Tribuniq; pleb. quibus eorum uideretur ad pop. plebem ue referrent: quod ij non tulissent, uti quicūq; deinceps essent, ad populum plebem ue referrēt. S. C. A. Pri. Cal. Octob. in æde Appollinis † scribendo affuerūt, L. Domitius Cn. F. Aenobarbus, Q. Metellus Q. F. Pius Scipio, L. Iulius L. filius, Pub. Annalis, C. Septimius C. filius Quirina, C. Scribonus, C. filius, Pub.

Narratio est longa & intricata.

Id est uerba fecit.

Id est, de ea re ita censuerunt.

Id est, Senatusconsultum autoritas.

Al. scripta affuerunt

Pub. Curio, L. Atteius, L. filius, AN. Capito, M. Oppius M. filius, Tarentina. Quòd M. Marcel. COS. VF. de prouincijs D.E.R.I.C. Senatum existimare, neminem eorum, qui potestatem habent intercedendi, impedienti morã afferre oportere, quò minus de Repub. quàm primum ad Senatum referri, Senatusq; consultum fieri posit. qui impedierit, eum Senatum existimare contra Rempub. fecisse. Si quis huic Senatusconsulto intercesserit, Senatui placere, autoritatem perscribi, & de ea re ad senatum, populumq; referri. Huic senatusconsul. intercessit C. Cælius, L. Vicinius, P. Cornelius, C. Iulius Pansa. Item senatui placere, autoritatem præscribi de militibus, qui in exercitu C. Cæsaris sunt: qui eorum stipendia, merita, †causas, quibus de causis missi fieri debeant, habeant, ad hunc ordinem referre, ut eorum ratio habeatur, causæq; cognoscantur. Si quis huic senatusconsulto intercesserit, senatui placere autoritatem perscribi, & de ea re †ad hunc ordinẽ referri. Huic senatusconsul. intercessit C. Cælius, C. Pansa trib. pleb. Ita temq; senatui placere, in Ciliciam prouinciam, & in octo reliquas prouincias, quas prætorij pro prætore obtinerent, eos, qui prætores fuerunt, neq; in prouincia cui imperio fuerunt, quos eorum ex senatusconsul. cum imperio in prouincias pro prætore mitti oporteret, eos sortitò in prouincias mitti placere. si ex eo numero, quos S.C. in prouincias ire oporteret, ad numerum non essent, qui in eas prouincias proficiscerentur: tum uti quod q; collegium primum prætorũ fuisset, neq; in prouincias

Al. Qu. P. quæ literæ apud Frontinum significent, Quid placeret.

†causarij milites.

†ad senatũ populũq; referri

prouincias profecti essent, ita fortè in prouincias proficiscerentur. si ad numerum ij non essent, tunc deinceps proximi cuiusq; collegij, qui prætores fuissent, neq; in prouincias profecti essent, in sortem conijcerentur, quoad is numerus effectus esset, quem ad numerum in prouincias mitti oporteret. Si quis huic S.C. intercessisset, autoritas perscriberetur. Huic S.C. intercessit C Cælius, C. Pansa trib. pleb. Illa præterea Cn. Pompeij sunt animad uersa, quæ maximè confidentiam attulerũt hominibus, ut diceret se ante Calend. Mart. non posse sine iniuria de prouincijs Cæsaris statuere: post Calend. Mart. se nõ dubitaturum. Cum interrogaretur, si qui tum intercederent: dixit hoc nihil interesse, utrum Cæsar senatus dicto audiens futurus non esset, an pararet, qui senatũ decernere non pateretur. Quid si, inquit alius, & consul esse, & exercitũ habere uolet? At ille, quàm clementer, Quid si filius meus fustẽ mihi impingere uolet? His uocibus, ut existimarẽt homines Pompeio cum Cæsare esse negotium, effecit. Itaq; iam, ut uideo, alterutram ad conditionem descendere uult Cæsar, ut aut maneat, neq; hoc anno sui ratio habeatur: aut si designari poterit, decedat. Curio se contra eum totum parat: quid asse qui posit, nescia. Illud uideo, bene sentientẽ, & si nihil effecerit, cadere non posse. Me tractat liberaliter Curio, & mihi de suo munere negotium imposuit. Nam si mihi non dedisset eas, quæ ad ludos ei aduectæ erant Africanæ, potuit supersederi. Nunc quãdo dare necesse est, uelim tibi curæ sit, quid à te semper petij, ut aliqd

De Curionis erga se liberalitate scribit.

Petitio.

istinc bestiarum habeamus: Sitianamq; syngraphã tibi commendo. Libertum Philonem istuc misi, & Diogenẽ Græcum, quibus mandata, & literas ad te dedi: eos tibi & rem, de qua misi, uelim curæ habeas. nam quàm uehementer ad te pertineat, in ijs, quas tibi illi reddent, literis descripsi. Vale.

Conclusio

ARG. EPIST. SEQ.

Hac epistola subobscura, docet Cælius Ciceronem multa, quæ Romæ agebantur: & instanter ab eo petit rursus pantheras: quas dicit ei facilimum esse parare. Cicero tamen ad id scripserat, longe difficilimum: cum omnes aufugerint, conquestæ se solas in Ciceronis prouincia molestiam pati. Deinde commendat Ciceroni M. Fetidium equitem Romanum.

Cælius Ciceroni. S. D. 10 144

Nunciatoria epistola. A narratione exorditur.

SIc tu, inquis, Hirrum tractasti? Imò, si scias quàm facile, quàm ne contentionis quidem minimæ fuerit, pudeat te, ausum illum unquam esse incedere tanquam tuum competitorem. Post repulsam uerò risus facit: ciuem bonum ludit, & contra Cæsarem sententias dicit: expectationem corripit: Curionem prorsus non mediocriter obiurgatus, hac repulsa se mutauit. Præterea qui nũquam in fõro apparuerit, non multum in iudicijs uersatus sit, agit causas liberaliter, sed rarò post meridiem.

Al. a Curione, alij Curionis

Variæ narrationes

De prouincijs quòd tibi scripseram Idibus Sextilis actũ iri, interpellat iudicium Marcelli consulis designati. In Calen. reiecta causa est. ne frequentiam quidem efficere potuerant. Has literas ad IIII. No. Septembris dedi, cũ ad eam diem ne † promulgatum quidem quicquã esset. Vt uideo, causa hæc integra in proximum annum transferetur: & quantum diuino, reliquendus tibi erit, quæ

Epist. 4. huius libri

†profligatum

qui prouinciam obtineat. Nam non expedietur successio, quando Galliæ, quæ habent intercessorem, in eandẽ conditionem, quam cæteræ prouinciæ, uocantur. Hoc mihi non est dubium, quò tibi magis scripsi, ut ad hunc euentum te parares. Ferè literis omnibus tibi de pantheris scripsi: turpe tibi erit Patiscum Curioni decem pantheras misisse, te non multis partibus plureis: quas ipsas Curio mihi, & alias Aphricanas decem donauit, ne putes illum tantùm prædia rustica dare scire. Tu, si modo memoria tenueris, & Cybiratas accersieris, itemq; in Pamphyliam literas miseris (nam ibi plureis capi aiunt) quod uoles efficies. Hoc uehementius laboro nunc, quòd seorsum à collega puto mihi omnia parãda: amabò te, impera tibi: hoc cura. Soles libenter, ut ego maiorem partem, nihil curare. In hoc negotio nulla tua, nisi loquendi, cura est, hoc est, imperandi, & mandandi. Nã simulatq; erunt captæ, qui alant eas, et deportent, habes eos, quos ad Sitianam syngraphã misi, puto etiã, si ullam spem mihi literis ostenderis, me istò missurum alios. Marcum Fetidium equitem Romanũ amici mei filium, bonum, & strenuum adolescentem, qui ad suum negotium istuc uenit, tibi commendo: & te rogo, ut eum in tuorum numero habeas. Agros, quos, fructuarios habent † ciuitates, uult tuo beneficio, quod tibi facile, & honestum factu est, immuneis esse: gratos, & bonos uiros tibi obligaris. Nolo te putare Fauoniũ à * columnarijs perterritum esse, optimus quisq; eos nihili facit. Põpeius tuus apertè Cæsarẽ uetat prouinciã tenere

Petit Pantheras sibi curandas.

Commendat Ciceroni M. Fetidium

†cibaritæ

Id est humiles homines rusticanosque tribus.

A facili

Ab honesto.

†cõsulatu: tamen

cum exercitu, & † consulem esse: tamen hanc sententiã dixit, nullum hoc tempore Senatusconsultum faciendũ.

Conclusio a narratione.

Scipio hãc, ut Calend. Martijs de prouincijs Gallijs, neu quid coniunctim, referretur. Contristauit hæc sententia

Id est more suo. Lege lib. de clar. orat.

Balbum Cornelium: & scio eum conquestum esse cum Scipione. Canidius in defensione sua fuit disertissimus, in accusatione satis frigidus. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Scribit Cælius se cõmotum esse uehementer ob nuntium quem acceperat de Parthis: qui ferebantur transisse Euphratem. idq; causa Ciceronis: quem sciebat non habere idoneum exercitum ad tantum hostem. deinde exponit, qui sermones essent in urbe super huiusmodi terrore. Rogatq; Ciceronem, ut scribat diligenter quomodo sese res habeat: polliceturq; se curaturũ, ut Ciceroni succedatur

M. Cælius M. Ciceroni S. D. 145

Nunciatoria epistola.

SAnè quàm literis C. Cassij, & Deiotari sumus commoti. Nam Cassius cis Euphratem copias Parthorũ esse

Exorditur a narratione.

scripsit: Deiotarus profectas per Comagenem in prouinciam nostram. Ego quidem præcipuum metũ quod

Deiotari rex Armeniæ minoris.

ad te attinebat, habui, qui scirem, quàm paratus ab exercitu esses, ne quod hic tumultus dignitati tuæ periculum afferret. Nam de uita, si paratior ab exercitu esses, timuissem: nunc exiguitas copiarum recessum, non dimicationem mihi tuam præsagiebat. Hæc quomodo acciperent homines, quàm probabilis necessitas futura esset, uereor etiam nunc: neque prius desinam formidare, quàm tetigisse te Italiam audiero. Sed de Parthorum

Alia narratio

transitu, nuntij uarios sermones excitarunt. Alius enim Pompeium mittendum, alius ab urbe non remouendũ, alius Cæsarem cum suo exercitu, alius consules, nemo tamen

tamen ex senatusconsulto priuatos. Consules autem, quia uerentur ne illud senatusconsultum fiat, ut paludati exeant, † & contumelioſe præter eos ad alium res transferatur, omnino senatum haberi nolunt: usq; eò, ut parum diligentes in repub. uideantur. sed honestè siue negligentia, siue inertia est: siue ille, quem proposui, metus, latet sub hac temperantiæ existimatione, nolle prouinciam. À te literæ non uenerunt: & nisi Deiotari subsecutæ essent, in eam opinionem Cassius uenerat, quæ diripuisset ipse, ut uiderentur ab hoste uastata, finxisse bellum, & Arabas in prouinciam immisisse, eosq; Parthos esse, Senatui renuntiasse. Quare tibi suadeo, quicunque est istic status rerum, diligenter, & cautè perscribas: ne aut uelificatus alicui dicaris: aut aliquid, quod referret scire, reticuisse. Nunc exitus est anni: nam ego has literas ad XIIII. Calend. Decembris scripsi. Planè nihil uideo ante Calend. Ianuarias agi posse. Nosti Marcellum, quàm tardus, & parum efficax sit: itẽq; † Seruius quàm cunctator. Cuiusmodi putas hoc esse? aut qui id, quod nolint, conficere posse, qui quæ cupiũt, tamen ita frigidè agunt, ut nolle existimentur? Nouis magistratibus autem, si Parthicum bellum erit, hæc causa primos menses occupabit. Sin autem aut non erit istic bellum, aut tantum erit, ut uos, aut successores paruis additis copijs sustinere possint: Curionem uideo se dupliciter iactaturum: primùm, ut aliquid Cæsari adimat: inde, ut aliquid Pompeio tribuat, quoduis, quamlubet tenue munusculum. Paulus porrò non humanè de

† aut

Consilium Cælij.

Alia narratio Deliberat Cælius cum Ciceronе.

† Seruium

Alia narratio

prouincia loquitur. huius cupiditati occursurus est Furnius noster: plureis suspicari nõ possum, hæc noui. Alia, quæ possunt accidere, non cerno: multa tẽpus afferre, et præparata multa esse scio: sed intra fines hos, quæcunq; acciderint, uertentur. Illud † addo ad actiones. C. Curionis de agro Campano: de quo negant Cæsarem laborare, sed Pompeium ualde † nolle: ne uacuus aduenienti Cæsari pateat. Quod ad tuum decessum attinet: illud tibi non possum polliceri, me curaturum, ut tibi succedatur: illud certè præstabo, ne quid amplius prorogetur. Tui consilij est, si tempus, si senatus coget, si honestè à nobis recusari non poterit, uelis ne perseuerare: mei officij est, meminisse, qua obtestatione decedens mihi, ne paterer fieri, mandaris. Vale.

† addo actiones

† uelle

Conclusio.

ARG. EPIST. SEQ.

Rebus bene gestis a Cicerone in Cilicia, ut lib. 2. uisum est, rogauit ipse Cicero Cæliũ, ut curaret sibi supplicationes decerni, idq; alios rogauit non ignorante Cælio: qui scribit nunc quid quisq; aut dixerit, aut fecerit pro Cicerone: exponitq; contentiones, quæ in Senatu factæ erant: & quid pro Cæsare Curio fecerat.

M. Cælius M. Ciceroni S. D. 146

Nunciatoria epistola. Exordium a narratione

NOn diu, sed acriter nos tuæ supplicationes torserũt. Incideramus enim in difficilem nodum. Nam Curio tui cupidissimus, cui omnibus rationibus † comitiales eripiebantur, negabat se ullo modo pati posse decerni supplicationes, ne si quid furore Pauli ademptum esset boni, sua culpa uideretur amisisse: et præuaricator causæ publicæ existimaretur. Itaque ad pactionem descendimus: & confirmarunt Consules se his supplicationibus in hunc annum non usuros. Planè, quod utrisq; Consulibus

† conciones

Epist. 3. lib. 1 Al. ne quod fauore Pauli adeptus esset boni

sulibus gratias agas, est: Paulo magis certè. Nam Marcellus sic respondit ei, spem in istis supplicationibus non habere. Paulus, se omnino in hunc annum non edicturum. Renuntiatum nobis erat, Hirrum diutius dicturum: prendimus eum: non modò non fecit, sed cum de hostibus ageretur, & posset rem impedire, si ut numerarentur, postularet, tacuit. Tantùm Catoni assensus est, qui de te iam locutus honorifice, non decreuerat supplicationes. Tertius ad hos Fauonius accessit. Quare pro cuiusque natura, & instituto gratiæ sunt agendæ: His, quòd tantum uoluntatem ostenderunt: pro sententia, cum impedire possent, non pugnarunt: Curioni uerò, quòd de suarum actionum cursu tua causa deflexit. Nã Furnius, et Lentulus, ut debuerunt, quasi eorum res esset, unà nobiscum circumierunt, & laborarunt. Balbi quoque Cornelij operam & sedulitatem laudare possum. Nam cum Curione uehementer locutus est: & eũ si aliter fuisset, iniuriam Cæsari facturum dixit: tum eius fidem in suspitionem adduci. Nec deerant quidem † qui id nunquam transigi uolebãt, Domitij, Scipiones: quibus hac re ad intercessionem euocandam interpellãtibus, uenustissimè Curio respondit, se eò libentius non intercedere, quòd quosdam, qui decernerent, uideret cõficí nolle. Quod ad remp. attinet, in unam causam omnis contentio coniecta est, de prouincijs inquã adhuc. Incubuisse cum senatu Pompeius uidetur, ut Cæsar ante Idus Nouembris decedat. Curio omnia potius subire constituit, quàm id pati: cæteras suas abiecit actiones.

† hostijs Epist. 15. li. 2

Epist. 6. li. 15 Hortatiũcula

† qui ini què transigi

Alia narratio

Alia narratio

Nosti

Nosti porrò, quos tu bene nosti, ad extremum certa-
† Sūma rei men rem deducere non audent. † Scena rei totius hæc:
Pompeius tanquam Cæsarem non impugnet, sed, quod
illi æquum putet, constituat, ait Curionem quærere di-
scordias. Valde autem non uult, & planè timet Cæsarē
consulem designari prius, quàm exercitum, & prouin-
ciam tradiderit. Accipitur satis male à Curione: & to-
tus eius secundus consulatus exagitatur. Hoc tibi dico:
omnibus rebus prement Curionem, Cæsar defendetur:
Al. defendet intercessorē: si
intercessorem si (quod uidentur) reformidabunt, Cæ-
sar, quoad uolet, manebit. Quam quisq; sententiam di-
xerit, in commentario est rerum urbanarum: è quo tu
quæ digna sunt, selige: multa transi, in primis ludorum
explosiones, & funerum, & cæterarum ineptiarū: plu-
ra habet utilia. Deniq; malo in hanc partem errare, ut
Occupatio. quæ non desideres, audias, quàm quicquam, quod opus
est, prætermittatur. Tibi curæ fuisse de Sitiano negō-
Epilogus. tio, gaudeo. Sed quando suspicaris minus certa fide eos
tibi uisos: tanquam procurator sic agas, rogo. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Primo loco exponit Cælius magnam Appij erga se ingratitudi-
nem: qui cum plurimum deberet gratiæ, odisse cœperat: & deinde
narras, quemadmodum idem Appius subornauerat, qui eum, hoc
est, Cælium, accusaret: contra quem dicit se defensum esse retorquē-
do accusationem in eum cum insigni eius infamia.

Cælius Ciceron S. D. 147

Conquestoria epistola. A narratiōe. PVdet me tibi confiteri, & queri de Appij hominis in-
gratissimi iniurijs, qui me odisse, quia magna mihi
debebat beneficia, cœpit: & cum homo auarus, ut ea sol-
ueret, sibi imperare non posset, occultum bellum mihi
indixit:

indixit: ita occultum tamen, ut multi mihi renuntiarēt,
& ipse facilè animaduerterem, male eum de me cogi-
tare. Posteaquam uerò comperi eum † collegium ten- † collegam
tasse, deinde apertè cum quibusdam locutum, cum L. L. pisonē.
Domitio (ut nunc est) mihi inimicissimo homine delibe-
rare, uelle hoc munusculum deferre, Cn. Pompeio tum
ipsum reprehendente: ut ab eo deprecarer iniuriam,
quem uitam mihi debere putarem, impetrare à me non
potui. Quid ergo est? Tum quidem cum aliquot amicis,
qui testes erant meorum in illum meritorum, locutus
sum. posteaquam illum neq; ijs satisfacere, neq; animum
me dignum habere sensi: malui collegæ eius homini ali-
enissimo mihi, & propter amicitiam tuam non æquissi-
mo, me obligare, quàm illius simiæ uultum subire. Id Appij
postquam rescijt, excanduit, & me causam inimicitia-
rum quærere clamauit: quasi, quòd mihi in pecunia
minus satisfecisset, per hanc speciem simultatis eum cō-
sectarer. Posteà nō destitit accersere palàm Seruium ac-
cusatorem, inire cum Domitio consilia: quibus cum pa-
rum procederet, ut † ulla lege mihi poneret accusato- † illa
rem, compellari ea lege me uoluerunt, qua † dicere nō † obijcere
poterant. insolentissimi homines summis Circensibus lu-
dis meis postulandū me lege Scantinia curant. Vix hoc Quam Scatiniꝰ Aricinus in molles & effœminatos tulit.
erat prælocutus, cum ego Appium censorē eadē lege po-
stulaui. Quod melius caderet, nihil uidi. Nam sic est à
populo, & non infimo quoq; approbatum, ut maiorem
Appio dolorē fama, quàm postulatio attulerit. Præte-
reà cœpi sacellum, in domo quod est, ab eo petere. Co-
turbae

Epilogus. turbat me mora serui huius, qui tibi literas attulit. Nã acceptis prioribus literis, amplius quadraginta dies mãsit. Quid tibi scribam, nescio. Scis Domitio diem timori esse. Expecto te ualde, & quamprimũ uidere cupio. Alidẽ timori. Ad te peto, ut meas iniurias perinde doleas, ut meo existimas & dolere, & ulcisci tuas solere. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Cum Cicero præesset Ciliciæ, Tullia filia eius nupsit Dolabellæ opera amicorum, quibus id mandauerat, quemadmodum ipse supra ad Appium scripsit. Itaq; ei Cælius hac epistola gratulatur, laudatq; Dolabellam, & ostendit se amari ab eo. Deinde de Curione quid egerit de prouincijs scribit, & de Cneo Pompeio nonnulla addit.

Cælius Ciceroni S. D. 148

Nunciatoria epistola. A gratulatione sumptum exordium. Gratulor tibi affinitate uiri medius fidius optimi. Nã hoc ego de illo existimo. Cætera porrò, quibus adhuc ille sibi parũ utilis fuit, & ætate iam sunt decursa, & cõsuetudine, atq; autoritate tua: & † pudore Tulliæ, si qua restabunt, confido celeriter sublatum iri. Nõ est enim pugnax in uitijs, neque hebes ad id, quod melius sit, intelligendum. Deinde (quod maximum est) ego illum ualde amo. Vides Cicero Curionem nostrum lautum intercessionis de prouincijs exitum habuisse. Nam cum de intercessione referretur, quæ relatio fiebat ex senatusconsulto, primaq; M. Marcelli sententia pronuntiata esset, qui agendum cum tribunis plebis censebat, frequens senatus in alia omnia ijt. Stomacho est scilicet Pompeius magnus nunc ita languenti, ut uix id, quod sibi placeat, reperiat. Transierant illuc, ut nec ratio esset eius habenda, qui neque exercitum, neque prouincias tradere uellet. Quemadmodum hoc Pompeius laturus sit, cum cognoscat quidnam reipub. futurum sit, si aut non possit, aut non curet, uos senes diuites uideritis. Q. Hortensius, cum has literas scripsi, animam agebat. Vale.

† prudẽtia. Narratio. Al. ratione.

Conclusio narratiũcula. Al. idẽ.

ARG. EPIST. SEQ.

Exponit, quam iucundũ spectaculum præbuerit Domitius, dũ ægerrime ferret repulsam a magistratu petito, optatq; Ciceronem interfuisse, ut qui maiorem uoluptatẽ ex ea recepisset, quam si Arsacen regem Persarum cepisset, & Seleuciam totam expugnasset. Denunciat etiam bellum futurum inter Cæsarem & Pompeium.

Cælius Ciceroni. S. D. 149

Nunciatoria epistola. A collatione rerum captat benevolentiã. Arsaces Parthorum rex: augurali. Captat attentionem. Al. quencũ. Narratio. TAnti non fuit Arsacen capere, Seleuciam expugnare, ut earum rerum, quæ hic gestæ sunt, spectaculo careres. nũquam tibi oculi doluissent, si in * repulsa Domitij uultum uidisses. magna illa comitia fuerunt, & plane studia ex partium sensu apparuerunt: perpauci necessitudinem secuti, officium præstiterunt. Itaq; mihi est Domitius inimicissimus, ut ne familiarem quidẽ suũ, quem nosti, tam oderit, quàm me: atque eò magis, quòd per iniuriam sibi putat ereptũ: cuius ego autor fuerim. Nunc furit tam gauisos homines suum dolorẽ, unumq; me studiosiorem Antonij. Nam Cn. Saturnium adolescẽtem ipse Cn. Domitius reum fecit, sanè quàm à superiore uita inuidiosum: quod iudicium nunc in expectatione est etiã in bona spe, post Sexti Peducei absolutionẽ. De summa reipub. sæpe tibi scripsi, me etiamnum pacẽ non uidere, & quò propius ea contentio, quàm fieri necesse est, accedit, eò clarius id periculum apparet. Propositum hoc est, de quo, qui rerum potiuntur, sunt dimicaturi:

Alia narratio.

&, egit

dimicaturi: quòd Cn. Pompeius constituit nõ pati C. Cæsarem consulem aliter fieri, nisi exercitum, & prouincias tradiderit: Cæsari autem persuasum est, se saluum esse non posse, si ab exercitu recesserit. Fert illam tamen conditionem, ut ambo exercitus tradant. Sic illi iam amores, & inuidiosa coniunctio, non ad occultam recedit obtrectationem, sed ad bellum erumpit: neque mearum rerum quid consilij capiam, reperio: neq; dubito, quin te quoque hæc deliberatio sit perturbatura. Nam mihi cum hominibus his & gratia est, & necessitudo: tamen tantum causam illam, non homines odi. illud te non arbitror fugere, quin homines in dissensione domestica, debeant, quamdiu ciuiliter † cernatur sine armis † certetur, honestiorem sequi partem: ubi ad bellum, & castra uentum sit, firmiorem: & id melius statuere, quod tutius sit. In hac discordia uideo Cn. Pompeium, Senatum, quiq; res iudicant, se cum habitu rum: ad Cæsarem omnes, qui cum timore, aut mala spe uiuant, accessuros: exercitum conferendum nõ esse omnino, satis spatij sit ad considerandas utriusque copias, & ad eligendam partem tutiorem. Propè oblitus sum, quod maximè fuit scribendum. Scis Appium censorem hic ostenta facere de signis, & tabulis: de agri modo, de ære alieno acerrimè agere. Persuasum est ei, censuram lomentum, aut † uitrum esse errare mihi uidetur. Nam sordes eluere uolens, uenas sibi omneis, & uiscera aperit. Curre per deos, atq; homines, & quamprimum hæc risum ueni: legis Scantiniæ iudicium apud Drusum fieri.

Quid de bello inter Pompeium & Cæsarem futurũ sit.

Alia narratio.

† nitrum Hortatiũcula.

† sordescit uerè uultu & fieri: Appium de tabulis, & signis agere: crede mihi, est properandum. Curio noster sapienter id, quod remisit de stipendio Pompeij, fecisse existimatur. Ad summam, quæris quid putem futurũ? Si alteruter eorum ad Parthicum bellum non eat, uideo magnas impendêre discordias: quas ferrum, & uis † iudicabit: uterq; & animo, & copijs est paratus. Si sine tuo periculo fieri posset, magnũ, & iucundũ tibi fortuna spectaculũ parabit. Vale.

Noua narratio. Conclusio ab ijs quæ in bello inter Pompeium & Cæsarem impendeant † uindicabit.

ARG. EPIST. SEQ.

Laudat Cæsarem, & uituperat Pompeium: qui populum Romanum ad arma excitauerit. Scribitq; se ualde solicitum esse, & optare aduentum Ciceronis, ut cum eo posset secreta sua communicare: dicitq; sibi eundum esse trans Alpes, propter tumultus ortos ex nece Domitij cuiusdam Galli nobilis.

Cælius Ciceroni S. P. D. 150

ECquando tu hominem ineptiorem, quàm tuum Cn. Pompeium uidisti, qui tantas turbas, qui tam nugax esset, commorit? Ecquem autem Cæsare nostro acriorem in rebus gerendis: eodẽ in uictoria temperatiorem aut legisti, aut audisti? Quid est? nunc tibi nostri milites, qui durissimis, & frigidissimis locis teterrima hyeme bellum ambulando confecerũt, malis orbiculatis esse pasti uidentur? Quid iam, inquis, * gloriosum? imò * si scias quàm solicitus sim, tum hanc meam gloriam, quæ ad me nihil pertinet, derideas: quæ tibi exponere, nisi coràm, non possum, idq; celeriter fore spero. Nam me cum expulisset ex Italia, Pompeium constituit ad urbem uocare, idq; iam existimo confectũ, nisi maluit Põpeiũ Brundusij circunsedere. Pereã si minima causa est properãdi mihi istò nisi quòd te uidere et omnia intima

Nunciatoria epistola. Exorditur a uituperio Põpeij, & laude Cæsaris. Facetum admiscet.

Al. glorioſe omnia. Narratio

Alia narratio

conferre discupio: habeo autem quàm multa. Hui uehreor (quod solet fieri) ne, cum te uidero, omnia obliuiscar. Sed tamen quoddam ob scelus iter mihi necessariũ retrò ad Alpes uersus incidit, ideo quod * Intemelij in armis sunt, neq; de magna causa. Bellienus uerna Demetrij, qui ibi cum præsidio erat, Domitium quendam nobilem illic Cæsaris hospitẽ à contraria factione nummis acceptis comprehendit, & strangulauit: ciuitas ad arma ijt, eò nunc cum quatuor cohortibus mihi per niues eundum est. Vsquequaque, inquis, se Domitij malè habent. Vellem quidem uerna propugnaturus, tantum animi habuisset in uestro Domitio, quantum ipse catenandus in hoc habuit. Ciceroni F. S. D.

Plin. lib. 3. cap. 5.

Filio salutem dic

ARG. EPIST. SEQ.

Cum uersaretur respub. in magnis periculis propter discordias Cæsaris, & Pompeij: questus fuerat Cicero de miseria ipsorum, diceratq; sibi incertum esse, quod consiltum rebus suis iuret. Itaq; suspicatus est Cælius illum quippiam mali cogitare, & potissimum cõtra Cæsarem, & ad Pompeiũ se translaturũ: quod ne faciat, suadet. Huic autem epistolæ respondet illa lib. 2. Magno dolore, &c.

Cælius Ciceroni S. D. 151

Suasoria epistola

Exorditur ab effectu & exanimatione, qua ex literis Ciceronis adfectus sit

Obtestatio

EXanimatus sum tuis literis: quibus te nihil nisi triste cogitare ostendisti, neq; id, quid esset, perscripsisti. Nõ enim quale esset, quod cogitares, aperuisti. Has illi ego ad te literas scripsi. Per fortunas tuas Cicero, per liberos te oro, & obsecro, ne quid grauius de salute, & incolumitate tua consulas. Nam deos, hominesq;, amicitiamq; nostrã testificor, me neq; temerè tibi prædixisse, neq; temerè monuisse: sed postq; Cæsarẽ cõuenerim, sententiamq; eius qualis futura esset, parta uictoria, cognouerim, te certiorẽ fecisse. Si existimas eandem rationem fore Cæsari in dimittendis aduersarijs, & conditionibus ferendis, erras. Nihil nisi atrox, & sæuum cogitat atque etiã loquitur. * Iratus Senatui exilit: his intercessionibus plane incitatus est: non erit mehercule deprecationi locus. Quare si tibi tu, si filius unicus, si domus, si spes tuæ reliquæ tibi * charæ sunt: si aliquid apud te nos, si uir optimus gener tuus ualet, eorũ fortunas nõ debes uelle cõturbare, ut eã causam, in cuius uictoria salus nostra est, aut odisse, aut relinquere cogamur, aut impiã cupiditatẽ contra salutẽ tuam habeamus. Deniq; illud cogita: quid offensæ fuerit, in ista * cunctatione te prius subijsse: nunc te cõtra uictorẽ facere, quẽ dubijs rebus lædere noluisti: & ad eos fugatos accedere, quos resistenteis sequi nolueris, summæ stultitiæ est. Vide, ne dum pudet te parum optimatẽ esse, parũ diligenter, quid optimũ sit, eligas. Quòd si totũ tibi persuadere nõ possum, saltẽ dum quid de Hispanijs agamus, scitur, expecta: quas tibi nuntio aduentu Cæsaris fore nostras. Quã isti spem habeãt, amissis Hispanijs, nescio. Quod porrò tuum consiliũ sit ad desperatos accedere, non mediusfidius reperio. Hoc, quod tu non dicendo mihi significasti, Cæsar audierat: ac simulatq; hæc mihi dixit, statim quid de te audisset, exposuit: negaui me scire: sed tamen ab eo petij, ut ad te literas * mitteret, quibus maximè ad remanendũ cõmoueri posses. Me secũ in Hispaniã ducit. Nam nisi ita faceret, ego prius, q̃ ad urbem accederẽ, ubicunq; esses, ad te percurrissem, & hoc à te præsens contendissem, atq;

Suadet Ciceroni, ne adeat Pompeium

Ab inutili Al. iratus, Senatu.

Al. curæ

Ab illaudabili

Capuæ

Præoccupatio obiectionis

A coniugatis

Narratio

Præoccupatio obiectionis

Quæ sunt ad Atticũ lib. 1.

omni ui te retinuissem. Etiam, atq; etiam mi Cicero, cogita, ne te, tuósq; omneis funditus euertas: ne te sciens, prudẽsq; eò demittas, unde exitũ uides nullũ esse. Quòd si te aut * uoces optimatum commouent, aut nonnullorum hominũ insolentiam, & iactationẽ ferre non potes: eligas censeo aliquod oppidum uacuũ à bello, dum hæc decernuntur: quæ cum confeceris, & ego te sapienter fecisse iudicabo, & Cæsarem non offendes. Vale.

Epilogus ab utili.

Al. si te uerba, aut uoces

ARG. EPIST. SEQ.

Scripserat Cælius se cum Cæsare abducendum in Hispaniam: quo tamen abductus non erat: sed Fortunijs manserat, quod Cicero improbarat: unde nunc dure respondet, incusans eum neglectæ amicitiæ: sed tamen Pompeianum effectum dicit.

Cælius Ciceroni S. P. D. 152

Epistola accusatoria, & nunciatoria exordiũ est ductum ab indignatione. Sesto machabundus hæc scribit in Ciceronem.

ERgo me potius proficisci in Hispaniam fuisset, quàm Formijs esse, antequã tu profectus es ad Pompeium? quod utinam aut non in ista parte Appius Claudius, aut non in hac C. Curio fuisset: cuius amicitia me paulatim in hanc perditam causam imposuit. nam mihi sentio bonam mentem * iracundiæ tumore ablatam. Tum tu porrò, cùm ad te proficiscens noctu Ariminum uenissem, dum mihi pacis mandata das ad Cæsarem, & mirificum ciuem agis, amici officium neglexisti, neq; mihi consuluisti. Neq; hæc dico, quòd diffidã huic causæ: sed, crede mihi, perire satius est, quàm hos uidere. Quòd si timor uestræ crudelitatis non esset, eiecti iam pridẽ hinc essemus. Nam hîc nunc præter fœneratores paucos, nec homo, nec ordo quisquã est, nisi Pompeianus. Equidẽ iam effeci, ut maximè plebs, * & qui antea noster fuit populus,

Narrario

Al. iracundia & amore.

Prolepsis

Subiectio

Al. partes

lus, uester esset. Cur hoc, inquis? imò reliquias expectant. Vos inuitos uincere coëgero. irritaui in me †Catonem. Vos dormitis, nec hæc adhuc mihi uidemini intelligere, quà nos pateamus, & quã simus imbecilli. Atq; hoc nullius præmij spe facio: sed, quod apud me plurimũ solet ualere, doloris: atq; indignitatis causa. Quid istic facitis? prælium expectatis, quod firmissimum est? Vestras copias non noui: nostri ualde depugnare, & facilè algere & esurire consueuerunt. Vale.

†crabrones.

Epilogus

ANNOTATIONES AC Castigationes in octauum librum Epist. Famil. Ciceronis.

In Epist. 1.

Sane quam eos sermones repressit. Al. qua sane meos sermones expressit.

Plane, secreto. Al. palam secreto, hoc est, inter ipsos quidem, sed palam, ut ab omnibus fere audire possint

Bius esuriei. Lege Val. Max. lib. 4. cap. 2.

In Epist. 2.

Absolutus. M. Valerius Messala. Epist. 4. huius libri.

Præsente. Al. rei præsente, re repræsentante, præhensante.

Legi Licinia. Al. legi Liciniæ, lex erat Licinia de ciuibus redundis, quam Licinius Crassus orator tulit, in qua de iudicibus æditimis fiebat mentio.

In theatrum Curionis. Plin. lib. 36. cap. 15.

L. Castronio Pæto. Epist. 13. lib. 13.

In Epist. 3.

Nam me. Al. nam mea, scilicet bona

Miloni absenti. Massiliæ exulanti

In Epist. 4.

Isthoc perferuntur. in Ciliciam

M. Claudium. M. Callidium legerem ex Epist. 9. huius libri, quæ hanc sequi debuit.

Suræ. Al. cruris: ut iocetur in fura & crure Cælius. Legitur etiam oculis.

Equites.

Equites) Varie legitur, quæ, qua, æque ac, Tucius, nõ acutius

In Epist. 5.

Hoc more) Alij legunt, hoc modo

In Epist. 6.

Discedens mandaris) De Tullia collocanda
Si res) matrimonium
Si emanarit) Tulliam Dolabellæ desponderi.
Confecta Al. conspecta: melius, conscripta, scilicet a Dolabella in delatione nominis.
Conglaciat ocio, ut rescribit Cicero epist. 13. lib. 2.
Bellissime Al. Ienissime
Pantherarum greges me Al. Pantheras me
Nisi ego cũ aquarijs, &c. Vide Cel. Antiq. lect. li. 10. ca. 40.

In Epist. 7.

Hunc risum. de Hirro
Adolescens Oristillæ filiam sibi. Al. adolescentior est, ille ubi filium.
Orestillæ. Aurelia Orestilla fuit Catilinæ amica
Nuptura est D. Bruto. Al. nuptura est D. Pollam certe D. Brutus uxorem habuit, Epist. 8. lib. 11.

In Epist. 8.

Quæris, qua causa. Al. quæris, an causa.
Ludos Romanos. Epist. 19. lib. 6. lege Asconiã in Verr. 2.
Nestorium. Al. Vestorium
Si quid in iniurijs In uetere libro sic: si quid in iuribus suis esset, quod Nestorius teneret
Pansama nobis Sunt qui ex ueteribus etiam libris legant. Pansam a nobis, quomodo sæpe locuti sunt ueteres
Causam diceret Videtur legendum causa indicet
De diuinatione lege Asconium
Iurasset Al. uitasset
Capito Al. Ancapito. sed ita legendum est. A. N. Capito: hoc est, Auli nepos Capito
Opus esset post hoc S.C. prid. Calend. Oct. factum
Iulius Pansa Vibius Pansa ex ueteribus libris & historia legi debet
Quod M. Marcellus N. F. me ad se uel inuitum traxit Vide B. Egnatij Racemationes.

In Epist. 9.

Causam liberaliter Al. causas liberales
Nolo te putare, Fauonium a colonarijs præteritum Vide Cel.

Cel. Antiquit. lect. libro undecimo, capite 54.

In Epist. 11.

Supplicationes) de rebus in Cilicia gestis
Comitiales) Epistola 3. libro 1.
Ne si quid furore Pauli ademptum esse boni) Al. ne quod fauore Pauli adeptus esset boni
Non decreuerat) Epistola 6. libro 15.

In Epist. 12.

Posteaquam illum) Al. Posteaquam illum ne cui satisfaceret quidem me dignum habere sensi: malui, &c. Satisfaceret autem in pecunia, ut paulo post
Diem timori) Al. Idem timori: uel diem comitiorum auguratus intelligit, Epistola 14. huius libri

In Epist. 13.

Fiebat ex S.C.) quod est in epistola octaua huius libri

In Epist. 16.

Exilit) Al. exilijt. Al. exijt scilicet in Hispaniam
Eorum) Al. quorum fortunas non debes uelle conturbare sequere eam causam, &c.
Si te ad uoces) Al. si te uerba aut uoces
Quæ quum tu feceris) Al. quæ quum erunt confectæ. Al. quæ iam erunt confecta, id si feceris

In Epist. 17.

Quum Formijs esse) Al. quam Formias
Antequam tu) Al. quum tu
Cur hoc inquis) Al. cur hoc inquis imo reliqua expectant nos inuictos uincere coẽgere aruncanum me Catonem, &c. locus est mendosissimus.

M. T. CICERONIS EPISTOLARVM FAMILIARIVM LIBER IX.

ARG. EPIST. SEQ.

Narratio est, in qua exponit se sperare reditum Varronis, & commemorat quædam de studijs suis. Estq; uenusta prosopopœia de libris, quos ait hactenus sibi succensisse, quod non paruerit monentibus, ut a popularibus tumultibus abstineret, nunc inquit se cum eis redire in gratiam, ac petere ab ipsis leuationem doloris. Est bella & elegans epistola.

M. T. Cicero M. Terentio Varroni S. D. 153

Vide infra li. 13. epist. 11 Epistola nuncia toria. A narratione exordium

EX HIS literis, quas Atticus à te missas mihi legit, quid ageres, & ubi esses, cognoui: quando autem te uisuri essemus, nihil sane ex eisdem literis potui suspicari. In spem tamen uenio, appropinquare tuum aduentum: qui mihi utinam solatio sit: etsi tot tantisq; rebus urgemur, ut nullam allevationem quisquam non stultissimus sperare debeat: sed tamen aut tu potes me, aut ego te fortasse aliqua re iuuare. Scito enim me, posteà quàm in urbem uenerim, redijsse cũ ueteribus amicis, id est, cum libris nostris, in gratiam: etsi non idcirco eorum usum dimiseram, quòd ijs succenserem, sed quòd eorũ me suppudebat. Videbar enim mihi cùm me in res turbulentissimas infidelissimis socijs demisissem, præceptis illorum non satis paruisse. Ignoscunt mihi, & reuocant in consuetudinem pristinam: teq; quòd in ea permanseris, sapientiorem, quàm me, dicunt fuisse. Quamobrem quando placatis his utor, uideor sperare debere, si te uiderim, & ea, quæ premant, & ea, quæ impendeant, me facilè transiturum. Quamobrem siue in Tusculano, siue in Cumano †adesse tibi placebit, siue quod minimè uelim) Romæ: dummodo simul simus, perficiam profectò, ut id utriq; nostrum commodissimum esse uideatur. Vale.

Alia narratio

Correctio

†adire.

Conclusio ab hortatiuncula.

ARG. EPIST. SEQ.

Ista scripta sunt, quum Cæsar iam uicisset Pompeium in pugna Pharsalica, quumq; Antonius Prætor populi Romani per Italiam uecheretur, insultans quasi malis publicis.

Cicero

M. T. C. Varroni S. P. D. 154

CAninius idem tuus, & idem noster, cùm ad me nuper uesperi uenisset, & se postridiè manè ad te iturum esse dixisset: dixi ei, me daturũ literarũ aliquid manè, & ut peteret, rogaui. Cõscripsi epistolam noctu: nec ille ad me redijt: oblitũ credidi. Attamen eã ipsam tibi epistolã misissem per meos, nisi audissem ex eodem postridie te manè è Tusculano exiturum. At ibi repente, paucis pòst diebus, cùm minimè expectarem, uenit ad me Caninius manè: proficisci ad te statim dixit: etsi erat ἐώλος illa epistola, præsertim tantis posteà nouis rebus allatis: tamen perire meam lucubrationem nolui, & eam ipsam Caninio dedi: sed cum eo & homine docto, & amantissimo tui, loquutus ea sum, quæ pertulisse illum ad te existimo. Tibi autem idem cõsilij do, quod mihimet ipsi: ut uitemus oculos hominum, si linguas minus facilè possumus. Qui enim uictoria se efferunt, quasi uictos nos intuentur. Qui autem uictos esse nostros molestè ferũt, nos dolent uiuere. Quæres fortasse, cur, cùm hæc in urbe sint, non absim, quemadmodum tu. Tu enim ipse, qui & me, & alios prudentia uincis, omnia credo uidisti: nihil omnino te fefellit. Quãuis quis est tam lynceus qui in tantis tenebris nihil offendat? nusquam incurrat? Ac mihi quidem iam pridem uenit in mentem, bellum esse aliquò exire, ut ea, quæ agebantur hic, quæq; dicebantur, nec uiderem, nec audirem. Sed calumniabar ipse: putabam, qui obuiam mihi uenisset, ut cuiq; cõmodum esset, suspicaturum, aut dicturum etiam, si non suspicaretur:

Suasoria est epistola. A narratione exordiũ est ductum.

Id est, inanis. Est proprie Græcis, quod iam est exoletũ, das uerrochen ist.

Suadet Varrom, ne in urbem ueniat

Occupatio Ab aduersariorum impotentia & insolentia.

Prolepsis Causæ quare sibi exire ex urbe non liceat.

retur: Hic aut metuit, & ea re fugit: aut aliquid cogitat, & habet nauem paratam. Deniq; leuissimè qui suspicaretur, & qui fortasse me nouisset optimè, putaret me idcirco discedere, quòd quosdam homines oculi mei ferre non possent. Hæc ego suspicans adhuc Romæ maneo: & tamen λελῆθοτως consuetudo diuturna calamlum iam obduxit stomacho meo. Habes rationem mei consilij. Tibi igitur hæc censeo latendum tantisper ibidem, dum deferuescit hæc gratulatio, & simul dum audiamus, quemadmodum negotium confectum sit. confectum enim esse existimo. Magni autẽ intererit, qui fuerit victoris animus, qui exitus rerũ. quanquàm quò me coniectura ducat, habeo: sed expecto tamen. Te uerò nolo, nisi ipse rumor iam raucus erit factus, ad Baias uenire. Erit enim nobis honestius etiam, cùm hinc discesserimus, uideri uenisse in illa loca ploratum potius, quàm natatũ. Sed hæc tu melius: modò nobis † stet illud, una uere in studijs nostris, à quibus antea delectationem, modò solatium petebamus, nunc uerò etiam salutem deesse non arbitramur. Si quis adhibere uolet, non modò ut architectos, uerum etiam ut fabros ad ædificandam rem publicam, poterimus & nos libenter accurrere: sinemo utetur opera, tamen & scribere, & legere φιλτεῖσες, & si minus in curia, atq; in foro, at in literis, & libris: ut doctissimi ueteres fecerunt, † nauare Reip. & de moribus, ac legibus quærere. Mihi hæc uidentur. Tu quid sis acturus, & quid tibi placeat, pergratũ erit, si ad me scripseris. Vale.

Id est, latẽter

Epilogus Suadet Varroni, ut ubiuis potius, q̃ Romæ maneat

† ista pensanda sunt.

Id est ciuilitates

† nauare operã R. P.

Conclusio

ARG.

ARG. EPIST. SEQ.

Pollicetur se ad Varronem uenturum esse, ut frui una communibus studijs possit. Additigitur quædam præconia literarum. Videmus omnes illas epistolas esse ex illo Attico genere, quod est incompositum & breue, quamuis habeat optimos locos.

M. T. C. Varroni S. P. D. 155

ETsi quid scriberem, non habebam, tamen † Caninio ad te eunti non potui nihil dare. Quid ergo potissimum scribam? quod uelle te puto, citò me ad te esse uenturum. Etsi uide, quæso, satis ne rectum sit, nos hoc tanto incendio ciuitatis in istis locis esse. Dabimus sermonem ijs, qui nesciunt nobis, quocunq; in loco simus, eundem cultum, eundem uictum esse. Quid refert? tamen in sermonem incidemus. Valde id, credo, laborandum est, ne, cùm omnes in omni genere & scelerum, & flagitiorum uolutẽtur, nostra nobiscum, aut inter nos cessatio uituperetur. Ego uerò neglecta barbarorum inscitia, te persequar. quãuis enim hæc sint misera, quæ sunt miserrima, tamen artes nostræ nescio quo modo nunc uberiores fructus ferre uidentur, quàm olim ferebant: siue quia nulla nunc in rẽ alia acquiescimus, siue quòd grauitas morbi facit, ut medicinæ egeamus, eaq; nunc appareat, cuius uim non sentiebamus cum ualebamus. Sed quid ego hæc ad te, cuius domi nascuntur? γλαῦκας εἰς Ἀθήνας, nihil scilicet, nisi ut rescribens aliquid, me expectares. sic igitur facies. Vale.

† amico

Exordiũ ab occasione scribendi

Epistola est nunciatoria.

Ab occasione scribendi exorditur

Subiectio eliberat cũ amico.

Narrat se magnum fructũ ex literarum studijs capere

Conclusio a correctione

Id est, Noctuam Athenas

Loc. de Varronis aduẽtu.

Epistola tota est iocosa

Id est, de possibilibus

Id est, secundum Diodorum iudicare

M. T. C. Varroni S. P. D. 156

ΠΕρὶ συνεστῶτος me scito τὴν διόλωρον κρίνειν. Quapropter si uenturus es, scito necesse esse te uenire.

Id est, impossibilium. uenire, Sin autem non, τῶν ἀδυνάτων est te uenire. Nunc uide utra te κρίσις magis delectet, χρυσιππείαne, an hæc, quam noster Diodorus nō concoquebat. Sed de his etiā rebus otiosi cùm erimus, loquemur. hoc etiā est τῷ χρυσίππου δυνατόν. De Coctio mihi gratū est. Nam id etiam Attico mandarā. Tu si minus ad nos, nos accurremus ad te. si hortum in bibliotheca habes, nihil deerit. Vale.

Id est, iudiciū

Id est, Chrysippeam.

Id est, secundū Chrysippū possibile.

ARG. EPIST. SEQ.

Constituerat Varro Ciceronem conuenire ad Nonas mensis, quem non nominat: quem diem sibi placere nunc scribit Cicero: deinde purgat factum utriusq;, quod secuti essent Pompeianas partes, & quod eo occiso arma deseruissent: in quibus non erat salus.

M. T. C. Varroni S. P. D. 157

Epistola excusatoria. Exorditur ab approbatione temporis, quo modo Varro ad Ciceronē ire destinarat. Excusat & se, & Varronē, quod Pōpeium secuti sint.

Mihi uerò ad No. bene maturum uidetur fore, neque solum propter Reipublicæ, sed etiam propter ammi tempus. Quare diem istum probo: itaq; eundem ipse sequar. Consilij nostri, nisi eos quidem, qui id sequuti non sunt, pœniteret, nobis pœnitendū putarē. Sequuti enim sumus non spem, sed officium. Reliquimus autem nō officium, sed desperationem. Itaq; uerecundiores fuimus, quàm qui se domo non cōmouerunt: saniores, quàm qui amissis opibus domum non reuerterunt. Sed nihil minus fero, quàm seueritatem otiosorū: & quo quomodo res se habeant, magis illos uereor, qui in bello occiderunt, quàm hos curo, quibus non satisfacimus, quia uiuimus. Mihi si spatium fuerit in Tusculanū ante Nonas uenien di, istic te uidebo: sin minus, persequar in Cumanum: & antè te certiorem faciam, ut lauatio parata sit. Vale.

Pathos

Clausula

ARG.

ARG. EPIST. SEQ.

Admonitus per Caninium, Varronem, qui in Tusculanis erat, desiderare, si quid noui acceperit, uelle certiorem fieri: scribit aduentum Cæsaris ex Gallia expectari: docetq;, cur Cæsarianis utatur, & quod in re turbata consolationem capit ex eo, quod se ad omnem statum præparauerat: laudatq; otium Varronis.

M. T. C. Varroni S. P. D. 158

Narratio Epistola est nunciatoria & laudatoria Exorditur a narratione

CAninius noster me tuis uerbis admonuit, ut scirem ad te, si quid esset, quod putarem te scire oportere. Est igitur aduentus Cæsaris in expectatione: neq; tu id ignoras. Sed tamen, cùm ille scripsisset, ut opinor, se in Alsiense uenturum: scripserunt ad eum sui ne id faceret: multos ei molestos fore, ipsumq; multis. In Pontinum uideri commodius eum exire posse. Id ego non intelligebam, quid interesset. Sed tamen Hircius mihi dixit & se ad eum, & Balbum, & Oppium scripsisse, ut ita faceret, homines, ut cognoui, amantes tui. Hoc ergo idcirco nosse te uolui, ut scires, hospitium tibi ubi paratum esse, uel potius ubi utriq;: quid enim ille facturus sit, incertū est: & si ostentaui, me istis esse familiarem, & consilijs eorum interesse. Quod ego cur nolim, nihil uideo. Nō enim est idem, ferre, si quid ferendū nō est: & probare, si quid probandum non est: & si quid non probem quidem, nescio, præter initia rerum. Nam hæc in uolun tate fuerunt. Vidi enim (nam tu aberas) nostros amicos cupere bellum: hunc autem non tam cupere, quàm non timere. Ergo hæc consilij fuerunt: reliqua necessaria. Vincere autem aut hos, aut illos necesse est. Scio te semper mecum in luctu fuisse, cum uideremus, quàm illud ingens malum alterutrius exercitus ex ducum interitu:

Quare hoc narret Varroni

Excusatio, cur se adiungat Cæsarianis, quam sequatur uitupe ratio Pompeianorum.

Cur consilijs Cæsarianorū interfit.

Alia narratio

tum

tum uerò extremum malorum omnium esse ciuilis belli uictoriam: quam quidem ego etiam illorum timebam, ad quos ueneramus. Crudeliter enim ὀλοφύρεσθαι bellum minabantur: eratq; ijs & tua inuisa uolũtas, & mea oratio. Nũc uerò si essent nostri potiti, ualde intemperantes fuissent. Erant enim nobis perirati, quasi quicq̃ de nostra salute decreuissemus, quod non idẽ illis censuissemus: aut quasi utilius Reipub. fuerit, eos etiam ad bestiarum auxilium confugere, quàm uel mori, uel cum spe, si non optima, at aliqua tamen uiuere. At in perturbata Repub. uiuimus: quis negat? Sed hæc uiderint ij, qui nulla sibi subsidia ad omneis uitæ status parauerunt. huc enim ut uenirem, superior longius, quàm uolui, fluxit oratio. Cùm enim te semper magnum hominem duxi: tum, quòd his tempestatibus es propè solus in portu, fructusq; doctrinæ percipis eos, qui maximi sunt, ut ea consideres, eaq; tractes, quorum & usus, & delectatio est omnibus istorum & actis, & uoluptatibus anteponenda. Equidem hos tuos Tusculanenses dies † instar esse uitæ puto, libenterq; omnibus omnes opes concesserim, ut mihi liceat uti nulla interpellante, isto modo uiuere. Quod nos quoq; imitamur, ut possumus, & in nostris studijs libentissime conquiescimus. Quis enim hoc nõ dederit nobis, ut cùm opera nostra patria siue non possit uti, siue nolit, ad eam uitam reuertamur, quam multi docti homines, fortasse nõ recte, sed tamen multi etiam Reipub. præponendam putauerunt? Quæ igitur studia magnorũ hominum sententia uacationẽ habent etiam publici muneris, ijs, concedente

Laudat Varronem, quod in Tusculano literis nauet operam.

† instar uictoriæ pu.

Prædicat studia, in quibus aiit honeste cõsumi ociũ, post quã fortuna nos remouerit a gubernatione Reipub.

cedente Repub. cur non abutamur? Sed plus facio, quàm Caninius mandauit. Is enim si quid ego scirem, rogarat, quod tu nescires. Ego tibi ea narro, quæ tu melius scis, quàm ipse, qui narro. Faciam ergo illud, quod rogatus sum, ut eorum, quæ temporis huius sint, quæ tua interesse audiero, ne quid ignores. Vale.

Conclusio

ARG. EPIST. SEQ.

Dicit se non probasse properationem Varronis in urbem, propter speratã necem Cæsaris: quem dicit uenturum, sed nescit quã.

M. T. C. Varroni S. P. D. 159

COenabam apud Seium, cum utriq; nostrum redditæ sunt à te literæ. Mihi uerò iam maturum uidetur. Nam quòd antea te calumniatus sum, indicabo malitiam meam. Volebã propè alicubi esses, si quid bonæ salutis, σὺν τε δίῃ ἐρχομένῳ. nunc quando confecta sunt omnia, dubitandũ non est, quin equis, uelis. Nam ut audiui de Lucio Cæsare filio, mecum ipse. Quid hic mihi faciet patri? Itaq; nõ desino apud istos, qui nunc dominantur, cœnitare. Quid faciam? tempori seruiendũ est. Sed ridicula missa faciamus, præsertim cùm sit nihil, quod rideamus. Aphrica terribili tremit horrida terra tumultu. Itaq; nullũ est ἀποπροηγμένον, quod non uerear. Sed quod quæris, quando, quà, quò, nihil adhuc scimus. Ishuc ipsum de Baijs, nõnulli dubitant, an per Sardiniã ueniat. Illud enim adhuc prædium suũ non inspexit: nec ullũ habet deterius, sed tamen nõ cõtemnit. Ego omnino magis arbitror per Siciliam, uel iam scimus: aduentat enim Dolabella: eum puto magistrum fore. πολλοὶ μὲν ἐσθλοὶ κρείσσονες διδασκάλων. Sed tamen si sciam, quid

Nunciatoria epistola. A narratiuncula.

Id est, pariterque duo euntes. Iocus est apud Hom. lib. 10. Iliad.

Facetum admiscet. Alia narratiuncula. Ennius

Id est, reiectã

Ad uaria epistolæ Varronis capita respondet.

Id est, multi discipuli præstantiores magistris.

Epilogus

quid tu constitueris, meũ consilium potissimũ accõmodabo ad tuum: quare expecto tuas literas. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Orditur ab occupatione, qua uerecunde admonet Varronem promissi. Deinde narrat de libris cur eos mittat.

M. T. C. Varroni S. P. D. 160

Epistola nunciatoria & pollicitatoria. Exorditur ab occasione quę Varronẽ ad sibi scribendũ excitare debuerit

ETsi munus flagitare, quamuis quis ostenderit, ne populus quidem solet, nisi concitatus: tamen ego expectatione promissi tui moueor, ut admoneam te, nõ ut flagitem. Misi autem ad te quatuor admonitores non nimis uerecundos. Nosti enim profectò os adolescentioris eius Academiæ. Ex ea igitur media excitatos misi: qui metuo, ne te fortè flagitent: ego autem mandaui, ut rogarent. Expectabam omnino iandiu, meq; sustinebam, ne ad te prius ipse quid scriberem, quàm aliquid accepissem, ut possem te remunerari quàm similimo munere. Sed cùm tu tardius faceres, id est, ut ego interpretor, diligentius: teneri non potui, quin coniunctionem studiorum amorisq; nostri quo possem literarum genere, declararem. Feci igitur sermonem inter nos habitum in Cumano, cùm esset unà Põponius. tibi dedi parteis Antiochianas, quas à te probari intellexisse mihi uidebar. mihi sumpsi Philonis. puto fore, ut cùm legeris, mirêre id nos locutos esse inter nos, quod nunquã locuti sumus: sed nosti morem dialogorum. Posthac autem mi Varro quàm plurima, si uidebitur, & de nobis inter nos: serò fortasse: sed superiorum temporũ fortuna Reipub. causam sustineat. Hæc ipsi præstare debemus. atq; utinam quietis temporibus, atq; aliquo si non bono, at saltem certo

Narratio

Præoccupatio obiectionis

Pollicetur se posthac scripturũ plura. Adhortatur eum ad hæc studia tractanda.

certo statu ciuitatis hæc inter nos studia exercere possemus. Quanquam tum quidem uel aliæ quæpiam rationes honestas nobis & curas, & actiones darent: nũc autem quid est, sine his cur uiuere uelimus? Mihi uerò cum his ipsis uix: his autem detractis, ne uix quidem. Sed hæc coràm, & sæpius. Migrationem, & emptionem feliciter euenire uolo, tuumq; in ea re consilium probo. Cura ut ualeas.

Adhortatur eum ad hæc studia tractanda.

Conclusio

ARG. EPIST. SEQ.

Orditur ab optima ratione. Purgat suspicionem, ne uideatur illi consilium dare magis partium causa quam ut ipse Cicero saluus sit.

Dolabella Ciceroni S. D. 161

SIuales, gaudeo: & ipse ualeo, & Tullia nostra rectè ualet. Terentia minus bellè habuit: sed certum scio iam conualuisse eam. Præterea rectissimè sunt apud te omnia. Etsi nullo tempore in suspicionem tibi debui uenire, partium causa potius, quàm tua, tibi suadere, ut te aut cum Cæsare, nobiscumq; coniungeres, aut certè in otium referres: præcipuè nunc iam inclinata uictoria ne possum quidem in ullam aliam incidere opinionem, nisi in eam, in qua scilicet tua de re tibi suadere uidear, quod piè tacere nõ possum. Tu autem mi Cicero, si hæc accipies, ut, siue probabuntur tibi, siue non probabuntur, ab optimo certe animo, ac deditissimo tibi & cogitata, & scripta esse iudices. Animaduertis Cn. Pompeiũ nec nominis sui, nec rerum gestarum gloria, nec etiam regum ac nationum clientelis, quas ostentare crebrò solebat, esse tutũ: & hoc etiam, quod infimo cuiq; cõtigit, illi non posse cõtingere, ut honestè effugere possit, pulso

Suasoria epistola. A narratione

Insinuatione utitur hic.

Suadet Ciceroni, ut relicto Pompeio ad Cæsarẽ se conferat.

Italiæ, amissis Hispanijs, capto exercitu ueterano, cir-
A malis quæ accepit Pompeius. cumuallato nunc denique: quod nescio, an ulli unquam no-
stro acciderit imperatori. quamobrem, quid aut ille spe-
A cõtemptu Pompeij. rare possit, aut tu, animum aduerte pro tua prudentia.
Cõsiliũ ne se ad Pompeiũ conferat. Sic enim facilimè quod tibi utilissimum erit, consilij ca-
Ab honesto, ut honeste possit discedere. pies. Illud autem à te peto, ut si iam ille euitârit hoc pe-
riculum, & se abdiderit in classem, tu tuis rebus consu-
las: & aliquando tibi potius, quàm cuiuis, sis amicus. Sa-
tisfactum est iam à te uel officio, uel familiaritati: satisfa-
ctum etiam partibus, & ei reipub. quam tu probabas:
reliquum est, ubi nunc est resp. ibi simus potius, quàm,
Clausula dum illam ueterem sequamur, simus in nulla. Quare ue-
lim mi iucundissimè Cicero, si forte Pompeius pulsus his
quoq; locis, rursus alias regiones petere cogatur, ut tu
te uel Athenas, uel in quamuis quietã recipias ciuitatẽ.
A benignitate Cæsaris Quod si eris facturus, uelim mihi scribas: ut ego, si ullo
modo potero, ad te aduolem. Quæcũq; de tua dignitate
ab imperatore erunt impetranda, qua est humanitate
Cæsar, facilimum erit ab eo tibi ipsi impetrare: et meas
tamen preces apud eum non minimum autoritatis habi-
Conclusio turas puto. Erit tuæ quoq; fidei, et humanitatis, curare,
ut is tabellarius, quem ad te misi, reuerti possit ad me:
& à te mihi literas referat. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Saluio proficiscente ad Dolabellam, dicit se Cicero non habere
nihil scribere, cum tamen noui nihil haberet. Scribit ergo rem ridi-
culam ac facetam, utpote se delectum iudicem inter Niciam, & Vi-
dium contendentes de re pecuniaria: dicitq; se breuius scribere, eo
quod nescit, quo animo affectus sit Dolabella.

Cicero

Cicero P. Dolabellæ S. D. 162

NOn sum ausus Saluio nostro nihil ad te literarum
dare: nec mehercule habebam, quid scriberem, nisi
te à me mirabiliter amari: de quo, etiam nihil scribente
me, te non dubitare, certò scio. Omnino mihi literæ ma-
gis sunt expectandæ à te, quàm à me tibi. Nihil enim Ro
mæ geritur, quod te putem scire curare: nisi forte scire
uis, me inter Niciam nostrum, & Vidium iudicem esse.
Profert alter (ut opinor) duobus uersiculis expensum
Niciæ: alter Aristarchus hoc τὸ δελίζῃ. Ego tanquã cri-
ticus antiquus iudicaturus sum, utrum sint τὰ ποιητὰ,
an παρεμβεβλημένοι. Puto te nunc dicere: oblitus
ne es igitur fungorum illorum, quos apud Niciam? &
ingentium culinarũ cum Sophia Septimæ? Quid ergo?
adeon' tu mihi excussam seueritatem ueterem putas, ut
ne in foro quidem reliquiæ pristinæ frontis appareant?
sed tamen suauissimum συμβιώτην nostrum præstabo
integellum: nec committam, ut, si ego eum cõdemnaro,
tu restituas, ne habeat Plancus Bursa, apud quem literas
discat. Sed quid ago? cum mihi sit incertum, tranquillõ
ne sis animo, an, ut in bello, in aliqua maiuscula cura,
negotióue uersere. Labor longius. Cùm igitur mihi erit
exploratum te libenter esse risurum, scribam ad te plu-
ribus. Te tamen hoc scire uolo, uehementer populum so
licitum fuisse de P. Syllæ morte antè, quàm certum scie-
rit. Nunc quærere desierunt, quomodo perierit. satis
putant se scire, quod sciũt. Ego, cætera qui animo æquo
fero, unum uereor, ne hasta Cæsaris refrixerit. Vale.

Nunciatoria festiua.
Ab occasione scribendi ad Dolabellam.
Narratio festiua.
† bos
Id est, uerũ præacuto tu-
gulat, ac no-
tat.
Id est, poëtæ
Id est, inserti, subditicij.
† cocleariũ quas cum Sop.
Id est, conui-
uam.
Conclusio a
narratiũcula

ARG. EPIST. SEQ.

Dicit se grauissime dolere de morte Tulliæ filiæ suæ, quam unice diligebat: dicitq; sibi gratum esse, quod a Dolabella sic ametur, ut ab eo contra detrectatores defendatur.

Cicero Dolabellæ suo S. D. 163

Narratoria, & peritoria Exordium est ductum et a luctu, quo ob mortem Tulliæ confi ciatur, & desiderio Dolabellæ.

VEl meo ipsius interitu mallem literas meas desiderares, quàm eo casu, quo sum grauissimè afflictus: quem ferrem certè moderatius, si te haberem. Nam & oratio tua prudens, & amor erga me singularis, multum leuaret. Sed quoniam breui tempore, ut opinio nostra est, te sum uisurus: ita me affectum offendes, ut multum à te possim iuuari: nõ quo ita sim fractus, ut aut hominẽ me esse oblitus sim, aut fortunæ succumbendum putem: sed tamen hilaritas illa nostra, & suauitas, quæ te præter cæteros delectabat, erepta mihi † omnino est. Firmitatem tamen, & constantiam, si modò fuit aliquando in nobis, eandem cognosces, quam reliquisti. Quòd scribis, prælia te mea causa sustinere: non tam id laboro, ut si qui mihi obtrectent, à te refutentur: quàm intelligi cupio, quod certè intelligitur, me à te amari: quod ut facias, te etiam atq; etiam rogo. Ignoscasq; breuitati mearum literarum: nam & celeriter unà futuros nos arbitror, & nondum satis confirmatus sum ad scribendum. Vale.

† omnis.

Respondet ad aliquot capita epistolæ Dolabellæ.

Conclusio a petitione.

ARG. EPIST. SEQ.

Gratulatur Dolabellæ, quod apud Baias pristinam sospitatem nactus erat, dicitq; orationẽ pro Deiotaro, quam putarat amissam, inuentam, sed non plurimi faciendam.

Cicero Dolabellæ S. D. 164

Exordium a gratulatione festiua.

GRatulor Baijs nostris: siquidem, ut scribis, salubres repentè factæ sunt: nisi fortè te amant, & tibi assentantur:

tantur: & tandiu, dũ tu ades, sunt oblitæ sui. Quod quidem si ita est, minimè miror, cœlũ etiam, & terras uim suam, si tibi ita cõueniat, dimittere. Oratiunculam pro Deiotaro, quam requirebas, habebam mecum, quod nõ putarã. Itaq; eam tibi misi: quam uelim sic legas, ut causam tenuem, & inopem, nec scriptione magnopere dignam. Sed ego hospiti ueteri, & amico munusculũ mittere uolui Leuidense crasso filo, cuiusmodi ipsius solent esse munera. Tu uelim animo sapienti, fortiq; sis: ut tua moderatio, & grauitas aliorũ infamet iniuriam. Vale.

Extenuat orationẽ pro Deiotaro Infamare iniuriam.

ARG. EPIST. SEQ.

Cum apud Cæsarem plurimum posset Dolabella, commendat ei Cicero C. Suberinum, & M. Plantium tam suos, q̃ Leptæ familiares: rogatq; ut in Hispania commendatos habeat: & apud Cæsarem pro eis restituendis patriæ diligenter agat.

M. T. C. Dolabellæ S. P. D. 165

CAius Suberinus Calenus, & meus est familiaris, & Leptæ nostri familiarissimi perneccssarius. Is cùm uitandi belli causa profectus esset in Hispaniam cum M. Varrone ante bellum, ut in ea prouincia esset, in qua nemo nostrum post Afranium superatum, bellum ullum fore putarat: incidit in ea ipsa mala, quæ summo studio uitauerat. Oppressus est enim bello repẽtino: quod bellum commotum à Scapula, ita posteà confirmatum est à Põpeio, ut nulla ratione se ab illa miseria eripere posset. Eadem causa ferè est M. Planij hæredis, qui est item Calenus, Leptæ nostri familiarissimus. Hosce igitur amboś sic tibi cõmendo, ut maiore cura, studio, solicitudine animi cõmendare nõ possim. Volo ipsorũ causa: meq;

Commendatoria epistola. Narratio, quã sequitur cõmendatio, ut quibusdã calamitosis reditũ conficiat.

Cõmendatio Causa commendationis

in eo uehementer & amicitia mouet, & humanitas. Lepta uerò cùm ita laboret, ut eius fortunæ uideantur in discrimen uenire: non possum ego non aut proximè. atq; ille, aut etiam æquè laborare. Quapropter etsi sæpe expertus sum, quantum me amares: tamen sic uelim tibi persuadeas, id me in hac re maximè iudicaturum. Peto igitur à te, uel, si pateris, oro, ut homines miseros, & fortuna, quam uitare nemo potest, magis, quàm culpa calamitosos, conserues incolumeis: uelisq; per te, me hoc muneris cùm ipsis amicis hominibus, tum municipio Caleno, quicum mihi magna necessitudo est, tum Leptæ, quem omnibus antepono, dare. Quod dicturus sum, puto equidem non ualde ad rem pertinere, sed tamen nihil obest dicere: res familiaris alteri eorum ualde exigua est, alteri uix equestris. Quapropter quandò his Cæsar uitam sua liberalitate concessit, nec est, quod ijs præterea magnopere possit adimi: reditum, si me tantum amas, quantum certè amas, hominibus confice. In quo nihil est, præter uiam longam, quam idcirco non fugiunt, ut et uiuant cum suis, & moriantur domi. Quod ut enitare, contendasq;, uel potius ut perficias (posse enim te, mihi persuasi) uehementer te etiam atq; etiam rogo. Vale.

Rursus commendat.

Præmollit id quod dicturus est.

Ostendit rem quam impetratam tam Caleno, quam Leptæ per Dolabellam uelit. Conclusio a petitione.

ARG. EPIST. SEQ.

Cæsare in Senatu interfecto, cum quidam eidem aras, & diuinos honores decernerent, Dolabella Consul singulari animi magnitudine eis restitit, & puniendos curauit: quod factum summa æquitate populus censuit: unde nunc eidem Cicero uehementer gratulatur, docetq; eius laudem quodammodo in se conuerti, atq; ita se multum adiecisse ad amorem suum in eum.

Cicero

M. T. C. Dolabellæ S. P. D. 14 166

ETsi contentus eram mi Dolabella tua gloria, satisq; ex ea magnam lætitiam, uoluptatemq; capiebam: tamen nõ possum nõ confiteri, cumulari me maximo gaudio, quòd uulgò hominũ opinio sociũ me adscribat tuis laudibus. Neminẽ conueni (conuenio aũt quotidie plurimos: sunt enim permulti optimi uiri, qui ualetudinis causa in hæc loca ueniant: præterea ex municipijs frequentes necessarij mei) quin omnes, cũ te summis laudibus ad cœlũ extulerunt, mihi continuò maximas gratias agant. Negant enim se dubitare, quin tu meis præceptis & consilijs obtemperans, præstantißimum te ciuem, & singularem Consulem præbeas. Quibus ego quanquàm uerißime possum respõdere, te, quæ facias, tuo iudicio, & tua sponte facere, nec cuiusquã egere consilio: tamen neq; planè assentior, ne imminuam laudẽ tuam, si omnis à meis consilijs profecta uideatur: neq; ualde nego. Sum enim auidior etiam quàm satis est, gloriæ. Est tamen nõ alienum à dignitate tua, quod ipsi Agamemnoni regum regi fuit honestum, habere aliquẽ in consilijs capiundis Nestorem: mihi uerò glorioſum, te iuuenem Consulem florere laudibus, quasi alumnum disciplinæ meæ. L. quidem Cæsar, cum ad eum ægrotum Neapolim ueniſſem, quanquàm erat oppressus totius corporis doloribus, tamen antè, quàm me planè salutauit: O mi Cicero, inquit, gratulor tibi, cum tantũ uales apud Dolabellam, quantũ, si ego apud sororis filiũ ualerẽ, iam salui esse possemus. Dolabellæ uerò tuo & gratulor, & gratias ago:

Epistola gratulatoria, & hortatoria. Exordium a laude, quam ob factum quoddã Dolabellæ capit, & quod fortis illius facti existimetur.

Amplificat gloriam Dolabellæ.

Cicero auidior gloriæ

Ab exemplo rem mingat.

Amplificat laudem Dolabellæ ab historia

quem quidem post te consulem, solũ possumus uerè consulem dicere. Deinde multa de facto, ac de re gesta: tum nihil magnificentius, nihil præclarius actum unquam, nihil reipublicæ salutarius. Atq; hæc una uox omnium est. A te autem peto, ut me hanc quasi falsam hæreditatem alienæ gloriæ sinas cernere: meq; aliqua ex parte, in societatem tuarũ laudum uenire patiare. quanquam mi Dolabella (hæc enim iocatus sum) libentius omneis meas, si modò sunt aliquæ meæ laudes, ad te transfuderim, quàm aliquã partem exhauserim ex tuis. Nam cum te semper tantum dilexerim, quantum tu intelligere potuisti: tum his tuis factis sic incensus sum, ut nihil unquam in amore fuerit ardentius. Nihil est enim (mihi crede) uirtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius. Semper amaui (ut scis) M. Brutum, propter eius summum ingenium, suauissimos mores, singularem probitatem, atq; constantiam: tamen Idibus Martijs tantum accessit ad amorem, ut mirarer locum fuisse augẽdi in eo, quod mihi iampridem cumulatum † etiam uidebatur. Quis erat, qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere? tantum accessit, ut mihi nunc deniq; amare uidear, antea dilexisse. Quare quid est, quod ego te horter, ut dignitati, & gloriæ seruias? proponam tibi claros uiros, quod facere solent, qui hortantur? neminẽ habeo clariorem, quàm teipsum. te imitere oportet: tecum ipse certes: nec licet quidẽ tibi iam tantis rebus gestis non tui similem esse: quod cum ita sit, hortatio non est necessaria, gratulatione magis utendũ est.

Obliqua aliqua petitio

Correctio negat se decerpturũ aliquid de laudibus Dolabellæ

Cur Dolabellam plus iam amet, quam antea.

Ab exemplo

Ab amore erga ipsum.

† alias: esse

Amare

Diligere

Adhortatio

Gratulatur Dolabellæ.

est. Cõtigit enim tibi, quod haud scio an nemini, ut summa seueritas animaduersionis non modo non inuidiosa, sed etiam popularis esset, & cùm bonis omnibus, tum infimo cuiq; gratissima. Hoc si tibi fortuna quadam contigisset, gratularer felicitati tuæ: sed contigit magnitudine cum animi, tum etiam ingenij, atq; consilij. Legi enim concionem tuam: nihil illa sapientius, ita pedetentim, & gradatim, tum accessus à te ad causam facti, tum recessus, ut res ipsa † maturitatem tibi animaduertendi omnium concessu daret. Liberasti igitur & urbem periculo, & ciuitatem metu: neque solùm ad tempus maximam utilitatem attulisti, sed etiam ad exemplum facti. Intelligere debes in te repositam esse Rempublicam: tibiq; non modò tuendos, sed etiam ornandos esse illos uiros à quibus initium libertatis profectum est. Sed his de rebus coràm plura propediem, ut spero. Tu quando Rempublicam nosq; conseruas, fac ut diligentissimè te ipsum mi Dolabella custodias. Vale.

Landat concionem quam dã Dolabellę

† al. autoritatem.

Amplificatio cõmodorum quæ ex facto Dolabellæ prouenerunt.

Cõclusio ab hortatione.

ARG. EPIST. SEQ.

Respondẽs duabus epistolis Papirij Pæti, primo dicit maiorem sibi esse curam de incolumitate ipsius Pæti. q̃ ipse facile credere posset: deinde laudat eum, quod tantum amari dignus sit: extollitq; uehementer eius sales, & facetias. Deinde, quia Pætus suadere uoluerat ne Cicero Neapoli emat domum, uendita ea, quam Romæ habebat, dicit sibi non esse causam, cur Romæ esse uelit, &c.

Propositio.

M. T. C. Papirio Pæto S. P D. 167

Fui sollicitus de tua ualetudine. Ratio: quia te uehementer amo.

DVabus tuis epistolis respondebo: uni, quam triduo ante acceperam à Zetho: alteri, quam attulerat Phileros tabellarius. Ex prioribus tuis literis intellexi pergratam tibi esse sententiam meam, & animum meum

Epistola respõsoria ad epistolas duas

A suasione et propositione exorditur.

Ab amore Pæti erga Ciceronem.

perfectũ circa curã ualetudinis tuæ, quẽ tibi perspectũ esse gaudeo. Sed, mihi crede, non perinde, ut est re ipsa, absens ex literis perspicere potuisti. Nam cũ satis à multis (non enim possum aliter dicere) & coli me uideam, & diligi: nemo est illorum omnium mihi te iucundior.

Secunda ratio.

Nam quòd me amas: quòd id & iampridem, & constanter facis: & id quidem magnum, atq; haud scio an maximum, sed tibi commune cum multis. quod tu ipse tam amandus es, tamq; dulcis, tamq; in omni genere iucundus, id est proprie tuum. Accedunt non Attici, sed salsiores, quàm illi Atticorum, Romani ueteres, atq; urbani sales. Ego autem (existimes licet, quod lubet) mirifice capior facetijs, maximè nostratibus, præsertim cum eas uideam primum oblitas Latio, tum, cum in urbem nostram est infusa peregrinitas, nunc uerò etiam Brachatis, & Transalpinis nationibus, ut nullum ueteris lepôris uestigium appareat. Itaq; te cum uideo, omneis mihi Gracchos, omneis Lucilios, & (ut uerè dicam) Crassos quoq; & Lælios uidere uideor. Moriar, si præter te quenquam reliquum habeo, in quo possim imaginem antiquæ, & uernaculæ festiuitatis agnoscere. Ad hos lepôres cum amor erga me tantus accedat, miraris me tanta perturbatione ualetudinis tuæ, tam grauiter exanimatum fuisse? Quòd autem altera epistola purgas te, non dissuasorem mihi emptionis Neapolitanæ fuisse, sed autorem † cõmorationis urbanæ: neq; ego aliter accepi: intellexi tamen idem, quod his intelligo literis, non existimasse te, mihi licere, id quod ego arbitrabar, res

Sales urbanos in Pæto laudat.

Amplificatio

Respondet ad alterã epistolam Pæti.

† moderatis.

has non omnino quidem, sed magnam partem relinquere. Catulum mihi narras, & illa tempora: quid simile? ne mihi quidem ipsi tunc placebat diutius abesse ab reipublicæ custodia: sedebamus enim in puppi, clauumq; tenebamus: nunc autem uix est in sentina locus. An minus multa Senatusconsulta futura putas, si ego sim Neapoli? Romæ cum sum, & urgeo forum, Senatusconsulta scribuntur apud amatorem tuum familiarem meum. Et † quidem cum in mentem uenit, ponor ad scribendum: & ante audio Senatusconsultum in Armeniam, & Syriam esse perlatum, quod in meam sententiam factum esse dicatur, quàm omnino mentionem ullam de ea re esse factam. Atque hoc nolim me iocari putes. Nam mihi scito iam à regibus ultimis allatas esse literas, quibus mihi gratias agant, quòd se mea sententia reges appellauerim: quos ego non modò reges appellatos, sed omnino natos nesciebam. Quid ergo est? tamen quandiu hic erit noster hic præfectus moribus, parebo autoritati tuæ: cum uerò aberit, ad fungos me tuos conferam. Domum si habebo, in denos dies, singulos sumptuariæ legis conferã. Sin aũt minus inuenero, quod placeat, decreui habitare apud te. Scio enim me nihil gratius tibi facere posse. Domum Syllanam desperabam iam, ut tibi proximè scripsi: sed tamen non abieci. Tu uelim, ut scribis, cum fabris eam perspicias. Si enim nihil est in parietibus, aut in tecto uitij, cætera mihi probabuntur. Vale.

† equidem

In Cæsarẽ uidetur inuehi.

Conclusio

Conclusio ab hortatiuncula uel petitione.

ARG.

ARG. EPIST. SEQ.

Narrat Cicero qua moderatione & prudentia utatur in viuendo, & eloquendo cum Cæsare Cæsarianisq; : deinde consolationũ suarum capita aliqua illi perscribit. Postremo iocos aliquot festiuos de victu utriusq; adijci.

M. T. C. Papirio Pæto S. P. D. 163

Exordium a literis Pœti. Nunciatoria et iocosa epistola. A narratiuncula.

DElectauerũt me literæ tuæ: in quibus primùm amaui amorem tuum, qui te ad scribendum incitauit, uerentem, ne Silius suo nuntio aliquid mihi solicitudinis attulisset. de quo etiãtu mihi antea scripseras, bis quidem eodem exemplo, facilè ut intelligerem te esse commotum: & ego tibi accuratè rescripseram, ut quoquo modo in tali re, atq; tempore aut liberarem te ista cura, aut certè leuarem: Sed quando proximis quoq; literis ostendis, quantæ curæ tibi sit ea res: sic mi Pæte habeto: quicquid arte fieri potuerit (non enim iam satis est consilio pugnare, artificium quoddam excogitandum est) sed tamen quicquid elaborari, aut effici potuerit, ad istorum beneuolentiam conciliandam, & colligendam, summo studio me consecutum esse: nec frustra, ut arbitror. sic enim color, sic obseruor ab omnibus his, qui à Cæsare diliguntur, ut ab eis me amare putem. Nam etsi non facilè dijudicatur amor uerus, & fictus, nisi aliquod incidat eiusmodi tempus, ut quasi aurum igne, sic beneuolentia fidelis periculo aliquo perspici possit: cætera sunt signa cõmunia: sed ego uno utor argumento, quamobrem me ex animo, uereq; arbitror diligi, quòd & nostra fortuna ea est, & illorum ut simulandi causa non sit. De illo autem, quem penes est omnis

Prolepsis est obiectionis

Perpetua narratio.

potestas,

potestas, nihil uideo, quod timeam: nisi quòd omnia sunt incerta, cũ à iure discessum est: nec præstari quicquam potest, quale futurum sit, quod positum est in alterius uoluntate, ne dicam libidine. Sed tamen eius ipsius nulla re à me offensus est animus. Est enim adhibita in ea re ipsa summa à nobis moderatio. ut enim olim arbitrabar esse meum liberè loqui, cuius opera esset in ciuitate libertas: sic ea nunc amissa, nihil loqui, quod offendat aut illius, aut eorum qui ab illo diliguntur, uoluntatem. Effugere autem si uelim nonnullorum acutè, aut facetè dictorum offensionem, fama ingenij mihi est abijcienda: quòd si id possem, non recusarem. Sed tamen ipse Cæsar habet peracre iudicium: & ut Seruius frater tuus, quem literatissimũ fuisse iudico, facile diceret, hic uersus Plauti non est, hic est, quòd tritas haberet aureis notandis generibus poëtarum, † & consuetudine legendi: sic audio Cæsarẽ, cum uolumina iam confecerit ἀποφθεγμάτων, uel per se, si quid afferatur ad eum pro meo, quod meum non sit, reijcere solere: quod eo nunc magis facit, quia uiuunt mecum ferè quotidie illius familiares. Incidunt autẽ in sermone uario multa, quæ fortasse illis cum dixi, nec illiterata, nec insulsa esse uideantur. Hæc ad illum cum reliquis actis perferuntur: ita enim ipse mandauit. Sic fit, ut si quid præterea de me audiat, non audiendum putet. Quamobrem Oenomao tuo nihil utor: etsi posuisti ioco uersus Accianos. Sed quæ est inuidia? aut quid nunc mihi inuideri potest? Verum fac esse omnia. Sic uideo philosophis placuisse ijs, qui mihi soli uidentur

Inseritur purgatio quare nõ existimet offendi Cæsarem.

Laudat Cæsarem a iusto iudicio. A collatione laudat

† al. ex

Id est, sententiarũ breuitãs. Dilemma

Se omnia sapienter & se-

ciſſe et facere probat ab officijs ſapiẽtis. Locus communis.

uidentur uim uirtutis tenere. Nihil eſſe ſapientis præſtare, niſi culpam: qua uideor mihi dupliciter carere: & quòd ea ſenſerim, quæ rectiſſima fuerunt, & quòd cum uiderem præſidij non ſatis eſſe ad ea obtinenda, uiribus certandum cum ualentioribus non putarim. Ergo in officio bom ciuis, certè non ſum reprehendendus. Reliquum eſt, ne quid ſtultè, ne quid temerè dicam, faciaḿ ue contra potenteis. Id quoq; puto eſſe ſapientis: cætera uerò, quid quiſq; me dixiſſe dicat: aut quomodo ille accipiat: aut qua fide mecum uiuant iſ, qui me aſsiduè colunt, & obſeruant, præſtare non poſſum. Ita ſit, ut & ſuperiorum conſiliorum conſcientia, & præſentis temporis moderatione me conſoler: & illam Accij ſimilitudinẽ non modò iam ad inuidiam, ſed ad fortunam transferam: Quam exiſtimo leuem, & imbecillem, ab animo firmo, & graui, tanquam ſtructum à ſaxo frangi oportere. Etenim cùm plena ſint monumenta Græcorum, quemadmodum ſapientiſſimi uiri regna tulerint uel Athenis, uel Syracuſis: cùm ſeruientibus ſuis ciuitatibus fuerint ipſi quodammodo liberi: ego me non putem tueri meum ſtatum ſic poſſe, ut neq; offendam animum cuiuſquam, nec frangam dignitatem meam? Nunc uenio ad iocationes tuas, quando tu ſecundum Oeconomaum Accij, non, ut olim ſolebat, Atellanum: ſed ut nunc fit, Mimum introduxiſti. Quem tu mihi Popilium, quem Denarium narras? quam Tyrotarichi patinam? facilitate mea iſta ferebantur antea: nunc mutata res eſt. Hircium, ego, & Dolabellam dicendi

Quę Ciceronem cõſolentur.

Iocatur cum Pæto. Reliqua pars non continet niſi iocos.

†al. Oenomaum: uel Thymariũ

cendi diſcipulos habeo cœnandi magiſtros. Puto enim te audiſſe (ſi fortè ad uos omnia perferũtur) illos apud me declamitare, me apud eos cœnitare. Tu autem quod mihi bonam copiam eiures, nihil eſt: tum enim cum rem † habebas, quæſtiunculis te faciebam attentiorem: nunc cùm tam æquo animo bona perdas, non eo ſis conſilio, ut cùm me hoſpitio recipias, æſtimationem te aliquam putes accipere: & iam hæc leuior eſt plaga ab amico, quàm à debitore. Nec tamen eas cœnas quæro, ut magnæ reliquiæ fiant: quod erit, magnificum ſit, & lautum. Memini te mi Phameæ cœnam narrare: †temperius fiat: cætera eodem modo. Quòd ſi perſeueras me ad matris tuæ cœnam uocare, feram id quoq;. Volo enim uidere animum, qui mihi audeat iſta, quæ ſcribis, apponere, aut etiam polypum Miniani Iouis ſimilem. Crede mihi: non audébis. Ante meum aduentum fama ad te de mea noua lautitia ueniet: eam extimeſces. Neq; eſt, quòd in promulſide ſpei ponas aliquid: quam totam ſuſtuli. Solebam enim antea delectari oleis, & lucanicis tuis. Sed quid hæc loquimur? liceat modo iſtò uenire. Tu uerò (uolo enim abſtergere animi tui metum) ad tyrotharicum antiquũ redi. Ego tibi unum ſumptum afferam, quòd Balneum calfacias oportebit: cætera more noſtro: ſuperiora illa luſimus. De uilla. †Cæciliana & curaſti diligenter, & ſcripſiſti facetiſsimé. Itaq; puto me prætermiſſurum. ſalis enim ſatis eſt, Sanionum parum. Vale.

† augebas

† tempera tius

† Seliciana

ARG.

ARG. EPIST. SEQ.

Moris erat Romanis, ut ueteranis militibus agros aliquot ad uitæ sustentationem darent: quod & Cæsar se facturum decreuerat, quod cum Pætus a Cicerone doceri uoluisset, scribit eum melius debere scire, qui Balbum cõsulere potuerit: aperit tamen quid sentiat. Et tota epistola reiectio quædam est, negat se scire quos agros Cæsar militibus diuiserit.

M. T. C. Papirio Pæto S. P. D. 169

† non Petitoria & nunciatoria Petitio A facili.

NVm †tu homo ridiculus es, qui, cum Balbus noster apud te fuerit, ex me quæras, quid de istis municipijs, & agris futurum putem? quasi aut ego quicquam sciam, quod iste nesciat: aut si quid aliquando scio, non ex isto soleã scire. Imò uerò si me amas, tu fac, ut sciam, quid de nobis futurum sit. Habuisti enim in tua potestate, ex quo uel ex sobrio, uel certè ex ebrio scire possis. Sed ego ista mi Pæte non quæro: primùm quia de lucro propè iam quadriennium uiuimus: si aut hoc lucrum est, aut hæc uita, superstitem reipublicæ uiuere. deinde quòd scire quoq; mihi uideor, quid futurũ sit. fiet enim quodcunq; ualent, qui ualebunt: ualebunt autem semper arma. Nobis igitur satis esse debet, quicquid conceditur. hoc sic quis pati non potuit, mori debuit. Ve-

Ratio, quia ne quidem de uita nostra certi sumus

Narratio

ientem quidam agrum, & Capenatem metiuntur: hic non longè abest à Tusculano. Nihil tamen timeo: fruor, dum licet: opto, ut semper liceat. Si id minus contigerit, tamen, quando ego uir fortis, idemq; philosophus uixere pulcherrimũ duxi, non possum eum non diligere, cuius beneficio id cõsequutus sum: qui si cupiat esse rempublicam qualem fortasse & ille uult, & omnes optare debemus, quid faciat tamen, nõ habet: ita se cum multis colligauit. Sed

Sed longius progredior: scribo enim ad te. Hoc tamen scito, non modò non me, qui consilijs non interfuerim, sed ne ipsum quidem principem scire quid futurum sit. Nos enim illi seruimus: ipse temporibus. ita nec ille, quid tempora postulatura sint: nec nos, quid ille cogitet, scire possumus. Hæc tibi antea non rescripsi, nõ quòd cessator esse solerem, præsertim in literis: sed cum explorati nihil haberem, nec tibi solicitudinem ex dubitatione mea, nec spem ex affirmatione afferre uolui. Illud tamen adscribam, quod est uerissimum, me his temporibus adhuc de isto periculo nihil audisse. Tu tamen pro tua sapientia debebis optare optima, cogitare difficilima, ferre quæcunq; erunt. Vale.

Conclusio grauissima ab hortatiũcula.

ARG. EPIST. SEQ.

Distributio est. Partitur enim cõsilij sui utilitatis in quatuor membra. Scholas habere prodesse mihi ad conciliandos familiares Cæsaris, ad ualetudinem, ad eloquentiam, & ad uictum.

Cicero Papirio Pæto. S. D. 170

CVm essem otiosus in Tusculano, propterea quòd discipulos obuiam Cæsari miseram, ut ijdem me quàm maximè conciliarent familiari suo: accepi tuas literas plenissimas suauitatis, ex quibus intellexi probari tibi meum consilium, quòd ut Dionysius tyrannus, cum Syracusijs expulsus esset, Corinthi dicitur ludum aperuisse: sic ego sublatis iudicijs, amisso regno forensi, ludum quasi habere cœperim. Quid quæris? me quoque delectat consilium. multa enim consequor, primum id, quod maximè nunc opus est, munio me ad hæc

Laudatoria est consilij sui & hortatoria iocosa.

A narratione exorditur.

Recenset cõmoda, quæ ex ludo literario aperto consequatur.

x tempora.

tempora. Id cuiusmodi sit, nescio: tantum uideo nullus adhuc consilia me huic anteponere: nisi fortè mori melius fuit: in lectulo, fateor: sed non accidit, in acie non fui. Cæteri quidem, Pompeius, Lentulus tuus, Scipio, Afranius fœdè perierunt: at Cato præclarè. Iam isthuc quidem cum uolemus, licebit: demus modò operam, ne tam necesse nobis sit, quàm illi fuit, id quod agimus. Ergo hoc primum. Sequitur illud, ipse melior fio, primum ualetudine, quam intermissis exercitationibus amiseram: deinde ipsa illa, si qua fuit in me, facultas orationis, nisi me ad has exercitationes retulissem, exaruisset. Extremum illud est, quod tu nescio an primum putes: plureis iam pauones confeci, quàm tu pullos columbinos. Tu isthic te Ateriano iure delectato: ego me hic Hircino. Veni igitur, si uir es, & disce iam προλεγομένα, quas quæris: & si sus Mineruam. Sed quando, ut uideo, æstimationes tuas uendere non potes, nec ullam denariorum implere, Romam tibi remigrandum est. Satius est hîc cruditate, quàm istic fame. Video te bona perdidisse: spero idem isthuc familiareis tuos. Actum igitur de te est, nisi prouides. potes mulo isto, quem tibi reliquum dicis esse, quando cantherium comedisti, Romam peruehi. Scilla tibi erit in ludo, tanquam hypodidascalo, proxima: eam pueruinus sequetur. Vale.

Obiter inuehitur in quosdam, qui mori maluerunt, & sub Cæsare uiuere.

Amplificatio

Iocatur cum Pæto.

Id est, prædictas scilicet propositiões & sententias.

Conclusio a loco.

ARG. EPIST. SEQ.

Scripserat Pætus Ciceroni prædicanti lautas familiarium suarum mensas, Balbum tenuiter contentum fuisse. Id Cicero ioco sic accepit, ac si Pætus ideo scripserit, ne quid lautum a se expeteret Cicero.

M. C. Papirio Pæto S. D. 171

TAmen à malitia non discedis, tenuiculo apparatu significas Balbum fuisse contentum: hoc uideris dicere, cum reges tam sint continentes, multò magis consulareis esse oportere. nescis me ab illo omnia expiscatum? recta enim à porta domum meam uenisse. neque hoc admiror, quòd non ad tuam potius, sed illuc, quòd nec ad suam. Ego autem tribus primis uerbis, quid noster Pætus? at ille adiurans, nusquam se unquam libentius. Hoc si uerbis assecutus es, aureis ad te afferam non minus elegantèis: sin autem obsonio, peto à te, ne plureis esse Balbos, quàm desertos putes. Me quotidie aliud ex alio impedit. Sed si me expediero, ut in ista loca uenire possim: non committam, ut te serò à me certiorem factum putes. Vale.

Narratoria, Iocosa.

A narratione exorditur.

Dialogismus.

Iocus a uoce Balbi.

ARG. EPIST. SEQ.

Iocatus fuerat liberius cum Cicerone Pætus, & quodammodo eum momorderat: quod sibi minime molestum fuisse nunc scribit Cicero. Deinde quia promiserat se iturum ad Pætum, dicit se id non posse facere, iocans cum eo: deinde serio uitam suam recensens, patriæ casum luget. Est enim ualde iocosa, ait se uenturum ualde facetum & facturum ipse negocium.

M. C. Papirio Pæto. S. D. 172

DVpliciter delectatus sum tuis literis, & quòd ipse risi; & quòd te intellexi iam posse ridere. Me autem à te, ut scurram uelitem, malis oneratum esse, non molestè tuli. Illud doleo, in ista loca uenire me, ut constitueram, non potuisse: habuisses enim non hospitè,

A uoluptate quã ex literis Pæti accepit.

sed contubernalem. At quem uirum? non eum, quem tu es solitus promulside conficere. Integram famem ad o- uum affero: ita usque ad assum uitelinum opera perdu citur. Illa mea, quæ solebas antea laudare, ò hominem facilem, ò hospitem non grauem, abierunt. Nam omnem nostram de Repub. curam, cogitationem de dicenda in senatu sententia, commentationem causarum, abiecimus. In Epicuri nos, aduersarij nostri castra coniecimus: nec tamen ad hanc † insolentiam, sed ad illam tuam lautitiam, ueterem dico, cum mecum sumptus habebas: etsi nunquam plura † prædia habuisti. Proinde te para: cum homine edaci tibi res est, & qui iam aliquid intelligat. ὀψιμαθεῖς autem homines, scis quàm insolentes sint: dediscendæ tibi sunt sportellæ, & artolagani tui. Nos iam † ex areis tantum habemus, ut Verrium tuum, & Camillum, qua munditia homines? qua elegantia? uocare sæpius audeamus. Sed uide audaciam: etiam Hircio cœnam dedi sine pauone: tamen in ea cœna cocus meus præter ius feruens nihil potuit imitari. Hæc igitur est nunc uita nostra. manè salutamus domi & bonos uiros multos, sed tristes, & hos lætos uictores: qui me quidem perofficiose, & peramanter observant. Vbi salutatio defluxit, literis me inuoluo, aut scribo, aut lego. Veniunt etiam qui me audiunt, quasi doctorem hominem, quia paulò sum, quàm ipsi doctiorem. Inde corpori omne tempus datur. Patriam eluxi iam & grauius, & diutius, quàm ulla mater unicum filium. Sed cura, si me amas, ut ualeas: ne ego te iacente bona

Elegantissimum ithos. Reperio superioris loci.

bona tua comedam. Statui enim tibi ne ægroto quidem parcere. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Est hæc epistola propemodũ contentiosa. Confutat enim quod Papirius filiũ fulmina tonitruaq; in epistolis Ciceronis esse dixerit, quæ ipse assequi nequiret, Cõfutat etiã falsum Papirij de familia sua mendacium, quod putaret neminem nisi plebium hoc nomine Romæ floruisse.

M. C. Papirio Pæto S. D. 173

An tandem? insanire tibi uideris, quòd imitere uerborum meorum, ut scribis, fulmina? tum insanires, si consequi non posses: cum uerò etiam uincas, me prius irrideas, quàm te, oportet. Quare nihil tibi opus est illud à Trabea, sed potius ἀποφθέγμα meum. Verumtamen quid tibi ego uideor in epistolis? non ne plebeio sermone agere tecum? nec enim semper eodem modo. Quid enim simile habet epistola aut iudicio aut concioni? quin ipsa iudicia non solemus omnia tractare uno modo. Priuatas causas, & eas tenues, agimus subtilius: capitis, aut famæ, scilicet ornatius. Epistolas uerò, quotidianis uerbis texere solemus. Sed tamen mi Pæte, quî tibi uenit in mentem, negare Papirium quenquam unquam, nisi plebeium, fuisse? fuerunt enim patricij minorum gentium, quorum princeps Lucius Papirius Mugilanus, qui Consul cum Luceio Sempronio Atracino fuit, cum antea Censor cum eodem fuisset, annis post Romam conditam CCCXII. Sed tum Papisij dicebamini. Post hunc XIII. fuerunt sella curuli ante Lucium Papirium Crassum, qui primus Papisius est

Confutatoria epistola. Ex abrupto exorditur. Reprehendit Pætum quod fulmina uerborum dixisset in epistolis Ciceronis esse. Apophtegma breuis sententia. Confutat Cicero, quod Pætus scripserat eum in epistolis sublimi orationis genere uti. Confutat quod Pætus dixerit nullũ ex Papirijs nisi plebeium fuisse, & catalogus maiorũ ipsius. A uarijs exẽplis.

uocari desitus. Is Dictator cum Lucio Papirio Cursore magistro equitem factus est, annis post Romam conditam CCCCXV. & quadriennio post Consul cum C. Duillio. Hunc secutus est Cursor, homo ualde honoratus: deinde Lucius Masso ædilitius: inde multi Massones: quorum quidem tu omnium patritiorum imagines habeas uolo. Deinde Carbones, & Turdi insequuntur. Hi plebei fuerunt: quos contemnas, censeo. Nam præter hunc Cn. Carbonem, quem Damasippus occidit, ciuis è Republ. Carbonum nemo fuit. Cognouimus Cn. Carbonem, & eius fratrem scurram: quid his improbius? de hoc amico meo Rubriæ filio nihil dico. Tres illi fratres fuere, P. C. M. Carbones. Publius. Flacco accusante, condemnatus. fugit Marcus ex Sicilia. Caius, accusante L. Crasso, cantharidas sumpsisse dicitur. Is Trib. pleb. seditiosus, & P. Aphricano uim attulisse existimatus est. Hoc uerò qui Lilybei à Pompeio nostro interfectus est, improbior nemo, meo iudicio, fuit. Iam pater eius accusatus à M. Antonio, sutorio atramento absolutus putatur. Quare ad paternos tricios censeo reuertare: plebeij quàm fuerint imperiti, uides. Vale.

Conclusio

ARG. EPIST. SEQ.

Recitat Stoicorum opinionem de libertate loquendi, quæ Cynica potius est, quàm urbana.

M. C. Papirio Pæto S. D. 174

Disputatoria epistola. A correctione exorditur.

AMo uerecundiam, uel potius libertatem loquendi, atque hoc Zenoni placuit, homini mehercule acuto: etsi Academiæ nostræ cum eo magna rixa est. Sed

ut dico, placet Stoicis suo quanque rem nomine appellare. Sic enim disserunt, Nihil esse obscœnum, nihil turpe dictu. Nam si quod sit in obscœnitate flagitium, id aut in re esse, aut in uerbo: nihil esse tertium. In re non est. Itaque non modo in Comœdijs res ipsa narratur: ut ille in Trinummo. Virgo modò (fortè nosti canticum: meministi Roscium) ita me destituit nudum. Totus est sermo uerbis tectus, re impudentior: sed etiam in Tragœdijs, quid est enim illud? Quæ mulier una? quid inquam est, Vsurpato duplex cubile? Quid illud? Phærei hic cubile inire est ausus. Quid est? Virginem me quondam inuitam per uim uiolat. Iupiter bone, uiolat? Atqui idem significat, sed alterum nemo tulisset. Vides igitur, cùm eadem res sit, quia uerba non sint, nihil uideri turpe: ergo in re non est, multò minus in uerbis. Si enim quod uerbo significatur, id turpe non est: uerbum, quod significat, turpe esse non potest. Anum appellas alieno nomine: cur non suo potius? Si turpe est, ne alieno quidem: si non est, suo potius. Caudam antiqui penem uocabãt: ex quo est propter similitudinẽ penicillus: at hodie penis est in obscœnis. At uerò Piso ille frugi in Annalibus suis queritur, adolescẽteis peni deditos esse. Quod tu in epistola appellas suo nomine, ille tectius penẽ: sed iam multis factũ est tam obscœnũ, quàm id uerbum, quo tu usus es. Quid, quod uulgò dicitur, cum nos te uolumus cõuenire num obscœnũ est? Memini in senatu disertum Consularem ita eloqui: Hanc culpam maiorem, an illam dicam? potuit obscœ-

uel a sententia Stoicorũ. qui ea, quæ honesta re ipsa essent, honesta etiã appellari censebant.

Disputatio Stoicorum, quam sententiam excusat Cicero.

nius? non, inquis. Non enim ita sensit: Non ergo in uerbo est: docui autem in re non esse: nusquam igitur est. Liberis dare operam, quàm honestè dicitur: etiam patres rogant filios: eius operæ nomen non audent dicere. Socratem fidibus docuit nobilissimus fidicen: is Connuocitatus est: num id obscœnum putas? Cùm loquimur terni, nihil flagitij dicimus: at cum bini, obscœnum est. Græcis quidem, inquies: nihil est ergo in uerbo, quando & ego Græcè scio: & tamen tibi dico bini, idq; tu facis, quasi ego Græcè, non Latinè dixerim. Ruta, & mentа rectè utrunque. Volo mentam pusillam ita appellare, ut rutulam: non licet. Bella tectoriola, dicis, dic ergo etiam pauimenta isto modo: non potes. Vides igitur nihil esse, nisi ineptias: turpitudinem nec in uerbo esse, nec in re: itaque nusquam esse. Ergo in uerbis honestis obscœna ponimus. Quid enim, num honestum uerbum est † diuisio? At ineſt obscœnum: cui respondet intercapedo: num hæc ergo obscœna sunt? Nos autem ridiculè si dicimus, ille patrem strangulauit, honorem non præfamur: sin de Aurelia aliquid, aut Lollia, honos præfandus est. Et quidem iam non etiam obscœna uerba, pro obscœnis sunt: batuit, inquit, impudenter, depsit† multò impudentius. Atqui neutrum est obscœnum. Stultorum plena sunt omnia. Testes uerbum honestissimum in iudicio: alio loco non nimis: at honesti, Colei Lanuuini: Cliternini, non honesti. Quid, ipsa res modo honesta, modo turpis? † suppellere, flagitium est: iam erit nudus in balneo, non reprehendes? Habes scholam Stoicam, ὁ σοφὸς ἐυθυμημων ἐστί, quàm multa ex uno uerbo tuo? Te aduersus me omnia audere gratum est. Ego seruo, & seruabo (sic enim assueui) Platonis uerecũdiam. Itaq; tectis uerbis ea ad te scripsi, quæ apertissimis agunt Stoici. Sed illi etiam crepitus aiunt æquè liberos, ac ructus esse oportere. Honor est igitur. Calend. Martijs. Tu me diliges, & ualebis.

Iudiciũ Ciceronis de his rebus.

† diuisor

† depressit

† suppetit flagicium

Ironice & irrisorie dictũ. Id est, Sapiẽs rectiloquus est.

Conclusio, in qua dicit sibi sententiã Academicorũ uerecundiorem uideri.

ARG. EPIST. SEQ.

Laborabat Pætus ex pedibus: itaq; iocans Cicero, dicit se nihilominus ad eum iturum, quia credit cocum eius nõ laborare eodem morbo, quo minus posset cœnam parare.

M. C. Papirio Pæto S. P. D. 175

HEri ueni in Cumanum: cras ad te fortasse. Sed cùm certum sciam, faciam te paulò antè certiorem. Etsi Marcus Ceparius, cum mihi in sylua Gallinaria obuiã ueniſſet, quæsissemq;, quid ageres, dixit te in lecto esse, quòd ex pedibus laborares: tuli scilicet molestè, ut debui: sed tamen constitui ad te uenire, ut & uiderem te, & uiserem, & cœnarem etiam. Non enim arbitror cocum etiam te arthricum habere. Expecta igitur hospitem cum minime edacem, tum inimicum cœnis sumptuosis. Vale.

Narratio de suo aduentu.

A narratiuncula.

Conclusio.

ARG. EPIST. SEQ.

Scribit quam iustis de causis debeat habere Rufum commendatum, quem Pætus commẽdauerat. Deinde quia scripserat se pretermisisse ire ad cœnas amicorum, cum ioco reuocat eum ad pristinam consuetudinem, quam probat non tam causa cibi, quam conuictus, dicitq; se Reipub. curam non abiecisse.

M. C. Papirio Pæto. S. D. 176

Epistola responsoria ad contradictoriã, & monitoria.

RVfum istum amicum tuum, de quo iterum iam ad me scribis, adiuuarem quantum possem, etiam si ab eo læsus essem, cum te tantopere uiderem eius causa laborare. cum uerò & ex tuis literis, et illius ad me missis intelligam, & iudicem, magnæ curæ ei salutem meam fuisse: non possum ei non amicus esse, neque solum tua commendatione, quæ apud me, ut debet, ualet plurimum, sed etiam uoluntate, ac iudicio meo. Volo enim te scire, mi Pæte, initium mihi suspitionis, & cautionis, & diligentiæ fuisse literas tuas: quibus literis congruentes fuerunt aliæ postea multorum. Nam & Aquini, & Fabrateriæ consilia sunt inita de me, quæ te uideo audisse: & quasi diuinarent, quàm his molestus essem futurus, nihil aliud egerunt, nisi me ut opprimerent. Quod ego non suspicans, incautior fuissem, nisi à te admonitus essem. Quamobrem iste tuus amicus apud me commendatione non eget. Vtinam ea fortuna Reipub. sit, ut ille me quàm gratissimum possit cognoscere. Sed hæc hactenus. Te ad cœnàs ire desisse, molestè fero. Magna enim te delectatione, & uoluptate priuasti. Deinde etiam uereor (licet enim uerum dicere) ne nescio quid illud, quod solebas, dediscas, & obliuiscare cœnulas facere. nam si tum, cum habebas, quos imitare, non multum proficiebas: quid nunc te facturum putem? Spurina quidem, cum ei rem demonstrassem, & uitam tuam superiorem exposuissem: magnum periculum summæ Reipublicæ demonstrabat, nisi ad superiorem

Exorditur a causis, cur Rufum ualde commendatũ habere debeat.

Transitio.

Iocatur in Pætum.

Iocus de conuiuijs.

Narratio. Confirmatio instituti ioci de conuiuijs.

riorem consuetudinem tum, cum Fauonius flaret, reuertisses: hoc † tempore fieri posse, si fortè tu frigus ferre non posses. Sed mehercule mi Pæte extra iocum, moneo te quod pertinere ad beatè uiuendum arbitror: ut cũ uiris bonis, iucundis, amãtibus tui uiuas. Nihil est aptius uitæ: nihil ad beatè uiuendum accommodatius. Nec id ad uoluptatem refero: sed ad † communitatem uitæ, atque uictus, remissionemq; animorum, quæ maximè sermone efficitur familiari, qui est in conuiuijs dulcissimus: ut sapientius nostri, quàm Græci: illi συμποσια, aut συνδειπνα, id est compotationes, aut concœnationes: nos conuiuia: quòd tum maximè simul uiuitur. Vides, ut te philosophando reuocare coner ad cœnàs? Cura, ut ualeas: id foris cœnitando facilimè consequere. Sed caue, si me amas, existimes me, quòd iocosius scribam, abiecisse curam Reipub. Sic tibi mi Pæte persuade, me dies, & noctes nihil aliud agere, nihil curare, nisi ut mei ciues salui liberiq; sint. Nullum locum prætermitto monendi, agendi, prouidẽdi. Hoc deniq; animo sum, ut si in hac cura, atque administratione uita mihi ponenda sit, præclarè actum mecum putẽ. Etiam atq; etiam uale.

† tempore ferri

Monet Pætũ ut cum uiris bonis uiuat.

A natura hominis, quia homo natura sit animal politicum.

Ab utili.

† comitatẽ

Epilogus huius ioci.

Prolepsis.

Respõsio ad occupationẽ.

A narratione epistolam cõcludit.

ARG. EPIST. SEQ.

Narratio iocosa. Iocatur enim cum Pæto de ratione administrãdi belli, quam præscripserat Ciceroni.

M. T. C. Imper. Papirio Pæto S. D. 177

SVmmum me ducem literæ tuæ reddidere: planè nesciebam te tam peritum esse rei militaris. Pyrrhi te

Epistola iocosa & commẽdatoria

A ioco exorditur.

te libros, & Cineæ uideo lectitasse. Itaq; obtemperare cogito præceptis tuis: hoc amplius, nauicularum habere aliquid in ora maritima: contra equitem Parthum negant ullam armaturam meliorem inueniri posse. Sed quid ludimus? nescis quo cum imperatore tibi negocium sit. Κύρος παιδείαν, quam contriueram legendo, totam in hoc imperio explicaui. Sed iocabimur aliàs coràm, & (ut spero) breui. Nunc ades ad imperandum, uel ad parendum potius, sic enim antiqui loquebantur. Cũ M. Fabio (quod scire te arbitror) summus mihi est usus: ualdeq; eum diligo, cum propter summam probitatem eius, ac singularem modestiam, tum quòd in his controuersijs, quas habeo cũ tuis combibombus Epicureis, optima opera eius uti soleo. Is cum ad me Laodiceam uenisset, mecumq; eum ego esse uellem, repente percussus est atrocissimis literis: in quibus scriptum erat, fundum Herculanensem à Qu. Fabio fratre proscriptum esse, qui fundus cum eo communis esset. Id M. Fabius pergrauiter tulit, existimauitq; fratrem suum hominem nõ sapientem impulsu inimicorum suorum eò progressum esse. Nunc si me amas, mi Pæte, negocium totum suscipe: molestia Fabium libera. Autoritate tua nobis opus est, & consilio, & etiam gratia. Noli pati litigare fratres, & iudicijs turpibus conflictari. Mathonẽ, & Pollionem inimicos habet Fabius. quid multa? non mehercule tam perscribere possum, quàm mihi gratum feceris, si ocioſum Fabium reddideris. Id ille in te positum esse putat, mihiq; persuadet. Vale.

Seriũ quiddã ioco admiscet primæ partis.

Id est, Cyri institutionem. Epilogus.

Commendat Pæto M. Fabium.

Petitio. Propositio. Prima ratio a facultate secũda ratio ab honesto

A rei turpitudine.

Ab aduersariorũ personis.

Conclusio a grato, siue epilogus per præcisionẽ.

ARG.

ARG. EPIST. SEQ.

Iocatur Cicero cum Pæto, scribens se acceptum fuisse ab Eutrapelo in cœna admodum iocosa: in qua interfuerunt familiares eius, Atticus & Verrius, & Cytheris meretricula. In qua cœna dicit se præstitisse miram fortitudinem, ac continentiam, addens nõnulla facета de Pæto.

M. T. C. Papirio Pæto S. D. 178

Epistola tota iocosa.

ACcubueram hora nona, cum ad te harum exemplũ in codicillis exaraui. dices, ubi? apud Volumnium Eutrapelum, & quidem supra me Atticus, infra Verrius, familiares tui. Miraris tam exhilaratam esse seueritatem nostram? Quid ergo faciam? te consulo, qui philosophum audis. Angar? excruciem ne me? quid assequar? Deinde quem ad finem? Viuas, inquis, in literis. An quicquam me aliud agere censes? † Haud possem uiuere, nisi in literis uiuerem. Sed est earum etiam non satietas, sed quidam modus. À quibus cum discesi, etsi minimum mihi est in cœna, quod tu unum ζητημα Dioni philosopho posuisti: tamen quid potius faciam, prius q̃ me dormitum conferam, non reperio. Audi reliqua. Infra Eutrapelum Cytheris accubuit. In eo igitur, inquis, conuiuio Cicero ille, quẽ aspectabant, cuius ob os Graij ora obuertebant sua? Non mehercule suspicatus sum illam affore: sed tamen ne Aristippus quidem ille Socraticus erubuit, cùm esset obiectum habere eũ Laida. Habeo, inquit, Laida: non habeor à Laide. Græce hoc melius: tu, si uoles, interpretabere. Me uerò nihil istorum ne iuuenem quidem mouit unquam, ne dum senem. conuiuio delector: ibi loquor aliquid, quod † insolum, ut dicitur, & gemitum, & risus maximos transfero. An tu id melius

Deliberat cũ amico, & est quædam digressiuncula.

† aut posse me ui

Zetema quæstio.

† insolatiũ (ut dicitur) & gemium

melius, qui etiam philosophũ irriseris? Cùm ille, si quis quid quæreret, dixisset, cœnã te quærere à me dixeris. Ille uerò te putabat quæsiturum, num unum cœlũ esset an innumerabilia. Quid ad te? At hercule cœna nũquid ad te? tibi præsertim. Sic igitur uiuitur: quotidie aliquid legitur, aut scribitur. deinde ne amicis nihil tribuamus, epulamur unà non modo non contra legem, si ulla nunc lex est, sed etiam intra legem, & quidem aliquanto: quare nihil est quod aduentum nostrum extimescas. Nõ multi cibi hospitẽ accipies, sed multi ioci. Vale.

ANNOTATIONES AC castigationes in nonum librum Epist. Famil. Ciceronis.

In Epist. 1.

A Tícus a te) Al. Atticus ad te.
Adesse tibi) Al. adire te.
Videatur) Al. dijudicetur.

Non satis paruisse) ubiq; monet, ne admisceamus nos populatibus tumultibus, quod etiam hi qui bonas causas defendunt, corrumpant eas agendo: sicut & Demosthenes neruos atq; artus sapientiæ esse ait apistein, & illud Epicharmi, λέμνησον ἄπιστεῖν. Ita & Eurip. κάλλον ἔξω πρᾶγμάτων ἔχειν τὸν ποδαπὸν δύβουλίας τύχοντι. Bonũ est extra negocia habere pedẽ eũ qui melius habet consilium.

In Epist. 2.

Nuper uesperi) Al. per uesperi
At tibi) Al. at tibi
Hæc censeo) Al. Hoc censeo
Deferuescit) Al. efferuescit
Nauare) Quidã addũt operã. Alij iuuaret, alij gubernare legũt.

In Epist. 4.

An hæc) Al. an Chrysippea hæc, ut legendum putem, Hæc an Chrysippea, quæ omnino difficiliora sit: & propterea Diodotus ea assequi non poterat.

Diodotus) Stoicus: & si Diodorus passim legitur
Coctio) Al. Cocĉio. quod si Cocceio: qui cum nescio quid negocij Cicero habebat, legitur. In Epist. 5.
Eundem) Alij legunt euntem
Consilij nostri) Al. consilij mei
Pœniteret) Al. non pœniteret
Officium) Epist. 3. lib. 7.
Vereor) Quidam legunt uereor

In Epist. 6.

Aduentus) Ex Africa
Alsiense) Plinius lib. 3. cap. 5.
In Pontinũ) Al. Ostiæ
Vbi utriq;) Al. utar ubiq;. Al. utrobiq;. Al. ut ubiq;.
Ferendum est) Al. ferendum non est.
Probem quidem) Al. probem.
Quum uideremus, &c.) Al. quum uideremus illud ingens malum alterutrius exercitus, & Ducum interitum.
Crudeliter) Epist. 3. lib. 7.
Etiam publici) Al. eandem publici
Quæ tua interesse audiero) Al. quæue audiuero.

In Epist. 7.

Lucio Cæsare filio) Al. L. Cæsaris filio, utroq; modo legi potest, & idẽ significatur. L. Cæsar L. Cæsaris filius fuit, &c.
De Baiis) Aliqui legunt, de dubijs
Deterius) nam pestilens est. Epist. 25. lib. 7.

In Epist. 8.

Promissi tui) Librorum de ling. lat.
Quatuor) nunc extant duo
Admonitores) Academicarum quæstionum libros
Adolescentioris) Ab Archesila noua
Antiochinas) Al. Antiochinas
De nobis inter nos) Al. de nobis inter nos colloquemur
Hæc ipsi præstare debemus) Præstare, sustinere, & quasi rationem excogitare, ne pereant. In Epist. 9.
Erei R. P.) Al. Et ei parti.

In Epist. 10.

Expectandæ) Al. expetendæ
Niciam) Curtium Niciam grammaticum
Bursa) Epist. 2. lib. 7.
Ego cætera qui) Al. ego certe, qui Al. ego inter cætera, quæ Alij uero legunt, ego cætero qui.

In Epist. 12.

Leuidense) Prouerbiali nimirum figura uocat munus uile, mi nimiq; precij.

Duabus tuis) Propositio. Fui sollicitus de tua ualetudine. Ra tio, quia te uehementer amo.

Nam quod me amas) Secunda ratio eleganter amplificata est collocatione & causis: non solum me amas, sed etiam cæteris es a mabilior, præcipue propter singularem urbanitatem. Atq; hic co moratur in descriptione urbanitatis.

Quod autem altera) Altera pars epistolæ nouam causam ha bet de emendis ædibus. Confutatio, non esse causam quare res om nes quas Romæ habet, non debeat uendere.

Domum si habeo) Conclusio.

In Epist. 14.

Transfuderim) Al. transtulerim

In amore fuerit) Al. in amore me fuerit

Fiet enim) Venusta correctio. Imo scio quia semper omnia fiēt ex arbitrio uictoris.

In Epist. 15.

Vt est re, absens) Al. ut est re apse. Al. ut est re, ab ijs

Quum uero abierit) Al. quum uero abierit, scilicet in Hispaniā

Sumptuariæ legis) Lege Macrobium lib. 3. Satur.

Sullanam) Al. Silianam, idq; nos probamus.

Ergo hoc primum) Amplificatio per collationem qui oppo nentes se ac resistentes Cæsari fœde perierunt, aut sibi ipsis attule runt mortem.

In Epist. 16.

Præstari) Al. præsciri

Offensionem) Famam alij, alij opinionem legunt.

Et consuetudine. Al. ex consuetudine

Ioco. Al. Loco

Atellanum Vt Muccum. lege Diomedem

Pompilium Plinius lib. 32. cap. ult. alij Popilium legā, nec in uetere libro etiam Polypum uidimus

Angebas. Al. habebas

Quæstiunculis. Al. quæsticulis

Phameæ. Al. Phaniæ

Temperatius. Al. temperius

Delectari. Al. delibitari

Seliciana. Al. Siliana

In Epist. 17.

Vir fortis, idemq; Philosophus) Al. uir fortis idem, quod phi losophus

In Epist. 18.

Discipulos) Hircium & Dolabellam

Regno) Epist. 25. lib. 7.

Cato) qui seipse Vticæ interfecit.

Ain tandem Reprehendit Pætum quod fulmina uerborum dixisset in epistolis Ciceronis esse

Sed tamen mi Pæte Catalogus maiorum ipsius

In Epist. 19.

Domum meam uenisse Alij legunt, domum meam uenit

Bella tectoriola Iudicium Ciceronis de his rebus

In Epist. 20.

Perduntur Al. produntur.

Quum mecum sumptus habebas Al. quum in sumptum habebas

Dedisce ndæ Al. deducendæ

Ex areis Al. ex artis, ex arcis, & artis. Nos, ex te artis, alibi legimus

Comedam Al. comedim, ex Nonio

In Epist. 21.

Atramio Al. Atratino

Papisij ut Valesij, ut Fusij. Quintil. lib. 1. cap. 6.

Præter hunc C. Carbonem qui Aruina dictus est

E.R.P. ex optimatium partibus

P.C.M. &c. Al. C. Cn. M. Carbones

Atramento corruptis iudicum tabellis. Al. a tormento

Patricios Al. Patres

Rufum istum Respondet commendationi, & pollicetur suum officium

Sed mehercule mi Pæte Adhortatio ad hilariorem uitæ consuetudinem

In Epist. 22.

Trinummo, uirgo Al. Demiurgo, quæ fuit Turpilij fabula. Al. Ditrijurgo, uel Detriurgo

Nudum Al. nudam Baccus

Vsurpato Al. usurpat

Prepresit Al. depsit, & dempsit

Suppeltere Al. suppedit

Sed quid ludimus Serium quiddam ioco admiscet

Sed iocabimur) Epilogus primæ partis
Cum M. Fabio) Alia narratio, in qua commendat ei causam amici periclitantis de suis bonis
Nunc si me amas) Propositio. Prima ratio a facultate. Secunda ratio ab inhonesto
Quid multa) Epilogus per præcisionem.

In Epist. 23.

In Sylua Gallinaria) lege Strabonem lib. 5.
Athricum) Al. arthriticum

In Epist. 26.

Harum exemplum) Al. literarum exemplum
Nullum senem) Al. ne nunc senem
A me dixeris) Al. a mane dixeris
Ille uero) Al. ille baro
Quod in solum, ut dicitur) Alij sinum legunt

Vide supra lib. 8. Epist. 142.

Extra ordinarius) Obscurum hoc est, quare minime præterundum qui extra ordinarij rei dicantur. Quorum nomina delerebantur, hi in curia publice in tabula proponebantur, & sub certum tempus, pro nominum ratione uicissim causas dicere, & se defendere cogebantur, appellabanturq; ordinarij rei. Nec extra ordinem illum quisquam audiebatur, nisi si quis capitale aliquod facinus faciens, subito accusatus, extra ordinem conuocato, in hoc iudicio causam diceret, quos extra ordinarios reos appellabant.

NIS EPISTOLARVM FAMILIARIVM LIBER X.

ARG. EPIST. SEQ.

Huius libri epistolæ sunt scriptæ post interfectum Cæsarem, Consulibus Hircio & Pansa. Porro secutum est mortem Cæsaris ingens ciuile bellum, dimicarunt enim de imperio, Antonius, Lepidus, Augustus, Brutus. Quia uero Plancus fortunatus erat alteram partem Galliarum, timebat Cicero ne se coniungeret cum Antonio, qui bellum mouerat contra Brutum. Ideoq; diligentissime dehortatur Plancum, ad suscipiendam curam Reipub.

M. T. C. Cn. Planco Imp. Conss. Desi. S. D. 179

Epistola hortatoria & cõmendatoria.
A querela de immanitate M. Antonij, quæ eo spectat, ne Plancus cum Antonio se coniungat.
Affectus elegans, de solicitudine pro patria.
Aspe, quam de consulatu Plancus habebat.
Per distributionem statũ reip. Romanæ describit.
† impuden tissimi
Propositio seu petitio

TAbfui proficiscens in Græciam: & postea quàm de meo cursu reipub. sum uoce reuocatus, nunquàm per M. Antonium quietus fui: cuius tanta est non insolentia (nam id quidem uulgare uitium est) sed immanitas, non modò ut uocem, sed ne uultum quidem liberum possit ferre cuiusquam. Itaq; mihi maximæ curæ est, non de mea quidem uita, cui satisfeci, uel ætate, uel factis, uel (si quid etiam hoc ad rem pertinet) gloria: sed me patria solicitat, in primisq; mi Plance expectatio consulatus tui, quæ ita longa est, ut optandum sit, ut possimus ad id tempus reipublicæ spiritum ducere. Quæ potest enim spes esse in ea republica, in qua hominis †impudicissimi, atq; intemperãtissimi armis oppressa sunt omnia? & in qua nec senatus, nec populus uim habet ullam? nec leges ullæ sunt, nec iudicia, nec omnino simulachrum aliquod aut uestigium ciuitatis? Sed quando acta omnia mitti ad te arbitrabar, nihil erat, quod singulis de rebus scriberem. Illud autem erat

Defert officium suum. Hortatur Plã cũ ut rempu. defendat

amoris mei, quem à tua pueritia susceptum non seruauĩ solùm, sed etiam auxi: monere te atq; hortari, ut in rem publicam omni cogitatione, curaq; incumberes, quæ si ad tuum tempus perducitur, facilis gubernatio est: ut perducatur autẽ, magnæ tum diligentiæ est, tum etiam

Clausula

fortunæ. Sed et te aliquanto antè (ut spero) habebimus, & præterquàm quòd reipub. cõsulere debemus, tamen tuæ dignitati ita fauemus, ut omne nostrum consilium, studium, officium, operam, laborem, diligentiam, ad

A facili

amplitudinem tuam cõferamus. Ita facilime & reipub. quæ mihi charissima est: & amicitiæ nostræ, quam sanctissimè nobis colendam puto, me intelligo satisfacturum. Furnium nostrum tanti à te fieri, quantum ipsius

Conclusio epistolę a commendatione Furnij

humanitas, & dignitas postulat, nec miror, & gaudeo: teq; hoc existimare uolo, quicquid in eum iudicij, officij q; contuleris, id ita me accipere, ut in meipsum te putem contulisse. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Excusatio, quare non uenerit in Senatum, quum studijs amicorum opus haberet, Plancus ad consequendum consulatum, nec dixerit sententiam.

M. C. Cn. Plan. Imp. Con. Des. S. D. 180

Purgatoria est epistola Ab excusatione, quod honorẽ Plan ci non defenderit

A periculo

A crudelitate Antonij

MEum studium honori tuo non defuisset pro necessitudine nostra, si aut tutò in senatum, aut honestè uenire potuissem. Sed nec sine periculo quisquam libere de republica sentiens uersari potest in summa impunitate gladiorum: nec nostræ dignitatis uidetur esse, ibi sentẽtiam de republica dicere, ubi me & melius & propius audiant armati, quàm senatores. Quapropter in priuatis

priuatis rebus nullum neque officium, neque studium meum desiderabis: ne in publicis quidem, si quid erit, in quo me interesse necesse sit, nunquàm deero, ne cum periculo quidem meo, dignitati tuæ. In ijs autem rebus, quæ nihilominus, ut ego absim, confici possunt: peto à te ut me rationem habere uelis & salutis, & dignitatis meæ. Vale.

Correctio

Conclusio a petitione.

ARG. EPIST. SEQ.

Cum esset plancus in Celtis cum tribus legionibus, neq; Cicero ei satis fideret, neq; tamen id auderet aperte dicere: nititur eum occulte retinere in amore. Primũ itaq; dicit, se libenter uidisse Furnium narrantem iucunda de Planco: monetq;, quod ex amore se facere docet, ut patriam tueatur.

M. T. C. Cn. Plan. Imp. Cons. Desi.

S. P. D. 181

Monitoria est epistola A narratione Exordium a tabellarij persona. Insinuatione utitur, large repetens amicitiam cum Planco.

CVm ipsum Furnium per se uidi libentissimè, tum hoc libentius, quod illũ audiens, te uidebar audire. Nam & in re militari uirtutem, & in administranda prouincia iustitiam, & in omni genere prudentiam mihi tuam exposuit: & præterea mihi non ignotam in consuetudine, & familiaritate suauitatẽ tuam adiunxit, præterea summam erga se liberalitatem. Quæ omnia mihi iucunda, hoc extremũ etiam gratũ fuit. Ego Plance necessitudinem constitutam habui cum domo uestra, antè aliquãto, quàm tu natus es: amorem aũt erga te ab ineunte pueritia tua: cõfirmata iam ætate familiaritatẽ cùm studio meo, tum iudicio tuo constitutam. His de causis mirabiliter faueo dignitati tuæ: quam mihi tecũ statuo esse cõmunem. Omnia summa consecutus es, uirtute duce, comite fortuna: eaq; es adeptus adolescens, multis inui-

Propositio est, ut Plancus capessat

reipub. defensionem.

dentibus, quos ingenio, industriaq; fregisti. Nunc me amantißimum tui nemini concedentem, qui tibi uetustate necessitudinis potior poßit esse, si audies, omnem tibi reliquæ uitæ dignitatem ex optimo reipub. statu acquires. Scis profectò (nihil enim te fugere potuit) fuisse quoddã tempus, cum homines existimarẽt, te nimis seruire tẽporibus: quod ego quoq; existimarẽ, si te ea, quæ patiebare, probasse etiam arbitrarer. Sed cum intelligerẽ, quid sentires, prudẽter te arbitrabar uidere, quid posses. Nunc alia ratio est omnium rerũ: tuum iudicium est, idq; liberum. cõsul es designatus, optima ætate, summa eloquẽtia, maxima orbitate reipub. uirorũ talium. Incumbe per deos immortales in eam curam, & cogitationem, quæ tibi summam dignitatem, & gloriam afferat. Vnus autem est hoc præsertim tempore, per tot annos repub. deuexata, reipub. bene gerendæ cursus ad gloriam. Hæc amore magis impulsus scribenda ad te putaui, quàm quòd arbitrarer te monitis, & præceptis meis egere. Sciebam enim ex ijsdem te hæc haurire fontibus, ex quibus ipse hauseram. Quare modum faciam. Hoc tantùm significandum putaui: ut potius amorẽ tibi ostenderem meum quàm ostentarem prudentiam. Interea, quæ ad dignitatem tuam pertinere arbitrabor, studiosè, diligenterq; curabo. Vale.

Ab hominũ opinione.

Ab alio atq; alio rerum statu.

A consulatu.

Ab interitu clarissimorũ uirorum.

Ab occasione.

Obtestatio

A laudabili

Mitigat monitionem.

Cõclusio seu epilogus ex occupatione

ARG. EPIST. SEQ.

Hæc epistola est responsiua ad superiorem: in qua scripserat Cicero se intellexisse ex Furnio uirtutem Planci in re militari: & hortatus fuerit ad defensionem patriæ: unde dicit sibi esse gratissima, quæ scripserat Cicero, secq; obtemperaturum tustissimis de causis polliceturr.

Plancus

Plancus Ciceroni S. P. D. 182

GRatißimæ mihi tuæ literæ fuerunt, quas ex Furnij sermone te scripsisse animaduerti. Ego autem præteriti temporis excusationem affero, quòd te profectum audieram. nec multò antè redijsse sciui, quàm ex epistola tua cognoui. Nullum enim in te officiũ, ne minimum quidem sine maxima culpa uideor posse præterire: in quo tuendo habeo causas plurimas uel paternæ necessitudinis, uel meæ à pueritia obseruantiæ, uel tui erga me mutui amoris. Quare mi Cicero, quod mea, tuaq; patitur ætas, persuade tibi te unum esse, in quo ego colendo patriam mihi constituerim sanctitatem. Omnia igitur tua consilia mihi non magis prudentiæ plena, quæ summa est, uidentur, quàm fidelitatis, quam ego ex mea conscientia metior. Quare si aut aliter sentirem, certè admonitio tua me reprimere: aut si dubitarẽ, hortatio impellere posset, ut id sequerer, quod tu optimum putares. Nunc uerò quid est, quod me in aliam partem trahere poßit? Quæcunq; in me bona sunt, aut fortunæ beneficio tributa, aut meo labore parta, etsi à te propter amorẽ carius sunt æstimata: tamen uel inimicißimi iudicio tanta sunt, ut præter bonã famam nihil desiderare uideantur. Quare hoc unũ tibi persuade: quantũ uiribus eniti, consilio prouidere, autoritate †mouere potuero, hoc omne reip. semper futurũ. Non est ignotus mihi sensus tuus: neq; si facultas optabilis mihi quidẽ tui præsentis esset, unquam à tuis consilijs discreparem. nec nunc committam, ut ullum meum factum reprehendere

Responsoria ad monitoriã

Exorditur a iucunditate literarũ, quas Cicero ex uerbis Furnij scripserat, tũ etiam cur antehac nõ scripserit Ciceroni.

Cur Ciceronem colere debeat.

A prudentia & fidelitate laudat consilia Ciceronis

Propositio

Anthymema Confirmatio

Extenuatio

Repetitio propositionis

† monere

Ab autoritate.

iure posis. Sum in expectatione omnium rerum, quid in Gallia citeriore, quid in urbe Ianuario mense geratur, ut sciam. Interim maximam hic solicitudinem, curamq; sustineo, ne inter aliena uitia hæ gentes nostra mala suam putent occasionem. Quòd si perinde, ut ipse mereor, mihi successerit: certè & tibi, cui maximè cupio, & omnibus uiris bonis satisfaciam. Fac ualeas, meq; mutuò diligas.

Conclusio Pollicitatio

ARG. EPIST. SEQ.

Respondens Cicero literis, quas a Planco acceperat. significat primum quantum lætitiæ ex illis ceperit ob beneuolentiam Planci, deinde ad Rempub. defendendam, & ad immortalem gloriam comparandam cohortatur. Postremo de odio in M. Antonium & spe, ac singulari expectatione Planci agit. Et est epistola suasoria generis, estq; responsoria, quæ pertinet ad præcedentem Planci epist.

M. T. C. Planco Imp. Cons. Desi. S. P. D. 183

Hortatoria epistola Exorditur ab amplificatione lætitiæ & fructus, quem accepit ex literis Planci.

Binas à te accepi literas eodem exemplo: quod ipsum argumento mihi fuit diligentiæ tuæ. Intellexi enim te laborare, ut ad me tuæ expectatissimæ literæ perferrentur. Ex quibus cepi fructum duplicem, mihiq; in cõparatione difficilem ad iudicandum, amorem ne erga me tuum, an animũ in Rempub. pluris æstimandum putarem. Est omnino patriæ charitas meo quidem iudicio maxima: sed amor, uoluptatisq; coniunctio plus certè habet suauitatis. Itaq; commemoratio tuæ paternæ necessitudinis, beneuolentiæq; eius, quam erga me à puericia contulisses, cæterarumq; rerum, quæ ad eam sententiam pertinebant, incredibilem mihi lætitiam attulerũt. Rursus declaratio animi tui, quẽ haberes de rep. quemq; habiturus esses, mihi erat iucundissima: eoq; maior

Commoratur in participatione.

Hortatur Plãcũ, ut ad rem publicam iuuandam incũbat.

maior erat hæc lætitia, quòd ad illa superiora accedebat. Itaq; te nõ hortor solum mi Plance, sed planè etiam oro, quod feci his literis, quibus tu humanissimè respondisti: ut tota mente, omniq; animi impetu in rempublicam incumbas. Nihil est, quod tibi maiori fructui, gloriæq; esse possit: nec quicquam ex omnibus rebus humanis est præclarius, aut præstantius, quàm de repub. bene mereri. Adhuc enim patitur tua summa humanitas, & sapientia, me, quod sentiam, liberè dicere. Fortuna suffragante uideris res maximas consecutus: quod quanquam sine uirtute non potuisses: tamen ex maxima parte ea, quæ es adeptus, fortunæ, temporibusq; tribuuntur. His temporibus difficilimis reipublicæ quicquid sub ueneris, id erit totum, & proprium tuum. Incredibile est omnium ciuium, latronibus exceptis, odium in Antonium. Magna spes in te, & in tuo exercitu magna expectatio. Cuius per Deos gratiæ, gloriæq; caue tempus admittas. Sic moneo, ut filium: sic faueo, ut mihi: sic hortor, ut & pro patria, & amicissimum. Vale.

Ratio ab utili & honesto.

Mitigat id, quod scripturus est.

ARG. EPIST. SEQ.

Cum Furnius retulisset Romæ Plancũ esse paratissimo animo, ad omnia pericula pro defensione reipub. obeunda, superuenerũt literæ Planci: quibus dicebat se suadere, ut fieret pax cum M. Antonio: quam pacem, ne adhæreat Antonio, nunc dissuadet, adducens Antonium in odium.

Ab odio in Antonium. A spe concepta de Plãco Conclusio a distributione

Cicero Planco imp. Cons. Des. S. D. 184

Narratio de oratione legati & literis Planci. Dissuasoria epistola. A narratione

Quæ locutus est Furnius noster de animo tuo in rempublicam, ea gratissima fuerunt Senatui, P. Q. R. probatissima: quæ autem recitatæ sunt literæ in Senatu, nequaquam consentire cum Furnij oratione uisæ sunt.

Brutum intelligit. Pacis enim autor eras, cùm collega tuus uir clarissimus à fœdissimis latronibus obsideretur: qui aut positis armis, pacem petere debent: aut, si pugnantes eam postulant: uictoria pax, non pactione parienda est. Sed de pace literæ uel Lepidi, uel tuæ, quã in partẽ acceptæ sint, ex uiro optimo fratre tuo, & ex C. Furnio poteris cognoscere. Me aũt impulit tui charitas, ut quanquàm nec tibi ipsi consilium deesset, & fratris, Furnijq; beneuolentia, fidelisq; prudentia tibi præstò esset futura, uellem tamen meæ quoq; autoritatis pro plurimis nostris necessitudinibus præceptum ad te aliquod peruenire. Cre de igitur mi Plance, omneis, quos adhuc gradus dignitatis consecutus sis (es aũt adeptus amplissimos) eos honorum uocabula habituros, non dignitatis insignia, nisi te cum libertate Pop. Rom. & cum Senatus autoritate coniunxeris. Seiunge te, quæso, aliquando ab ijs, cũ quibus te non tuum iudicium, sed temporũ uincula coniunxerunt. Cõplures in perturbatione reipub. Consules dicti: quorũ nemo Consularis habitus, nisi qui animo exstitit in rempublicã consulari. talem igitur te esse oportet, qui primùm te ab impiorum ciuium tui dissimilimorum societate seiungas: deinde te senatui, bonisq; omnibus adiutorem, principem, ducem præbeas: postremò ut pacem esse iudices non in armis positis, sed in abiecto armorũ, & seruitutis metu. Hæc si & ages, & senties, tum eris non modò consul, & consularis, sed magnus etiam consul, & consularis. Sin aliter, † tua in istis amplissimis rebus honorum, non modo dignitas nulla erit, sed eriã summa

Petitio

Ab officio, et est locus a cõiugatis: Amplificatio

Cõclusio adhortationis

† tum

summa deformitas. Hæc impulsus beneuolentia scripsi paulò seuerius: quæ tu † in experiendo ea ratione quæ te digna est, uera esse cognosces. Datum XIII. Calend. Aprilis. Vale.

† in expendendo.

Excusatio, quod uideri possit seuerius scripsisse.

ARG. EPIST. SEQ.

Admonitus Plancus, & stimulatus adhortatione Ciceronis ad rempub. tuendam, dicit se scripturum pluribus, quid esset acturus, nisi, & scripsisset publice, & dedisset mandata Varisidio: paucis tamen dicit se ita facturum, ut homines perspiciant beneuolentiam suam: rogatq; ut dignitas sua defendatur a Cicerone.

Planc. Imp. Cons. Desi. Ciceroni S. P. D. 189

PLura tibi de meis consilijs scriberem, rationemq; omnium rerum redderem uerbosius, quo magis iudicares omnia me reipub. causa præstitisse, quæ & tua exhortatione excepi, & mea affirmatione tibi recepi (non minus enim à te probari, quàm diligi semper uolui: nec te magis in culpa defensorẽ mihi paraui, quàm prædicatorem meritorum meorum esse uolui) sed breuiorem me duæ res faciunt, una, quòd publicis literis omnia sum persecutus: altera, quòd M. Varisidium equitem Romanum familiarem meum ad te ipsum transire iussi, ex quo omnia cognoscere posses. Non mediusfidius mediocri dolore afficiebar, cũ alij occupare possessionem laudis uiderẽtur: sed usq; mihi tẽperaui, dum † producerem eò rem, ut dignũ aliquid & consulatu meo, & uestra expectatione efficerem. Quod spero, si me fortuna non fefellerit, me consecuturum: ut maximo præsidio reipublicæ nõ fuisse, & nunc sentiant homines, & in posterum memoria teneant. A te peto, & dignitati meæ suffrageris: & quarũ rerum spe ad laudem me uocasti, harum

Responsoria ad monitoriã. Ab excusatione breuitatis literarũ.

Pollicetur suam operam reipu. nunq; defuturam.

† perducerem.

Conclusio a petitione.

harum fructu in reliquum facias alacriorem. Non minus posse te, quàm uelle, exploratum mihi est. Fac ualeas, meq; mutuò diligas.

ARG. EPIST. SEQ.

Cum Antonius Brutum obsedisset Mutinę, Plancus quasi colludens cum Antonio, exercitum suum quietum tenuit. Ea res multis præbebat magnam suspitionem, Plancum omnino alienarum a Senatu, Antonio fauere, ideoq; apud omnes male audire cœpit. Necessario itaq; his publicis literis accusat se Plancus, cur nihil scripserit Senatui, neq; de sua uoluntate, neq; ipse hactenus illis tumbis se immiserit.

Cn. Planc. Imp. Cons. Desi. S. P. D. Conss. Pr. trib. pleb. sena. pop. plebiq; Rom. 186

Narratoria, & solicitatoria epistola. A dubij diuisione exordium. Prolepsis Curhactenus fluerit.

SI cui fortè uideor diutius & hominũ expectationem, & spem Reipub. de mea uolũtate tenuisse suspensam: huic prius excusandum me esse arbitror, quàm de insequenti officio quicq; ulli pollicendum. Non enim præteritā culpā uideri uolo redemisse: sed optimæ mentis consilia iam pridem maturo tempore enuntiare. Non me præteribat, in tanta solicitudine hominũ, et tam perturbato statu ciuitatis fructuosissimā esse professionem bonæ uoluntatis: magnosq; honores ex ea re complures consecutos uidebam. Sed cum in eum casum me fortuna dimisisset, ut aut celeriter pollicendo magna mihi ipse ad † proficiendum impedimenta opponerē: aut, si in eo mihi temperauissem, maiores occasiones ad opitulandũ haberē: expeditius iter cōmunis salutis, quàm meæ laudis, esse uolui. Nam quis in ea fortuna quæ mea est, & ab ea uita quam in me cognitā hominibus arbitror, & cum ea spe quam in manibus habeo, aut fortidum quicq; pati, aut perniciosum cōcupiscere potest? Sed aliquantum

Narratio Distributione orationē expolit.

† perficiendum.

Amplificatio ex sua persona.

tum nobis temporis, & magni laboris, & multæ impensæ opus fuit, ut quæ Reipub. bonisq; omnibus pollicerēmur, exitu præstaremus: neq; ad auxilium patriæ nudi cum bona uoluntate, sed cùm facultatibus accederemus. Confirmandus erat exercitus nobis, magnis sæpe præmijs solicitatus, ut ab Repub. potius moderata, quàm ab uno infinita speraret. Confirmandæ complures ciuitates, quæ superiore anno largitionibus, concessionibusq; præmiorum erant obligatæ: ut & illa uana putarēt, & eadem à melioribus autoribus petenda existimarent. Alliciendæ etiā uoluntates reliquorũ, qui finitimis prouincijs exercitibusq; præfuerunt: ut potius cum pluribus societatē defendendæ libertatis iniremus, quàm cum paucioribus funestam orbi terrarũ uictoriam † pararemus. Muniendi uerò nosmetipsi fuimus, aucto exercitu, auxilijsq; multiplicatis: ut, cũ præferremus sensus apertè, tum etiam inuitis quibusdā, sciri quid defensuri essemus, non esset periculosum. Itaq; nunquam diffitebor, multa me, ut ad effectum horum consiliorum peruenirem, & simulasse † inuitũ, & dissimulasse cum dolore: quòd præmatura denũtiatio boni ciuis imparati, quàm periculosa esset, ex casu collegæ uidebam. Quo nomine etiam C. Furnio legato, uiro forti, atq; strenuo, plura etiam uerbo, quàm scriptura mandata dedimus: ut & tectius ad uos perferrentur, & nos essemus tutiores: quibusq; rebus & communem salutem muniri, & nos armari conueniret, præcepimus, ex quo intelligi potest, curam Reipub. summæ defendēdæ iampridem apud nos excubare

Redit ad utilitatis explicationem seu congeriem.

† partiremur.

† initium

Altera pars in qua pollicetur Reipu. suam operã. Narrat qualem & quantum exercitum comparauit.

excubare. Nunc, cùm Deũm benignitate ab omni re sic mus paratiores, non solùm bene sperare de nobis homines, sed exploratè iudicare uolumus. Legiones habeo quinq; sub signis, & sua fide, uirtuteq; reipublicæ coniunctissimas, & nostra liberalitate nobis obsequenteis. Prouinciam omnium ciuitatũ consensu paratissimam, & summa contentione ad officia certantem: æquitatus, auxiliorumq; tantas copias, quantas hæ gentes ad defendendam suam salutem, libertatemq; conficere possunt. Ipse ita sum animo paratus uel prouinciam tueri, uel rem quò respub. uocet, uel tradere exercitum, auxilia, prouinciamq;: ut uel omnem impetũ belli in me conuertere non recusem, si modò meo casu aut confirmare patriæ

Epilogus

salutem, aut periculum morari possim. Hæc si iam expeditis omnibus rebus, trãquilloq; statu ciuitatis polliceor in damno meæ laudis, reipublicæ commodo lætabor: sin ad societatem integerrimorum, & maximorum periculorum accedam, consilia mea æquis iudicibus ab obtrectatione inuidorũ defendenda cõmendo. Mihi quidem ipsi fructus meritorum meorũ in reipub. incolumitate satis magnus est paratus. Eos uerò, qui meam auctoritatem, & multò magis uestram fidem secuti, nec ulla spe decipi, nec ullo metu terreri potuerunt, ut commendatos uobis habeatis, petendum uidetur. Valete.

Clausula

ARG. EPIST. SEQ.

Primum ostendit Plancus Ciceronem debere habere certissimum amoris sui testimonium, propterea quod illi primo consilia aperuerat. Deinde dicit se quotidie magis aucturum esse merita sua erga rempublicam. Postremo scribit ubi habeat exercitum: quod ad amicitiam non parum facere uidetur.

Plancus

Plancus Imper. Cons. Desi. Ciceroni S. P. D. 187

Epistola pollicitatoria, & narratoria. Exordium a lætitia, quam captat, quod Cicero alijs nihil temere de ipso promiserit, tum a testimonio amoris sui erga Ciceronẽ. Pollicetur studiũ suũ in retinẽda rep.

NIhil me tibi temere scripsisse, aut te cæteris de me frustra recepisse lætor. Certè hoc maius habes testimonium amoris mei, quò maturius tibi, quàm cæteris, consilia mea uolui esse nota. In dies uerò meritorum meorum fieri accessiones peruidere te spero: cognitorum magis recipio. Quod ad me attinet mi Cicero (ita ab imminentibus malis respublica me adiuuante liberetur) sic honores, præmiaq; uestra suspicio, conferenda certè cum immortalitate, ut sine his nihil de meo studio, perseuerantiaq; sim remissurus. Nisi in multitudine optimorum ciuium impetus animi mei fuerit singularis, & opera præcipua: nihil ad meam dignitatem accedere uolo suffragatione uestra. Concupisco aũt nihil mihi, contraq; ipse pugno: sed & temporis, & rei te moderatorem facilè patior esse. Nihil aut serò, aut exigue à patria ciui tributum potest uideri. Exercitum ad sextum Calend. Maias Rhodanum traieci magnis itineribus. Viennam equites mille uia breuiore præmisi. ipse, si à Lepido non impediar, celeritate satis faciam: sin autem in itinere meo se opposuerit, ad tempus consilium capiam. Copias adduco & genere, & numero, & fidelitate firmissimas. Te, ut diligas me, si mutuò me facturum id scis, rogo. Vale.

A narratione concludit.

ARG. EPIST. SEQ.

Cum post Furnij relationẽ de uoluntate Planci erga remp. ipse Plancus scripsisset sua consilia, Cicero eum summopere laudat: ostenditq; non carituru meritis præmijs, si modo sit aliqua respub.

M. T. C.

M. T. C. Planco Imp. Conſ. Deſt. S. P. D. 188

Narratio, qua comprobatillius conſilia

ETſi ſatis ex Furnio noſtro cognoueram, quæ tua uoluntas, quod conſilium de Repub. eſſet: tamen lectis tuis literis, liquidius de toto ſenſu tuo iudicaui. Quamobrem quanquàm in uno prælio omnis fortuna reipub. diſceptat: quod quidem, cum hæc legeres, iam decretum arbitrabar fore: tamen ipſa fama, quæ de tua uoluntate percrebuit, magnã es laudem conſecutus. Itaq; ſi conſulem Romæ habuiſſemus, declaratum eſſet à Senatu cum tuis magnis honoribus, quàm gratus eſſet conatus, et paratus tuus. Cuius rei non modò non præterijt tempus, ſed ne maturũ quidem etiamnum, meo quidem iudicio, fuit. Is enim denicq; honos mihi uideri ſolet, qui non propter ſpẽ futuri beneficij, ſed propter magna merita clariſ uiris defertur, & datur. Quare, ſit modò aliqua res pub. in qua honos elucere poſſit, omnibus, mihi crede, ampliſſimis honoribus abundabis. Is autem, qui uerè appellari poteſt honos, non inuitamentum ad tempus, ſed perpetuæ uirtutis eſt præmiũ. Quamobrem mi Plance incumbe toto pectore ad laudem: ſubueni patriæ: opitulare collegæ: omnium gentium cõſenſum, & incredibilem conſpirationẽ adiuua. Me tuorum conſiliorum adiutorem, dignitatis fautorem, omnibus in rebus tibi amiciſſimum, fideliſſimumq; cognoſces. Ad eas enim cauſſas, quibus inter nos amore ſumus, officijs, uetuſtate coniuncti, patriæ charitas acceſſit: eaq; effecit, ut tuam uitam anteferrem meæ. Quarto Calend. Aprilis. Vale.

Hortatoria epiſtola

Exorditur inde, quod clare ex literis Planci uoluntatẽ eius erga rempu. cognorit

Exorditur et a laude, quã Plancus ob ſtudium erga rempub. conſecutus ſit

Ab honore

Ex diffinitione honoris ſumpta eſt ætiologia

A fruitione honoris

Hortatio

A ſuo ſtudio erga Plancũ

AR G.

ARG. EPIST. SEQ.

Scripſerat Cicero ad Plancum, ſe omnia diligenter feciſſe prõ tuenda eius dignitate, & pro eo fortiter certaſſe: de quo Plancus gratias agit: dicitq; ſibi Rempub. tanto maiori curæ futurã: ſimulq; docet, quid ſperet ſe facturum aduerſus Antonium, adiuuantibus Laterenſe & Furnio.

Cn. Plancus Imp. Con. Deſ. Ciceroni S. P. D.

IMmortaleis ago tibi gratias, agamq; dum uiuam: nam relaturũ me, affirmare non poſſum. Tantis enim tuis officijs non uideor mihi reſpondere poſſe: niſi fortè (ut tu grauiſſimè, diſertiſſimeq; ſcripſiſti) ita ſenſurus es, ut me referre gratiam putes, cùm memoria tenebo. Si de filij tui dignitate eſſet actum, amabilius certè nihil facere potuiſſes. Primæ tuæ ſententiæ infinitis cum muneribus: poſteriores ad tempus, arbitriumq; amicorum meorum compoſitæ, oratio aſſidua & perpetua de me, iurgia cum obtrectatoribus propter me, notiſſima mihi ſunt. Quare non mediocris adhibenda mihi eſt cura, ut Reipublicæ me ciuem dignum tuis laudibus præſtem, in amicitia tua memorem, atq; gratum. Quod reliquum eſt, tuum munus tuêre: & me, ſi quem eſſe uoluiſti, eum exitu, rebusq; cognoſcis, defende ac ſuſcipe. Cum Rhodanum copias traieciſſem, fratremq; cum tribus millibus equitum præmiſiſſem, ipſe iter ad Mutinam dirigerem: in itinere, de prælio facto, Brutoq;, & Mutina, obſidione liberatis, audiui. Animaduerti nullum alium receptum Antonium, reliquiasq;, quæ cum eo eſſent, habere, niſi in his partibus: duasq; ei ſpes eſſe propoſitas: unam Lepidi, ipſius alteram exercitus.

Epiſtola partim eſt reſpõſoria ad hortatoriam, partim nuncupatoria.

A gratiarũ actione & amplificatiõe beneficiorũ Ciceronis.

Petitio.

Viciſsim poſtulatur operã ſuam.

Narratio.

Narratiõ alia

Quòd quædam pars exercitus non minus furiosa est, quàm qui cum Antonio fuerunt, equitatum reuocaui. Ipse in Allobrogibus constiti, ut perinde ad omnia paratus essem, ac res me moneret. Si nudus huc se Antonius conferet, facilè mihi uideor per me sustinere posse, remq; publicam ex uestra sententia administrare, quamuis ab exercitu Lepidi recipiatur. Si uerò copiarum aliquid secum adducet: etsi decima legio ueterana, quæ nostra opera reuocata cum reliquis est, ad eundem furorem redierit: tamen ne quid detrimenti fiat, dabitur opera à me: idq; me præstiturum spero dum istinc copiæ traijciantur: coniunctæq; nobiscum facilius perditos opprimant. Hoc tibi spondeo mi Cicero, neque animum, nec diligentiam mihi defuturam. Cupio mehercules nullã residuam solicitudinem esse. Sed si fuerit, nec animo, nec beneuolentiæ, nec patientiæ cuiusquam pro uobis cedam. Do quidem ego operam, ut etiam Lepidum ad huius rei societatem incitem: omniaq; ei obsequia polliceor, si modò rempublicam restituere uolet. Vtor in hac re adiutoribus, interpretibusq; fratre meo, & Laterense, & Furnio nostro. Non me impedient priuatæ offensiones, quò minus pro reipublicæ salute, etiam cum inimicissimo consentiam. Quòd si nihil profecero, nihilominus maximo sum animo: & maiore fortasse cum mea gloria uobis satisfaciam. Ualeas, meq; mutuo diligas.

† suscipere

Suum studiũ in tuenda Repub. pollicetur.

Prolepsis.

ARG. EPIST. SEQ.

Cum scripsisset Plancus ad Ciceronẽ de uoluntate sua in rempublicam, primum ad Ciceronem, deinde ad senatum, populumq; Romanum: ostendit

ostendit nunc Cicero, quanti fecerit illas literas. Deinde hortatur Plancum, ut ita facere pergat, ut incepit: & existimet uerã gloriam in uirtute positam. Postremo declarat Munatij incredibilem erga eum beneuolentiam, ex qua se eiusdem prudentiam, & fidem perspexisse fatetur.

Cicero Planco Imp. Cons. Des. S. D. 190

ET si Reipub. causa maximè gaudere debeo, tantum ei te præsidij, tantum opis attulisse extremis pene temporibus: tamen ita te uictorem complectar Reipublicæ recuperata, ut magnam partem mihi lætitiæ tua dignitas afferat, quam & esse iam, & futurum amplissimam intelligo. Caue enim putas ullas literas unquam † gratiores, quàm tuas, in senatu esse recitatas. Idq; contigit, tum meritorum tuorum in Rempub. existimia quadam magnitudine, tum uerborum, sententiarumq; grauitate. Quod mihi quidem minimè nouum, qui & te nossem, & tuarum literarum ad me missarum promissa meminissem, & haberem à Furnio nostro tua penitus consilia cognita: sed senatui maiora uisa sunt, quàm erant expectata: non quo unquam de tua uoluntate dubitasset: sed nec, quãtum facere posses, nec quò progredi uelles, exploratum satis habebat. Itaque cum ad VIII. Idus Aprilis manè mihi tuas literas Marcus Varisidius reddidisset, easq; legissem, incredibili gaudio sum elatus. Cumq; magna multitudo optimorum uirorum, & ciuium me de domo deduceret, feci continuò omneis particeps meæ uoluptatis. Interim ad me uenit Munatius noster, ut consueuerat: & ego

Epistola nuntiatoria & hortatoria. Exorditur ab ostensiõe Planci, quãti literas & priuatas ad se scriptas fecerit, & literas publicas senatus æstimarit.

† graniores

Occupatio.

Narratio.

† ostendi

& ego ei literas tuas † dedi: nihil dum enim sciebat. nam ad me primùm Varisidius: idq; sibi à te mandatum esse dicebat. Paulò pòst idem mihi Munatius eas literas legendas dedit, quas ipsi miseras, & eas quas publicè. Placuit nobis, ut statim ad Cornutum prætorem urbis literas deferremus, qui quòd Consules aberant, consulare munus sustinebat more maiorum. Senatus est continuò cõuocatus, frequensq; conuenit propter famam, atq; expectationem tuarum literarum. Recitatis literis, oblata religio Cornuto est, pullariorum admonitu, non satis diligenter eum auspicijs operam dedisse. Idq; à nostro collegio comprobatum est. Itaq; res dilata est in posterum. Eo autem die magna mihi fuit pro tua dignitate contentio cum Seruilio: qui cum gratia effecisset ut sua sententia prima pronunciaretur, frequens eum senatus reliquit, & in alia omnia discessit: meaq; sententiæ, quæ secunda pronunciata erat, cum frequens assentiretur senatus, rogatu Seruilij P. Titius intercessit. Res in posterum dilata. Venit paratus Seruilius, Iouis ipsi iniquus, cuius in templo res agebatur. Hunc quèmodum fregerim, quantaq; contentione Titium intercessorem abiecerim, ex aliorum te literis malo cognoscere. Vnum ex meis: senatus grauior, constantior, amicior tuis laudibus esse non potuit, quàm tum fuit. Nec uerò tibi senatus amicior, quàm cuncta ciuitas. Mirabiliter enim populus Rom. uniuersus, & omnium generum, ordinumq; consensus ad liberandam Rempub. conspirauit. Perge igitur, ut agis, nomenq; tuum commenda

Narratio certaminũ de honorib' Planci

Alia narratio

Adhortatio ad defendẽdã Rempub. ex honesto.

menda immortalitati: atq; hæc omnia, Quæ habent speciem gloriæ, collecta ex inanissimis splendoris insignibus, contemne: breuia, fugacia, & caduca existima. Verum decus in uirtute positum est, quæ maximè illustratur magnis in Rempub. meritis. Eam facultatem habes maximam: quam quandò complexus es, & tenes: perfice, ut ne minus Resp. tibi, quàm tu Reipublicæ debeas. Me tuæ dignitatis non modò fautorem, sed etiam amplificatorem cognosces. Id tum Reipub. quæ mihi est mea uita charior, tum nostræ necessitudini debere me iudico. Atq; in his curis, quas contuli ad dignitatem tuam, cepi magnam uoluptatem, quòd bene cognitam mihi T. Munatij prudentiam & fidem, magis etiam perspexi in eius incredibili erga te beneuolentia & diligentia Quarto Idus Aprilis. Vale.

Fruitio ueri decoris. A possibili.

Defert suum officium. A suo erga Plãcũ studio.

Conclusio.

ARG. EPIST. SEQ.

Dicit Plancum ex Senatusconsulto perspicere posse, quantum pro eius dignitate tuẽda contenderit. hortatur, ut bellum cœptum conficiat, & M. Antonium deuinciat. Et est narratio, in qua cõmorat suum studium in augenda dignitate Planci.

Cicero Planco Imp. Cons. Des. S. D.

Epistola familiaris & hortatoria. A suo studio in ornando Planco exoritur.

VT primùm potestas data est augendæ dignitatis tuæ, nihil prætermisi in te ornando, quod positum esset aut in præmio uirtutis, aut in honore uerborum. Id ex ipso senatusconsulto poteris cognoscere: ita enim est perscriptum, ut à me de scripto dicta sententia est: quã senatus frequens sequutus est summo studio, magnoq; cõsensu: Ego quãquàm ex tuis literis, quas mihi misisti,

perſpexeram te magis iudicio bonorum, quàm inſignibus gloriæ delectari: tamen conſiderandum nobis exiſtimaui, etiam ſi tu nihil poſtulares, quantum tibi à republica deberetur. Tu cõtexes extrema cum primis. Qui enim M. Antonium oppreſſerit, is bellum confecerit. Itaq; Homerus non Aiacem, nec Achillem, ſed Vlyſſem appellauit πολίπορθον.

Cõcluſio ab hortatiũcula.
Obliqua adhortatio.
Poliporthon urbium expugnatorem.

ARG. EPIST. SEQ.

Scripſerat Plancus ſe Mutinam uerſus ad ſuccurrendum Bruto caſtra mouiſſe, cum intellexiſſet paulo poſt Antonium fuſum & Brutum liberatum: unde exultans Cicero, hortatur, ut perſeueret. Et eſt Narratiuncula, quod omnibus nota ſit uoluntas Planci erga Rempub, & addita eſt adhortatio, ut ipſum Antonium, & reliquias exercitus perſequatur.

Cicero Planco Imp. Conſ. Deſ. S. D. 192

OGratam famam biduo ante uictoriã, de ſubſidio tuo, de ſtudio, de celeritate, de copijs. Atqui etiam hoſtibus fuſis ſpes omnis in te eſt. Fugiſſe enim ex prælio Mutinenſi dicuntur notiſſimi latronum duces. Eſt autẽ non minus gratum extrema delere, quàm prima depellere. Equidem expectabam iam tuas literas, idq; cum multis. Sperabamq; etiam Lepidum temporibus admonitũ tibi, & reipublicæ ſatis eſſe facturũ. In illam igitur curã incumbe mi Plance, ut nequa ſcintilla teterrimi belli relinquatur. Quod ſi erit factum, & rempub. diuino beneficio affeceris, & ipſe æternam gloriam conſequêre. Tertio Idus Maij. Vale.

Hortatoria et nunciatoria.
Exorditur a laude uolũtatis Plãci Bruto obſeſſo Mutinæ ſuccurrere uolentis.
Hortatiũcula
Ab utili.
A laudabili.

ARG. EPIST. SEQ.

Hæc epiſtola uidetur ponenda ſtatim poſt illam, Immortales. Nam quod in illa epiſtola ſcripſerat ſe facturum, in hac feciſſe dicit, utpote ſe cum Lepido coniunctum eſſe, ut Antonium opprimant. unde

unde cum dicit, his literis ſcriptis, intelligit illas, immortales ago tibi gratias, &c. Et eſt narratio de ſua diligentia in Lepido ſibi conciliando, & de ſuis conſilijs in adminiſtrando bello.

Plancus Præt. Cic. S. P. D. 193

HIs literis ſcriptis, quæ poſtea accidiſſent, ſcire te, ad Rempublicam putaui pertinere. Sedulitas mea (ut ſpero) & mihi, & reipublicæ tulit fructum. Nanq; aſſiduis internuntijs cum Lepido egi, ut omiſſa omni contentione, reconciliataq; uoluntate noſtra, communi conſilio Reipu. ſuccurreret: ſe, liberos, urbem pluris, quàm unum perditum, abiectumq; latronem putaret: obſequioq; meo ſi ita faceret, ad omnes res abuteretur. Profeci itaque per Laterenſem internuncium: fidem mihi dedit, ſe Antonium, ſi prohibere ſua prouincia non potuiſſet, bello perſecuturum. Me ut uenirem, copiasq; coniungerem, rogauit: eoq; magis, quòd & Antonius ab equitatu firmus eſſe dicebatur, & Lepidus ne mediocrem quidem equitatum habebat. Nam etiã ex paucitate eius, non multis antè diebus, decẽ, qui optimi fuerant, ad me tranſierunt. Quibus rebus ego cognitis, cunctatus non ſum in curſu bonorum conſiliorum: Lepidũ adiuuandum putaui. Aduentus meus quid profecturus eſſet, uidi, uel quòd equitatu meo perſequi, atq; opprimere equitatum eius poſſem: uel quòd exercitus Lepidi eam partẽ, quæ corrupta eſt, & ab repu. alienata, & corrigere, et coërcere præſentia mei exercitus poſſem. Itaq; in Iſara flumine maximo, quod in finibus eſt Allobrogum, pontẽ uno die facto, exercitum ad quartum Idus Maij traduxi. Cùm uerò mihi nunciatum eſſet, Lucium

Nunciatoria epiſtola.
A narratione quæ ad finẽ uſq; epiſtolæ durat.
De Iſara flumine eſt apud Plinium lib. 3. cap. 5.

Lucium Antonium præmissum cum equitibus, & cohortibus ad Forum Iulij uenisse: fratrem cum equitum quatuor millibus, ut occurreret ei, misi ad pridie Idus Maij. Ipse maximis itineribus cum quatuor legionibus expeditis, & reliquo equitatu subsequar. Si nos mediocris modò fortuna reipub. adiuuerit, & audaciæ perditorum, & nostræ solicitudinis hic finem reperiemus. Quòd si latro præcogntio nostro aduentu, rursus in Italiam se recipere cœperit, Bruti erit officium occurrere ei: cui scio nec consilium, nec animum defuturũ. Ego tamẽ, si id acciderit, fratrem cum equitatu mittam, qui sequatur, Italiamq; à uastatione defendat. Fac ualeas, meq; mutuò diligas.

Cõcludit narrationẽ polliçitatione.

ARG. EPIST. SEQ.

Eiusdem fere est argumenti cum illa, Etsi reipub. causa. ostendit enim quam gratæ sibi fuerint Planci literæ, hortatur, ut pergat, neq; petat consilium a Senatu in re tam certa.

Cicero Planco suo S. D. 194

Nunciatoria, & hortatoria A laude literarum quas Plancus senatui misit, & est narratio.

Nihil post hominum memoriam gloriosius, nihil gratius, ne tempore quidem ipso opportunius accidere uidi, quàm tuas Plance literas. Redditæ sunt enim frequenti senatu Cornutu, cùm is frigidas sanè, & inconstanteis recitasset literas Lepidi: sub eas statim recitatæ sunt tuæ, non sine magnis quidem clamoribus. Cum rebus enim ipsis essent, & studijs, beneficijsq; in rempub. gratißimæ: tum erant grauißimis uerbis, & sententijs plenæ. Flagitare senatus institit Cornutum, ut referret statim de tuis literis, ille se considerare ait uelle. Cùm ei magnum conuitiũ fieret cuncto à senatu, quinq; Trib. pleb.

Obliqua hortatio.

pleb. retulerunt. Seruilius rogatus, rem distulit. Ego eã sententiam dixi, cui sunt assensi ad unum. ea quæ fuerit, ex senatusconsulto cognosces. Tu quanquã consilio non eges, uel abundas potius, tamen hoc animo esse debes, ut nihil huc reijcias: né ue in rebus tam subitis, tamq; angustis à senatu consilium petendum putes. Ipse tibi sis senatus. quocunq; te ratio reipub. ducet, sequare. Cures, ut antè factum aliquod à te egregium audiamus, quàm futurum putarimus. Illud tibi promitto: quicquid à te erit factum, id senatum non modò ut fideliter, sed etiam ut sapienter factum, comprobaturum. Vale.

Adhortatio ut utatur occasionib. belli, & pergat defendere Rempub.

Confutat obiectionem Planci.

ARG. EPIST. SEQ.

Postquam Antonius apud Mutinam superatus est, celeri cursu ad Alpes sese proripuit, sperans Ventidium ad se uenturum ex Piceno cum tribus legionibus, & Lepidum, & Plancum sibi coniungendos. Scribit ergo ad Ciceronem Plancus, ubi sit Antonius, & ubi Lepidus, & quid speret se pro republica facturum. Deinde docet, cur fratrem Romam miserit.

Plancus Ciceroni. S. P. D. 195

Narratio de publicis literis, quod fuerint gratissime & quod inde magnam consequutus dignitatem. A narratione De statu rerũ & sua diligentia.

Antonius Idibus Maijs ad Forum Iulij cum primis copijs uenit: Ventidius biduj spatio abest ab eo: Lepidus ad Forum Voconij castra habet: qui locus à Foro Iulij quatuor, & uiginti milia passuum abest: ibiq; me expectare constituit, quemadmodum ipse mihi scripsit. Quòd si omnia mihi integra, & ipse, & fortuna seruauerit: recipio uobis, celeriter me negotium ex sententia confecturum. Fratrem meum assiduis laboribus, concursationibusq; confecturum grauiter se habuisse, antea tibi scripsi: sed tamen cum primum posse ingredi cœpit, non magis sibi, quàm reipub. conualuisse se existimans,

mans, ad omnia pericula princeps esse non recusabat.
Translatio culpæ. Sed ego eum non solùm hortatus sum, uerum etiam co-
ëgi istò proficisci: quòd & illa ualetudine magis consi-
†tueri cere se, quàm me † iuuare posset in castris: & quòd a-
cerbissimo interitu consulum rempublicam nudatam,
tali ciue prætore in urbanis officijs indigere existima-
bam. Quod si quis uestrum non probabit, mihi pruden
Ratio ex ho-nesto. tiam in consilio defuisse sciat, non illi erga patriam fi-
†tamen delitatem. Lepidus † tandẽ, quod ego desiderabam, fe-
cit, ut Appellam ad me mitteret: quo obside, fide illius,
& societate in republica administranda uterer. Studi-
um in ea re suum mihi L. Gellius, de tribus fratribus Se-
gauianis probauit: quo ego interprete nouissimè ad Le-
pidum sum usus. amicũ eum reipublicæ cognoscere ui-
deor: libenterq; ei sum testimonio, & omnibus ero, qui
Conclusio a petitione. benè merentur. Fac ualeas, meq; mutuò diligas, digni-
tatemq; meam, si mereor, tuearis, sicut adhuc singulari
cum beneuolentia feci sti. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Narratio sui consilii, quare uelit se cum Lepido coniungere an-
te aduentum Bruti, uidelicet ut retineat hoc modo exercitum Le-
pidi, ne ad Antonium transeat.

Plancus Ciceroni S. D. 196

Nunciatoria epistola. A narratione Exordiũ Pathos a pericu li magnitudine. QVid in animo habuerim cum Leernus, Neruaq; di-
scesserunt à me, & ex literis, quas eis dedi, & ex
ipsis cognoscere potuisti, qui omnibus rebus, consilijsq;
meis interfuerunt. Accidit mihi, quod homini pudenti,
& cupido satisfaciendi reipublicæ, bonisq; omnibus ac-
cidere solet: ut consilium sequerer periculosum magis,

dum me probarem, quàm tutum, quod habere posset
obtrectationem. Itaque post discessum legatorum cùm
binis continuis literis & Lepidus me, ut uenirem, ro-
garet, & Laterensis multò etiam magis propè implo-
rãs obtestaretur: nullam rem aliam extimescens, quàm
eandem, quæ mihi nunc quoque facit timorem, uarieta-
tem, atque infidelitatem exercitus eius: nõ dubitandum
putaui, quin succurrerem, meq; communi periculo of-
ferrem. Sciebam enim, quantò cautius illud erat consi- Confutatio obiectionis.
lium, expectare me ad Isaram, dum Brutus traijceret
exercitum: & cum collega consentiente, sicut milites
faciunt, hostibus obuiam ire. Tamen si quid Lepidus be-
ne sentiens, detrimenti cepisset, hoc omne assignatum
iri aut pertinaciæ meæ, aut timori uidebam, si aut ho-
minem offensum mihi, coniunctum cum repub. nõ sub-
leuassem: aut ipse à certamine belli tam necessarij me
remouissem. Itaque potius periclitari uolui, si possem
mea præsentia & Lepidum tueri, & exercitum facere
meliorem, quàm nimis cautus uideri. Solicitiorem cer- Epiphonema
te hominem non suis contractis, neminem puto fuisse.
Nam quæ res nullam habebat dubitationem, si exerci-
tus Lepidi absit: ea nunc magnam affert solicitudinem,
magnumq; habet casum. Mihi enim si contigisset, ut
prior occurrerem Antonio, non mehercule horam con-
stitisset: tantum ego & mihi confido: & sic perculsas
illius copias, Ventidijq; Mulionis castra despicio. Sed
non possum nõ exhorrescere, si quid intra cutem subest Elegans me-taphora.
uulneris, quod prius nocere potest, quàm sciri, curariq;
possit.

†metare-mur

posſit. Sed certè niſi uno loco † me tenerem, magnũ periculum ipſe Lepidus, magnam ea pars exercitus adiret, quæ bene de repub. ſentit. Magnam etiam perditi hoſtes acceßionem ſibi feciſſent, ſi quas copias à Lepido abſtraxiſſent. Quæ ſi aduentus meus repreſſerit, agam gratias fortunæ, conſtantiæq; meæ, quæ me ad hanc experientiam excitauit. Itaq; ad XII. Calendas Iunias ab Iſara caſtra moui: pontem tamen, quem in Iſara fecerã, caſtellis duobus ad capita poſitis reliqui: præſidiaq; ibi firma poſui, ut uenienti Bruto, exercituiq; eius ſine mora tranſitus eſſet paratus. Ipſe, ut ſpero, diebus octo, quibus has literas dabam, cum Lepidi copijs me coniungam. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Dicit ſe non expectaſſe a Planco gratiarum actiones, gratas tamen fuiſſe, adhortans, ut bellum finiat quam primum.

Cicero Planco. S. P. D. 197

Nunciatoria & hortatoria

Quam iucunda fuerit ſibi gratiarũ actio Planci.

Subiectio ſeu obiectio.

Narratiũcula

QVanquam gratiarum actionem à te non deſiderabam, cùm te re ipſa, atq; animo ſcirem eſſe gratiſſimum: tamen (fatendum eſt enim) fuit ea mihi periucunda. Sic enim uidi, quaſi ea quæ oculis cernuntur, me à te amari. Dices, quid antea? ſemper quidem, ſed nunquàm illuſtrius. Literæ tuæ mirabiliter gratæ ſunt ſenatui, cùm rebus ipſis, quæ erant grauiſſimæ, & maximè fortiſſimi animi, ſummiq; conſilij: tum etiam grauitate ſententiarum, atq; uerborum. Sed mi Plance incumbe, ut belli extrema perficias: in hoc erit ſumma & gratia, et gloria. Cupio omnia Reipublicæ cauſa: ſed mehercule in ea conſeruanda iam defatigatus, nõ multò plus faueo patriæ,

Adhortatio ad opprimendũ Antoniũ. Ab utili & laudabili.

patriæ, quàm tuæ gloriæ: cuius maximam facultatem tibi Dij immortales, ut ſpero, dedére: quam complectere obſecro. Qui enim Antonium oppreſſerit, is hoc teterrimum bellum, periculoliſſimumq; confecerit. Vale.

Clauſula in epilogo.

ARG. EPIST. SEQ.

Narratio, uarios eſſe rumores de Lepido, a cuius exercitu Antonius receptus dicebatur, & quod ipſe quoq; Lepidus cum Antonio ſe coniunxiſſet.

Cicero Planco S. P. D. 198

Epiſtola petitoria & hortatoria.

Narratio.

ITa erant omnia, quæ iſtinc afferebantur, incerta, ut quid ad te ſcriberem, non occurreret. Modò enim quæ uellemus de Lepido, modò contrà nuntiabantur: de te tamen conſtans fama, nec decipi poſſe, nec uinci: quorũ alterius fortuna quandam partem habet: alterum proprium eſt prudẽtiæ tuæ. Sed accepi literas à collega tuo datas Idibus Maijs: in quibus erat, te adſcripſiſſe à Lepido non recipi Antonium. Quod erit certius, ſi tu ad nos idem ſcripſeris: ſed minus audes fortaſſe propter inanẽ lætitiam literarum ſuperiorum. Verum ut errare mi Plance potuiſti (quis enim id effugeret?) ſic decipi te nõ potuiſſe, quis non uidet? Nunc uerò etiam iam erroris cauſa ſublata eſt. Culpa enim illa, bis ad eundem, uulgari reprehenſa prouerbio eſt. Sin, ut ſcripſiſti ad collegam, ita ſe res habet, omni cura liberati ſumus: nec tamen erimus prius, quàm ita eſſe, tu nos feceris certiores. Mea quidem, ut ad te ſæpius ſcripſi, hæc ſentẽtia eſt: Qui reliquias huius belli oppreſſerit, eum totius belli confectorem fore: quem te, & opto eſſe, & confido futurum. Studia mea erga te, quibus certè nulla eſſe maiora

Altera narratio.

Concluſio Adhortatio ut hoc bellũ contra Antoniũ conficiat.

iora potuerunt, tibi tam grata esse, quàm ego putaui fo re, minimè miror, uehementerq; lætor. Quæ quidem tu si rectè isthic erit, maiora et grauiora cognoscες. Quar to Calen. Iunias.

ARG. EPIST. SEQ.

Nunciat Ciceroni quo pacto frustratus sit eum Lentulus, & qua ratione perfidiam eius deprehenderit.

Plancus Ciceroni. S. D. 199

Nunciatoria & hortatoria

Excusatio per translationem, qua rea Lepido fuerit deceptus.

A trãslatiõe exorditur,

PVderet me inconstantiæ mearum literarum, si non ex aliena leuitate pendêrent. Omnia feci, quare Lepido coniuncto ad Rempublicam defendendam minore solicitudine uestra, perditis resisterem. Omnia ei & petenti recepi, & ultro pollicitus sum, scripsiq; tibi biduo antè, confidere me bono Lepido esse usurum, communiq; consilio bellum administraturũ. Credidi chirographis eius, affirmationi præsentis Laterensis, qui tum apud me erat, reconciliaremq; me Lepido, fidemq; haberem, orabat. Non licuit diutius bene de eo sperare. Illud certè caui, & cauebo, ne mea credulitate reipublicæ summa fallatur. Cum Isaram flumen, uno die ponte effecto, exercitum traduxissem, pro magnitudine celeritatem adhibens, quòd petierat per literas ipse, ut maturarem uenire: præstò mihi fuit stator eius cum literis, quibus, ne uenirem, denuntiabat: se posse conficere per se negotium: interea ad Isaram expectarem. Indicabo temerarium meum consilium tibi: nihilo minus ire decreueram, existimans eum socium gloriæ uitare. Putabam posse me nec de laude ieiuni hominis delibe rare quicquam: & subesse tamen propinquis locis, ut si

Narratio.

durius aliquid esset, succurrere celeriter possem. Ego non malus homo hoc suspicabar. At Laterensis uir sanctissimus suo chirographo mittit mihi literas, in ijsq; desperans de se, de exercitu, de Lepidi fide, querensq; se destitutum. In quibus aperte denuntiat, uideam, ne fallar: suam fidem solutam esse: reipublicæ ne desim. Exemplar eius chirographi Titio dedi. Ipsa chirographa omnia, & quibus credidi, & ea, quibus fidem non habendam putaui, Leuospicio dabo perferẽda, qui omnibus his interfuit rebus. Accessit eò, ut milites eius, cum Lepidus concionaretur, improbi per se, corrupti etiam per eos, qui præsunt, Canidios, Rufrenosq;, & cæteros, quos, cum opus erit, scietis, conclamarent uiri boni pacem se uelle, neque esse cum ullis pugnaturos, duobus iam consulibus singularibus occisis, tot ciuibus pro patria amissis, hostibus deniq; omnibus iudicatis, bonisq; publicatis: neque hoc aut uindicarat Lepidus, aut sanarat. Huc me uenire, & duobus exercitibus coniunctis obijcere exercitum fidelissimũ, maxima auxilia, principes Galliæ, prouinciam cunctam, summæ dementiæ, & temeritatis esse uidi: mihiq;, si ita oppressus essem, remq; publicam mecum † perdidissem, mortuo non modò honorem, sed misericordiam quoq; defuturam. Itaq; rediturus sum: nec tanta munera perditis hominibus dari posse finam: ut exercitum locis habeã opportunis, prouinciã tuear, etiam si ille exercitus desciuerit, omnia ut integra seruem, dabo operã, quoad exercitus huc summitatis, pariq; felicitate rempub. hic uindicetis.

Consiliũ quare retro castra mouerit.

†prodidissem,

Epiphonema

Nec

Nec depugnare, si occasio tulerit: nec obsideri, si necesse fuerit: nec mori, si casus inciderit, pro uobis paratior fuerit quisquam. Quare hortor te mi Cicero, exercitũ huc traijciendum quamprimùm cures, & matures prius, quàm hostes magis corroborentur, & nostri perturbentur. In quo si celeritas erit adhibita, Respublica in possessione uictoriæ deletis sceleratis, permanebit. Fac ualeas, meq; diligas. Fratrem meum tibi, fortißimum ciuem, & ad omnia paratißimum excuso literis, qui ex labore in febriculam incidit assiduam, & satis molestã. Cum primum poterit istuc recurrere, non dubitabit, ne quo loco reipublicæ desit. Meam dignitatem commendatam habeas, rogo. Concupiscere me nihil oportet: habeo te & amantißimum mei, & quod optaui, summæ autoritatis. Tu uideris, quantum, & quando tuum munus apud me uelis esse. Tantum te rogo, in Hircij locum me subdas, & ad tuum amorem, & ad meam obseruantiam.

Hortatur Ciceronem ab utili.

Petitiones aliæ.

Conclusio.

ARG. EPIST. SEQ.

Cum Brutus recepisset se in Galliã ad Plancum, scripserat Plancus se cum eo ad patriæ defensionem consentire: de qua re nunc decrit Cicero senatũ, populumq; Rom. mirifice lætatũ. Deinde quod de agraria lege rogatus erat, dicit se ad id paratum fuisse, sed oppor tunitatem defuisse, iterum inflammans hominem. 200

M. T. C. Planco Con. Des. S. D. 200

IN te, & in collega omnis spes est, Dijs approbantibus. Concordia uestra, quæ senatui declarata literis uestris est, mirificè & senatus, & cuncta ciuitas delectata est. Quòd ad me scripseras de re agraria: si consultus senatus esset, ut quisq; de te honorificentißimam sententiam

Nuntiatoria. A spe concepta & de Plãco, & de Bruto.

Narratio.

dixisset, eam secutus essem: qui certè ego fuissem. Sed propter tarditatem sentẽtiarum, moramq; rerum, cùm ea, quæ cõsulebantur, ad exitũ non peruenirent: cõmodißimum mihi, Plancoq; fratri uisum est, uti eo, quod de nostro arbitratu cõponeretur, quis fuerit impedimẽto, arbitror te ex Planci literis cognouisse. Sed siue in senatusconsulto, siue in cæteris rebus desideras aliquid: sic tibi persuade, tantã esse apud omnes bonos tui charitatem, ut nullũ genus amplißimæ dignitatis excogitari possit, quod tibi nõ paratũ sit. Literas tuas uehementer expecto, & quidem taleis, qualeis maximè opto. Vale.

Narratio Pro mea natura qualis ego sum.

Conclusio

ARG. EPIST. SEQ.

Et se Laterensem q; excusat, ne temere credidisse Lepido existimentur, hortaturq; Ciceronem ut det operam apud Senatum, ut Octauius cum exercitu ad eum mittatur.

Plancus Ciceroni S. 201

NVnquàm mehercule, mi Cicero, me pœnitebit maxima pericula pro patria subire, dum, si quid acciderit mihi, à reprehensione temeritatis absim. Cõfiterer imprudentia me lapsum, si unquam Lepido ex animo credidissem. Credulitas enim error est magis, quàm culpa: & quidẽ in optimi cuiusq; mentem facilimè irrepit. Sed ego non hoc uitio penè sum deceptus. Lepidum enim pulchrè noram. Quid ergo est? Pudor me, qui in bello maximè est periculosus, hũc casum coegit subire. Nam nisi uno loco essem, uerebar, ne cui obtrectatorum uiderer & nimium pertinaciter Lepido infensus, & mea patientia etiam alere bellum. Itaq; copias propè in aspectũ Lepidi, Antonijq; adduxi, quadragintaq;

Exordium a prædicatione diligentiæ Nunciatoria & hortatoria Ab excusatione credulitatis suæ. Narratio longa. Excusatio temeritatis.

C millium

millium pãssuum spatio relicto consedi, eo consilio, ut uel celeriter accedere, uel cum salute recipere me possem. Adiunxi hæc in loco eligendo, flumen oppositum ut haberem, in quo mora transitus esset: Vocontij sub mana ut essent, per quorum loca mihi fideliter pateret iter. Lepidus desperato aduentu meo, quem non medio criter captabat, sed cum Antonio coniunxit ad IIII. Calend. Iunias: eodemq; die ad me castra mouerunt: uiginti millia pãssuum cũ abessent, res mihi nunciata est. Dedi operam Deũm benignitate, ut & celeriter me reciperem, & hic discessus nihil fugæ simile haberet, non miles ullus, non eques, non quicquam impedimentorum amitteretur, aut ab illis furentibus latronibus intercipe retur. Itaq; pridie Nonas Iunias omnes copias Isaram traieci, pontesq;, quos feceram, interrupi, ut & spatiũ ad se colligendum homines haberent, et ego me interea cum collega cõiungerem: quem triduo cum has dabam literas expectabam. Laterensis nostri & fidem, & animum singularem in Rempublicam semper fatebor. Sed certe nimia eius indulgentia in Lepidũ, ad hæc pericula perspicienda fecit eum minus sagacem. Qui quidem cũ in fraudem se deductum uideret, manus, quas iustius in Lepidi permciem armasset, sibi afferre conatus est. In quo casu tamen interpellatus, adhuc uiuit, & dicitur uicturus. Sed tamen de hoc mihi parum certum est. In magno cum dolore parricidarum elapsus sum ijs, uenie bant enim eodem furore in me, quo in patriam, incitati. Iracundias autem harum rerum recenteis habebam, quòd

Excusat Laterensem.

Narratio

quòd Lepidum castigare non desiteram, ut extingueret bellum: quòd colloquia facta improbabam, quòd legatos fide Lepidi dimissos ad me in conspectum uenire uetueram: quòd C. Catinium Vestinum Tribunum militarem missum ab Antonio ad eum cum literis, interceperam. In quo hanc capio uoluptatem, quòd certe quò magis me petiuerunt, tantò maiorem his frustratio dolorem attulit. Tu mi Cicero, quod adhuc feciſti, idem præsta: ut uigilanter, neruoseq; nos, qui stamus in acie, subornes. Veniat Cæsar cum copijs, quas habet firmissimas: aut, si ipsum aliqua res impedit, exercitus eius mitatur: cuius ipsius magnum periculũ agitur. Quicquid aliquando futurum fuit in castris perditorum cõtra patriam, hoc omne iam cõuenit. Pro urbis uerò salute curnõ omnibus facultatibus, quas habemus, utamur? Quòd si uos istic non defueritis, profectò quod ad me attinet, omnibus rebus abunde Reipublicæ satisfaciam. Te quidem mi Cicero in dies mehercule habeo chariorem: solicitudinesq; meas quotidie magis tua merita exacuũt, ne quid aut ex amore, aut ex iudicio tuo perdam. Opto ut mihi liceat iam præsenti pietate meorũ officiorũ tua beneficia tibi, facere iucundiora. Vale. Octauo Idus Iunias, Ciuarone, ex finibus Allobrogum.

Adhortatio

Ex periculi magnitudine

Conclusio

ARG. EPIST. SEQ.

Gratiarũ actio, cui addita est breuis cõmemoratio meritorũ Cicer.

Plan. Imp. Cons. Des. Cicer. S. D. 202

Nunciatoria epistola. Exorditur ab oliqua gratiarũ actione.

FAcere non possum, quin in singulas res, meritaq; tua tibi gratias agam. Sed mehercule facio cum pudore. Neq; enim tanta necessitudo, quantam tu mihi tecum

esse uoluisti, desiderare uidetur gratiarum actionem.

Extenuatio sui officij per collationem & factorum.

Neq; ego lubenter pro maximis tuis beneficijs tam uili munere defungor orationis: & malo præsens obseruantia, indulgentia, assiduitate memorẽ me tibi probare. Quòd si mihi uita contigerit, omneis gratas amicitias, atq; etiam pias propinquitates, in tui obseruantia, indulgentia, assiduitate uincam. Amor enim tuus, ac iudicium de me, utrum mihi plus dignitatis in perpetuum, an uoluptatis quotidie sit allaturus, non facilè dixerim.

Cur milites suos ornauit.

De militum commodis fuit tibi curæ: quos ego non potentiæ meæ causa (nihil enim me non salutariter cogitare scio) ornari uolui à senatu: sed primùm, quòd ita meritos iudicabam: deinde quòd ad omnes casus cõiunctiores Reipub. esse uolebam: nouissimè, ut ab omni omnium solicitatione auersos eos, taleis uobis præstare possem, quales adhuc fuerunt. Nos adhuc hic omnia integra sustinuimus. Quod consilium nostrum, etsi quanta sit auditas hominum, nõ sine causa, talis uictoriæ, scio: tamen uobis probari spero. Nõ enim si quid in his exercitibus sit offensum, magna subsidia Respub. habet expedita, quibus subito impetui, ac latrocinio parricidarum resistat. Copias uerò nostras notas tibi esse arbitror. In castris meis legiones sunt ueteranæ tres: tyronum uel lucubentissima ex omnibus una: in castris Bruti una ueterana legio: altera bima: † octo tyronum. Ita uniuersus exercitus numero amplissimus est, firmitate exiguus. Quantum autem in acie tyroni sit committendum, nimium sæpe expertum habemus. Ad hoc robur nostrorũ exercituum,

Narratio quare suis militibus petierit præmium diuidendorũ agrorũ a Senatu.

Alia narratio

† octo milliũ tyron.

tuum, siue Aphricanus exercitus, qui est ueteranus, siue Cæsaris accessisset, æquo animo summam reipublicæ in discrimen deduceremus. Aliquanto autem propius esse, quod ad Cæsarem attinet, uidebamus. Nihil destiti eum literis hortari, neq; ille intermisit affirmare, se sine mora uenire, cum interim auersum illũ ab hac cogitatione ad alia consilia uideo se contulisse. Ego tamen ad eum Furnium nostrum cum mandatis, literisq; misi, si quid fortè proficere posset. Scis tu mi Cicero, quod ad Cæsaris amorem attinet, societatẽ mihi esse tecum: uel quòd in familiaritate Cæsaris, uiuo illo, iam tueri eum, & diligere mihi fuit necesse: uel quòd ipse, quoad ego nosse potui, moderatissimi, atq; humanissimi fuit sensus: uel quòd ex tam insigni amicitia mea, atq; Cæsaris, hũc filij loco, & illius, & uestro iudicio substitutũ, non perinde habere, mihi turpe uidetur. Sed quicquid tibi scribo, do lenter mehercule magis quàm inimicè facio. Quòd uiuit Antonius hodie, quòd Lepidus unà est, quòd exercitus habent non contemnendos, quòd sperant, quòd audent, id omne Cæsari acceptũ referre possunt. Neq; ego superiora repetam. Sed ex eo tempore, quo ipse mihi professus est se uenire, si uenire uoluisset, aut oppressum iam bellũ esset, aut in aduersissimam illis Hispaniã cum detrimento eorum maximo detrusum. Quæ mens eum, aut quorum cõsilia à tanta gloria, sibi uerò etiam necessaria: ac salutaria uocârint, & ad cogitationẽ cõsulatus bimestris summo cũ terrore hominũ, & insulsa cum efflagitatione transtulerint, exputare non possum.

Tacite ostendit Cæsarem cum Antonio conspirare.

Occupatio

Mitigat hoc quod narrat.

Accusatio Octauij, quod relicto bello constituerit abire Romam ad petendũ consulatum.

Multum in hac re mihi uidentur necessarij eius, & Reipub. & ipsius causa proficere posse: plurimum, ut puto, tu quoq; : cuius ille tanta merita habet, quanta nemo præter me. Nunquàm uerò obliuiscar maxima, ac plurima me tibi debere. De his rebus, ut exigeret cum eo, Furnio mandaui. Quòd si quantã debeo, habuero apud eum autoritatem, plurimum ipsum iuuero. Nos interea duriori conditione bellum sustinemus, quòd neq; expeditissimam dimicationẽ putamus: neq; tamen refugiendo committere sumus, ut maius detrimentum Respub. accipere possit. Quòd si aut Cæsar se respexerit, aut Aphricanæ legiones celeriter uenerint, securos uos ab hac parte reddemus. Tu, ut instituisti, me diligas rogo, proprieq; tuum esse tibi persuadeas. Quinto Calendas Sextileis, ex castris. Vale.

Epilogus

Cõclusio ab hortatiũcula

Petitio

ARG. EPIST. SEQ.

Furnius Planci legatus diligentissime se pro republica gesserat, præsertim in Gallia Narbonensi: Itaq; cũ proximis comitiis præturam esset petiturus, uelletq; ob id relicta prouincia in urbem uenire, Cicero hac epistola suadet, ne id faciat, cum honori non sit futurum, & facilius assequatur sub consulatu Planci proximo. 203

M. T. C. C. Furnio S. P. D.

Si interest, id quod homines arbitrantur, Reipublicæ te, ut instituisti, atq; feci sti, nauare operam, rebusq; maximis, quæ ad extinguendas reliquias belli pertinẽt, interesse: nihil uideris melius, neq; laudabilius, neq; honestius facere posse. Istamq; operam tuam, nauitatem, animum in rempublicam celeritati præturæ anteponendam censeo. Nolo enim te ignorare, quantã laudem consecutus sis: mihi crede, proximam Planco, idq; ipsius Planci

Dilemma Dissuasoria epistola.

A conditione locus.

Exorditur a propositione ne ueniat Romam ob Præturam, & bellum inchoatũ relinquat.

Planci testimonio, prætereà fama, scientiaq; omnium. Quamobrem si quid operis tibi etiã nunc restat, id maximopere censeo persequendum. Quid enim honestius? aut quid honesto anteponendum? Sin autem satisfactum Reipub. putas, celeriter ad comitia, quando maturè futura sunt, ueniendum censeo: dummodo ne quid hæc ambitiosa festinatio imminuat eius gloriæ, quam consecuti sumus. Multi clarissimi uiri cum reipublicæ darent operam, annum petitionis suæ non obierunt. Quod eò facilius nobis est, quòd non est annus hic tibi destinatus: ut si Aedilis fuisses, post biennium tuus annus esset. Nunc nihil prætermittere uidebere usitati, & quasi legitimi temporis ad petendum. Video autem Planco consule, etsi etiã sine eo rationes expeditas haberes: tamen splendidiorem petitionẽ tuam, si modò ista ex sententia confecta essent. Omnino plura me scribere, cum tuum tantum consilium, iudiciumq; sit, non ita necesse arbitrabar: sed tamen sententiam meã tibi ignotam esse nolebam. Cuius est hæc summa, ut omnia te metiri dignitate malim, quàm ambitione: maioremq; fructum ponere in perpetuitate laudis, quàm in celeritate præturæ. Hæc eadem locutus sum domi meæ adhibito Qu. fratre meo, & Cæcinna, & Caluisio studiosissimis tui, cum Dardanus libertus tuus interesset: omnibus uidebatur probari oratio mea: sed tu optimè iudicabis. Vale.

A gloria, q... cõsecutus sis Altera conditio.

Ab exemplis dissuadet ne Romam reuertatur perendã Præturam.

A nullo incommodo.

Ab opportuno.

A pensatione Præturæ iam omissæ.

Epilogus

ARG. EPIST. SEQ.

Rursus deterret Furnium a petitione præturę: hortaturq; eum, ut potius, & prius expediat, quæ pro republica instituerat: ex eo enim dicit eum maiorẽ laudem assecuturũ. Hortaturq;, ne domum,

re nondum confecta, redeat, cum non minus honorifice alias prætor fieri possit. Pollicetur autem se daturum operam, ut comitia in Ianuarium differantur.

M. T. C. C. Furnio S. P. D. 204

Narrationes Dissuasoria, seu dehortatoria epistola

A timore quodam, quẽ serio cepit ex literis Furnij, captat beneuolentiam

Redit ad epistolam Furnij

LEctis tuis literis, quibus declarabas aut omittendos Narbonenses, aut cum periculo dimicandum, illud magis timui, quod uitatum non molestè fero. Quòd de Planci, & Bruti concordia scribis, in eo uel maximam spem pono uictoriæ. De Gallorum studio, nos aliquando cognoscemus, ut scribis, cuius id opera maximè excitatum sit. Sed iam (mihi crede) cognouimus. Itaq; iucũdissimis tuis literis stomachatus sum in extremo. Scribis enim, si in Sextilem comitia, citò te: si iam confecta, citius, ne diutius cum periculo fatuus sis. O mi Furni, quàm tu causam tuam non nosti, qui alienas tam facilè discas? Tu nunc candidatum te putas, & id cogitas, ut aut ad comitia curras: aut, si iam confecta, domi tuæ sis, scilicet ne cum maximo periculo, ut scribis, stultissimus sis?

Mollis reprehensio.

Dehortatur, ne ueniat Romam ad prætu ram.

Ratio ab honesto.

A magnitudine laudis.

Dilemma

Non arbitror te ita sentire: omneis enim tuos ad laudem impetus noui. Quòd si, ut scribis, ita sentis: non magis te, quàm de te iudicium reprehendo meum. Te adipiscendi magistratus leuissimi, & diuulgatissimi, si ita adipiscare, ut pleriq;, præpropera festinatio abducet à tantis laudibus, quibus te omnes in cœlum iure, & uerè ferunt? Scilicet id agitur, utrum hac petitione, an proxima Prætor fias, non ut ita de republica mereare, omni honore ut dignissimus iudicêre? Vtrum nescis, quàm altè ascenderis? an pro nihilo id putas? Si nescis, tibi ignosco: nos in culpa sumus. Sin intelligis, ulla tibi est

est prætura, uel officio, quod pauci: uel gloria, quam omnes sequuntur, dulcior? Hac de re & ego, & Caluisius homo magni iudicij, tuiq; amantissimus, de accusamus quotidie. Comitia tamen, quando ex his pendes,

Conclusio

quantum facere possumus, quod multis de causis reipublicæ arbitramur conducere, in Ianuariũ mensem protendimus. Vince igitur, & uale.

ARG. EPIST. SEQ.

Lepido a senatu mandatum erat, ut Antonium oppugnaret: ille uero corrupto animo, & in rempublicam male affecto, se cum Antonio coniuncturum decreuit; scripsit autem se uelle Romam uenire conciliandæ pacis inter ciues gratia: quam technam cum intellexisset Cicero, acerbe accusat Lepidum ingratitudinis, & pacem laudat, modo bona sit.

M. T. C. M. Lepido S. P D. 205

Suasoria epistola.

QVòd mihi pro mea summa erga te beneuolentia magnæ curæ est, ut quàm amplissima dignitate sis, molestè tuli, te Senatui gratias non egisse, cum esses ab eo ordine ornatus summis honoribus. Pacis inter ciueis conciliandæ te cupidum esse lætor. Pacem eam si à seruitute seiungis, consules & Reipublicæ, & dignitati tuæ. Sin ista pax perditum hominem in possessionem impotentissimi dominatus restituturа est, hoc animo sito omneis sanos, ut mortem seruituti anteponant. Itaq; sapientius, meo quidem iudicio, facies, si te in istam pacificationem non interpones, quæ neq; Senatui, neq; populo, neq; cuiquam bono probatur. Sed hæc audies ex alijs, aut certior fies literis. Tu pro tua prudentia, quid optimum factu sit, uidebis. Vale.

A reprehensione Lepidi et senatui gratias nõ egerit

Conclusio

Suadet Lepido ne se interponat in pacificationẽ inter ciues Romanos et Antonium.

Conclusio

ARG. EPIST. SEQ.

Cum uideret Cicero quantũ Antonius uexaret rempublicam post mortem Cæsaris, conqueritur de Trebonio, qui eum detinuerat ante fores senatus, donec Cæsar interficeretur: per hoc enim factum est, quo minus ille quoq; occideretur, & respublica mereliberaretur, quod factum uelit. scribitq; quam fortiter in Antonium in senatu dixerit, laudans bonos.

M. T. C. C. Trebonio S. P. D. 206

Nunciatoria epistola. A querela exorditur, & a uoto. Querela contraria a uoto.

QVàm uellem ad illas pulcherrimas epulas me Idibus Martij inuitassès: reliquiarum nihil haberemus. At nunc cum his tantum negotij est, ut uestrum illud diuinum in Rempub. beneficium nonnullam habeat querelam. Quòd uerò à te uiro optimo seductus est, tuoq; beneficio adhuc uiuit hæc pestis, interdum, quod mihi uix fas est, tibi subirascor. Mihi enim negotij plus reliquisti uni, quàm præter me omnibus. Vt enim primùm post Antonij fœdissimum discessum Senatus haberi liberè potuit, ad illum animum meum reuerti pristinum, quem tu cum ciue acerrimo patre tuo in ore, & amore semper habuisti. Nam cum Senatum ad XIII. Calend. Ianuar. trib. pleb. uocauissent, deq; alia re referrent, totã Rempublicam sum cõplexus, egiq; acerrimè: senatum q; iam languentẽ, & defessum ad pristinã uirtutẽ, consuetudinemq; reuocaui, magis animi, quàm ingenij uiribus. Hic dies, meaq; contentio, atq; actio, spem primùm populo Ro. attulit libertatis recuperandæ. Nec uerò ipse postea tempus ullum intermisi de Repub. non cogitandi solum, sed etiam agendi. Quòd nisi res urbanas, actaq; omnia ad te perferri arbitrarer, ipse perscriberem: quanquàm eram maximis occupationibus impeditus. Sed illa cognosces

Narrat ꝯ fortiter in Senatu, pro republ. dixerit.

Ab utili.

Apodioxis

Alia narratio

gnosces ex alijs: à me pauca, & ea summatim. Habemus fortem senatum: Consulares partim timidos, partim male sentientes. Magnum damnũ factum est in Seruio. Lucius Cæsar optimè sentit: sed quòd auunculus est, non acerrimas dicit sententias. Consules egregij: præclarus D. Brutus: egregius puer Cæsar: de quo spero equidem reliqua. Hoc uerò certum habeto, nisi ille ueteranos celeriter conscripsissèt, legionesq; duæ de exercitu Antonij ad eius se autoritatem contulissent, atq; is oppositus esset terror Antonio: nihil Antonium sceleris, nihil crudelitatis præteriturum fuisse. Hæc tibi, etsi audita esse arbitrabar, uolui tamen notiora esse. Plura scribã, cum plus otij habuero. Vale.

Alia narratio quales uiros habeat Resp.

Epilogus

ARG. EPIST. SEQ.

Ad eundem Appium uidetur scribere, ad quem scripsit libros tres: agens de rebus prouinciæ: nunc autem de salute scribens, dicit se pro ea iecisse optima fundamenta, nec cessaturum deinceps.

M. T. C. Appio S. P. D. 207

DE meo studio erga salutem, & incolumitatẽ tuam, credo te cognoscere ex literis tuorum: quibus me cumulatissimè satisfeciss̀e certò scio: nec his concedo, quanquam sunt singulari in te beneuolentia, ut te saluum malint, quàm ego. Illi mihi necesse est concedant, ut tibi plus, quàm ipsi, hoc tempore prodesse possim: quod quidem nec destiti facere, nec desistam: & iam in maxima refeci, & fundamenti ieci salutis tuæ. Tu fac bono animo, magnoq; sis, meq; tibi nulla re defuturum esse confidas. Pridie Nonas Quintileis. Vale.

Narratio de cura a studio suo pro salute Appij. Exorditur a suo erga salutem Appij

Cõclusio ab hortatiũcula

ARG.

ARG. EPIST. SEQ.

Galba unus fuit ex his, qui in Cæsarem coniurauerant, qui post eius mortem, cum Antonius defciuisset a uoluntate senatus, commissæ sunt quædam legiones aduersus eundem Antonium, qui Mutinæ obsidebat Brutum. Narrat autem hæc epistola, quemadmodum eo die, quo Pansa & Hircius consules erant futuri, in castris Antonius eos aggressus sit, & quid in eo conflictu effectum.

Sergius Galba M. T. Ciceroni S. P. D. 208

Narratio de pugna, qua uictus est Antonius.

Nunciatoria epistola.

A narratione incipit epistolam.

DEcimoseptimo Calendas Maij, quo die Pansa in castris Hircij erat futurus, cum quo ego eram (nam ei obuiam processeram millia passus centum, quò maturius ueniret) Antonius legiones eduxit duas, secundam & trigesimamquintam, & cohorteis prætorias duas: unam suam, alterã Syllani, & euocatorum partem. Ita obuiã uenit nobis, quòd nos quatuor legiones tyronum habere solum arbitrabatur. Sed noctu, quò tutius uenire in castra possemus, legionem Martiam, cui ego præesse solebam, & duas cohorteis prætorias miserat Hircius nobis. Cum equites Antonij apparuissent, contineri neq; legio Martia, neq; cohortes prætoriæ potuerunt, quas sequi cœpimus coacti, quando eas retinere non poteramus. Antonius ad Forum Gallorũ suas copias continebat: neq; sciri uolebat, se legiones habere: tantũ equitatum & leuem armaturã ostendebat. Posteaquàm uidit se inuito legionem ire Pansa, sequi se duas legiones iussit tyronum: posteà quàm angustias paludis, & syluas rum transiuimus, acies est instructa à nobis duodecim cohortũ (nondum uenerãt legiones duæ) repentè Antonius in aciem suas copias de uico produxit, & sine mora cõcurrit. Primò ita pugnatum est, ut acrius nõ posset ex

ex utraq; parte pugnari: & sic dexterius cornu, in quo ego eram cum Martiæ legionis cohortibus octo, impetu primo fugauerat legionem trigesimamquintam Antonij, ut amplius passus † centũ ultra aciem, quo loco steterat, processerit. Itaq; cùm equites nostrum cornu circuire uellent, recipere me cœpi, & leuem armaturam opponere Maurorum equitibus, ne auersos nostros aggrederentur. Interim uideo me esse in Antonianos, Antoniumq; post me esse aliquanto: repentè equum immissi ad eam legionem tyronũ, quæ ueniebat ex castris, scuto reiecto. Antoniani me insequi: nostri pila cõijcere uelle. Ita nescio quo fato sum seruatus quòd citò sum à nostris cognitus. In ipsa Aemilia, ubi cohors Cæsaris prætoriæ erat, diu pugnatũ est. Cornu sinisterius, quod erat infirmius, ubi Martiæ legionis duæ cohortes erant, & cohors prætoria, pedem referre cœperunt, quòd ab equitatu circuibantur, quo uel plurimum ualet Antonius. Cùm omnes se recepissent nostri ordines, recipere me nouissimus cœpi ad castra. Antonius tanquã uictor castra putauit se posse capere. Quò cum uenit, cõplureis ibi amisit, nec egit quicquam. Audita re Hircius cum cohortibus uiginti ueteranis redeunti Antonio in sua castra occurrit, copiasq; omneis eius deleuit, fugauitq; eodem loco, ubi erat pugnatũ ad Forũ Gallorũ. Antonius cum equitibus hora noctis quarta, se in castra sua ad Mutinam recepit. Hircius in ea castra rediit, unde Pansa exierat, ubi duas legiones reliquerat, quæ ab Antonio erant oppugnatæ. Sic partem maiorem suarum copiarum

† al. CC.

rum Antonius amiſit ueteranarũ. Nec id tamen ſine ali qua iactura cohortium prætoriarum noſtrarum, & legionis Martiæ fieri potuit. Aquilæ duæ, ſigna ſexaginta ſunt relata Antonij. Res bene geſta eſt. Ad XII. Calendas Maij, ex caſtris. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Excuſat ſe cur minus ſcripſerit, conqueriturq; de Balbo prætore ſuo, & quem animum habeat erga rempub. oſtendit: Poſtremo conſilium captat a Cæſare, num in prouincia manſurus ſit, an in Italiam ſe transferre debeat.

C. Aſinius Pollio M. T. Ciceroni
S. P. D. 209

Cõqueſtoria & nunciatoria epiſtola.

Captat benuolentiam ab excuſatione ceſſationis in mittendis literis. Vitur autem translatione, cur iã ſcribat: & eſt locus ab occaſione data.

Excuſatio

Mirum in me mirum debet tibi uideri, nihil me ſcripſiſſe de republica poſteà quàm itum eſt ad arma. Nam ſaltus Caſtulonenſis, qui ſemper tenuit noſtros tabellarios, etſi nunc frequentioribus latrocinijs infeſtior factus eſt: tamen nequaquam tanta in mora eſt, quanta qui locis omnibus diſpoſiti ab utraq; parte ſcrutantur tabellarios, & retinent. Itaq; niſi naue perlatæ literæ eſſent, omnino neſcirem, quid iſtic fieret. Nunc uerò nactus occaſionem, poſtea quàm nauigari cœptum eſt, cupidiſſimè, & quàm creberrimè potero, ſcribam ad te. Ne moueare eius ſermonibus, quem tametſi nemo eſt, qui uidere uelit, tamen nequaquam perinde, ac dignus eſt, oderunt homines: periculum non eſt. Adeò eſt enim inuiſus mihi, ut nihil non acerbum putem, quod commune cum illo ſit. natura autem mea, & ſtudia trahunt me ad pacis, & libertatis cupiditatem. Itaq; illud initium ciuilis belli ſæpe defleui. Cùm uerò nõ liceret mihi nullius partis

Propoſitio. Non coniungam me cum Antonio.

Querela.

tis eſſe, quia utrobiq; magnos inimicos habebam: in ea caſtra fugi, in quibus planè tutum me ab inſidijs inimici ſciebam non futurus, cõpulſus eò, quò minimè uolebam: ne in extremis eſſem, planè pericula nõ dubitanter adij. Cæſarem uerò, quòd me in tanta fortuna modò cognitum uetuſtiſſimorum familiarium loco habuit, dilexi ſumma cum pietate, & fide. Quæ mea ſententia gerere mihi licuit, ita feci, ut optimus quiſq; maximè probârit. Quod iuſſus ſum eo tempore, id ita feci, ut appareret inuito imperatum eſſe. Cuius facti iniuſtiſſima inuidia erudire me potuit, quàm iucunda libertas, & quàm miſera ſub dominatione uita eſſet. Ita ſi id agitur, ut rurſus in poteſtate omnia unius ſint, quicunq; is eſt, ei me profiteor inimicũ. Nec periculum eſt ullum, quod pro libertate aut refugiam, aut deprecer. Sed conſules neq; Senatuſconſultus, neq; literis ſuis præceperãt mihi, quid facerem. Vnas enim poſt Idus Martias demum à Panſa literas accepi, in quibus hortatur me ut ſenatui ſcribam, me, & exercitum in poteſtate eius futurum. quod cum Lepidus concionaretur, atq; omnibus ſcriberet ſe conſentire cum Antonio, maximè contrarium fuit. Nam quibus commeatibus inuito illo per illius prouinciam legiones ducerẽ? aut ſi cætera tranſiſſem, num etiã Alpes poteram tranſuolare, quæ præſidio illius tenentur? Adde huc, quòd perferri literæ nulla conditione potuerunt. Sexcentis enim locis excutiũtur, deinde etiam retinẽtur à Lepido tabellarij. Illud me Cordubæ pro cõcione dixiſſe nemo uocabit in dubium, prouinciã me nulli, niſi

A ſignis

Concluſio

Narratio

niſi qui à Senatu miſſus ueniſſet, traditurum. Nam de le-
gione trigeſima tradenda quantas habuerim cõciones,
Epilogus quid ego ſcribam? Qua tradita, quanto pro repub. in-
firmior futurus fuerim, quis ignorat? Hac enim legione
Concluſio repetita. noli acrius, aut pugnacius quicquam putare eſſe. Qua-
re me eum exiſtima eſſe, qui primũ pacis cupidiſſimus
Cõſuetudinis Ciceronis percupidum eſſe oſtendit. ſim (omneis enim ciues planè ſtudeo eſſe ſaluos) deinde
qui & me, & rempub. uindicare in libertatem paratus
ſim. Quòd familiarem meum in tuorum numero habes,
opinione tua mihi gratius eſt. Inuideo illi tamen, quòd
ambulat & iocatur tecum. Quod quanti æſtimem, ſi un-
quam licuerit uiuere in otio, experiere. Nullũ enim ue-
ſtigium abs te diſceſſurus ſum. Illud uehementer admi-
ror, non ſcripſiſſe te mihi manendo in prouinciá ne, an
ducendo exercitum in Italiam, reipub. magis ſatisfacu-
A narratione epiſtolã finit. re poſſim. Ego quidem etſi mihi tutius, ac minus labo-
rioſum eſt manere, tamen quia uideo tali tempore mul-
tò magis legionibus opus eſſe, q̃ prouincijs, quæ præſer-
tim recuperari nullo negotio poſſunt, conſtitui, ut nunc
eſt, cum exercitu proficiſci. Deinde ex literis, quas Pan-
ſa mihi miſit, cognoſces omnia: nam earum tibi exem-
plar miſi XVII. Calend. Aprilis, Cordubæ. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Conqueritur de Balbo flagitia eius recenſens, & quo animo erga ſenatum Rempub. ſit exponit: Poſtremo quid apud exercitum agat, exponit.

C. Aſinius Pollio M. T. Ciceroni S. P. D.

Nunciatoria epiſtola BAlbus quæſtor, magna numerata pecunia, magno pondere auri, maiore argenti coacto de publicis exactio-

exactionibus, ne ſtipendio quidem militibus reddito, du-
xit ſe à Gadibus, & triduum tempeſtate retentus, ad
Calpen Calend. Iunijs traiecit ſeſe in regnum Bogudis,
planè bene peculiatus. His rumoribus utrum Gadeis re-
feratur an Romam (ad ſingulos enim nuntios turpiſſi-
mè conſilia mutat) nondum ſcio: ſed præter furta, & ra-
pinas, & uirgis cæſos ſocios, hæc quoque fecit, ut ipſe
gloriari ſolet, eadem quæ C. Cæſar, ludis, quos Gadibus
fecit. Herennium Gallum Hiſtrionem ſummo ludorum
die annulo aureo donatũ, in quartumdecimum ſeſſum
deduxit: tot enim fecerat ordines equeſtris loci. Qua-
tuoruiratum ſibi prorogauit: comitia biennij biduo
habuit, hoc eſt, renunciauit: quos eiuiſum eſt, exules re-
duxit, non horum temporum, ſed illorum quibus à ſe-
ditioſis ſenatus trucidatus, aut expulſus eſt, Sexto Var-
ro proconſule. Illa uerò iam ne Cæſaris quidem exem-
plo, quòd ludis prætextam de ſuo itinere ad L. Lentu-
lum Proconſulem ſolicitandum poſuit. Et quidem cum
ageretur, fleuit, memoria rerum geſtarum commotus.
Gladiatorijs autem ob Fadium quendam militem Pom
peianum, quia, cum depreſſus in ludum bis gratis depu
gnaſſet, † autorari ſeſe nolebat, & ad populũ confuge- † autore
rat: primùm Gallos equites immiſit in populum (conie-
cti enim ſunt lapides in eum cum arriperetur Fadius)
deinde abſtractum defodit in ludo, & uiuum combuſſit:
cum quidem pranſus, nudis pedibus, tunica ſoluta, ma-
nibus ad tergum reiectis inambularet, & illi miſero
quiritanti. Ciuis Romanus natus ſum: reſponderet, Abi

A narratione facinorũ, quę a Balbo quæſtore ſunt perpetrata ductum exordium. Cõgeries flagitiorũ Balbi

nunc, populi fidem implora. Bestijs uerò ciueis Roma-
nos, etiam in his circulatorem quendam auctionum, no
tißimum hominem Hispali, quia deformis erat, obiecit.
Cum huiusmodi portento res mihi fuit. Sed de illo plura
coràm. Nunc, quod restat, quid me uelitis facere, con-
stituite. Treis legiones firmas habeo: quarum unam ui-
gesimam octauam cum ad se initio belli accersisset An
tonius hac pollicitatione: quo die in castra uenisset, de-
narios quingentos singulis militibus daturum: in uicto-
ria uerò eadem præmia, quæ suis legionibus (quorum
quis † ullam fidem, aut modum futurum putauit?) inci
tatißimam retinui, ægrè mehercule: nec retinuissem, si
uno loco habuissem, utpote cum singulæ cohortes quam
dam seditionem fecerint. Reliquas quoq; legiones non
destitit literis, atque infimtis pollicitationibus incitare.
Nec uerò minus Lepidus ursit me & suis, & Antonij li
teris, ut legionem trigesimam mitterem sibi. Itaque quę
exercitum neque uendere ullis præmijs uolui, nec eorũ
periculorum metu, quæ uictoribus illis portendebant
tur, diminuere, debetis existimare retentum, & conser
uatum reipublicæ esse: atque ita credere, quodcunque
imperasse tis, facturum fuisse, si quod non iußistis, fecis
Nam & prouinciam in otio, & exercitum in mea po-
testate tenui: finibus meæ prouinciæ nusquam excessi.
Militem nõ modò legionarium, sed ne auxiliariũ quí-
dem ullam quôquam misi: & si quos equites decedem-
tes nactus sum, supplicio affeci. Quarum rerum fructũ
satis magnum republica salua tulisse me putabo. Sed

Deliberat cũ amicis.
Alia narratio
† nullũ finẽ
Conclusio.

respublica si me satis nouisset, & maior pars Senatus
maiores ex me fructus tulisset. Epistolam, quam Balbo,
cum etiamnum in prouincia esset, scripsi, legendam tibi
misi: etiam prætextam, si uoles legere, Gallum Corne-
lium familiarem meum poscito. VI. Idus Iunias, Cora
dubæ. Vale.

† etiã nunc

ARG. EPIST. SEQ.

Scribit Ciceroni Pollio se tardius accepisse nuncios de conflictu Mutinensi, grauiterq; conqueritur de clade illa Reipubl. per Consulum mortem, cui quamprimum succurrendum consulit.

C. Asinius Pollio M. T. C. S. P. D. 211

QVò tardius certior fierem de prælijs apud Mutinã factis, Lepidus effecit, qui meos tabellarios, nouem dies retinuit. Tametsi tantam calamitatem Reipubl. quàm tardißimè audire, optandum est: sed illis quidem prodesse nihil possum, neque mederi. Atque utinam eo-
dem senatusconsulto, quo Plancum, & Lepidum in Ita-
liam accersistis, me quoque iußissetis uenire: profecto
non accepisset respub. hoc uulnus: quo si qui lætantur
in præsentia, quia uidentur & duces, & ueterani Cæ-
saris partium interijsse: tamen postmodum necesse est
doleant, cum uastitatem Italiæ respexerint. Nam & ro-
bur, & soboles militum interijt: si quidem, quæ nunci-
antur, ulla ex parte uera sunt. Neque ego non uidebam
quanto usui reipublicæ essem futurus, si ad Lepidum ue
nissem: omnem enim cunctationẽ eius discussissem, præ
sertim adiutore Planco. Sed scribenti ad me eiusmo-
di literas, quas leges, & concionibus uidelicet, quas

Nunciatoria epistola.
A translatione & occasione exorditur
Pathos.
Narratio.
Narratio.

Narbonæ habuisse dicitur, simularem planè necesse erat, si uellem commeatum per prouinciam eius iter faciens, habere. Prætereà uerebar, ne si antè, quàm ego inceptа perficerem, prælium confectum esset, pium meũ consilium raperent in contrariam partem obtrectatores mei, propter amicitiam, quæ mihi cum Antonio, nõ maior tamen, † quàm Planco fuit. Itaq; à Gadibus mense Aprili binos tabellarios in duas naueis imposui, & tibi, & consulibus & Octauiano scripsi, ut me faceretis certiorem, quonam modo † plurimũ possem prodesse reipublicæ. Sed ut rationem ineo, quo die prælium Parsa commisit, eodẽ à Gadibus naues profectæ sunt. Nulla enim post hyemẽ fuit ante eam diem nauigatio. Et hercule longè remotus ab omni suspicione futuri ciuilis tumultus, penitus in Lusitania legiones in hybernis collocaram. Ita porrò festinauit uterq; confligere, tanquam nihil peius timerent, quàm ne sine maximo reipublicæ detrimento bellum componeretur. Sed si properandum fuerit, nihil non summi ducis consilio gessisse Hirciũ uideo. Nam hæc mihi scribũtur ex Gallia Lepidi, & nunciantur, Pansæ exercitum concisum esse, Pansam ex uulneribus mortuum, eodem prælio Martiam legionem interijsse, et L. Fabatum, & C. Peduceum, & D. Carsulenum: Hirciano autem prælio & quartam legionem, & omneis † per equites Antonij cæsas. Item Hircij quartam, cùm castra quoq; Antonij cepisset, à quinta legione concisam esse. Ibi Hircium quoq; perijsse, & Pontium Aquilam: dici etiam Octauianum cecidisse. Quæ si (quod

† quàm cũ Planco

† primum

Altera narratio.

† peræquè Antonij cæs.

Dij prohibeant) uera sunt, non mediocriter doleo. Antonium turpiter Mutinæ obsessionem reliquisse, sed habere equitatum, ac legiones sub signis armatas treis, & Pupilli Bagieni unam, inermeis benè multos. Ventidium quoq; se cum legione septima, octaua, nona coniunxisse: si nihil in Lepido spei sit, descensurum ad extrema, & non modò nationes, sed etiam seruitia concitaturum: Parmam direptam: L. Antonium Alpeis occupasse. Quæ si uera sunt, nemini nostrum cessandũ est, neq; expectandum, quid decernat senatus. Res enim cogit huic tanto incendio succurrere omneis, qui aut imperium, aut nomen deniq; populi Romani saluum esse uolunt. Brutum enim decem & septem cohortes, & duas non frequentes tyronum legiones, quas conscripserat Antonius, habere audio. Neq; tamen dubito, quin omnes, qui supersint de Hircij exercitu, confluant ad eum. Nam in delectu non multum spei puto esse: præsertim cùm nihil sit periculosius, quàm spatium confirmandi sese Antonio dari. Anni autem tempus libertatem maiorem mihi dat, propterea quia frumenta aut in agris, aut in uillis sunt. Itaque proximis literis consilium meum expedietur. Nam neque deesse, neq; superesse reipublicæ uolo. Maximè tamen doleo, adeò & longo, & infesto itinere ad me ueniri, ut die quadragesimo post, aut ultrà etiam, quàm facta sunt, omnia nuncientur. Vale.

Hortatio. A necessario.

Consiliũ, ut totis uiribus sine cunctatione resistat Antonio, in qua re polliceatur Reip. suam operam

Conclusio pathetica.

ARG. EPIST. SEQ.

Excusat hac epistola, quod Antonium, ut potuisset, non cõtriuerit in Gallia, ad quam post cladem Mutinensem fugerat. adducit

autem pro excusatione se coactum ab exercitu consulere saluti tot bonorum ciuium: petitq; ne putetur coniunctus cum Antonianis, aut pacificatus scelere, aut perfidia, cum id misericordia fecerit.

M. Lepidus Imp. Item Pont. Max. S. D. Senat. popul. plebiq; Romanæ.

Commemoratio suæ uoluntatis.

Excusatoria epistola & petitoria.

Ab obtestatione exordiatur.

Excusat se Lepidus.

SI uos liberiq; uestri ualetis, bene est: ego quoq; ualeo. Deos, hominesq; testor Patres conscripti, qua mente, & quo animo semper in rempublicã fuerim, & quàm nihil antiquius communi salute ac libertate iudicârim: quod uobis breui probassem, nisi mihi fortuna propriũ consilium extorsisset. Nam exercitus cunctus consuetudinem suam in ciuibus conseruandis, communiq; pace, seditione facta, retinuit: meq; tantæ multitudinis ciuium Romanorum salutis, atq; incolumitatis causam suscipere, ut uerè dicam, coëgit. In qua re ego uos Patres conscripti oro, atq; obsecro, ut priuatis offensionibus omissis, summæ reipublicæ consulatis, né ue miseriordiam nostram, exercitusq; nostri, in ciuili dissensione, sceleris loco ponatis. Quòd si salutis omnium, ac dignitatis rationem habueritis: melius & uobis, & reipublicæ consuletis. Data IIII. Calendas Aprilis, à Ponte Argenteo. Valete.

Conclusio a petitione.

Ab utili.

ARG. EPIST. SEQ.

Quia Antonius superatus apud Mutinam, in Transalpinã Galliam se receperat, spe cõiungendi se cum Lepido: ipse Lepidus hac epistola docet Ciceronem, quid egerit in aduentu Antonij: & ubi aduersus eum castra fecerit, & qualem, & quantum exercitum habeat Antonius, a quo scribit ad se multos perfugisse.

M. Lepidus Imp. Item Pont. Max. 215

M. T. C. S. P. D.

Narratoria & gratiarum actio.

A narratione

SI uales bene est: ego quoq; ualeo. Cum audissem Antonium

tonium cum suis copijs, præmisso Lucio Antonio cum parte equitatus in prouinciam meam uenire: cum exercitu meo à confluente Rhodano castra moui, ac contra eos uenire institui. Itaq; continuis itineribus ad Forum Vocontium ueni, & ultrà, castra ad flumen Argenteum contra Antonianos feci. P. Ventidius suas legiones treis coniunxit cum eo, & ultra me castra posuit: habebat antea legionem secundam, & ex reliquis legionibus magnam multitudinẽ, sed inermium. Equitatum habet magnum. Nam omnis ex prælio integer discessit, ita ut sint amplius equitum triginta milia. Itaque ad me complures milites, & equites ab eo transierunt: & in dies singulos eius copiæ minuuntur: Syllanus, & Culleo ab eo discesserunt. Nos etsi grauiter ab his læsi eramus, quòd contra nostram uoluntatem ad Antonium ierant: tamen nostræ humanitatis: & necessitudinis causa, eorum salutis rationem habuimus. Nec tamen eorum opera utimur: neq; in castris habemus, neque ulli negotio præfecimus. Quod ad bellum hoc attinet, nec Senatui, nec Reipublicæ deerimus. quæ postea egerimus, faciam te certiorem. Etsi omni tempore summa studia officiaq; mutuo inter nos certatim constiterunt pro nostra inter nos familiaritate, & proinde diligenter ab utroque conseruata sunt: tamen non dubito, in tanto, & tam repentino motu Reipublicæ, quin nõnulla de me falsis rumoribus à meis obtrectatoribus me indigna, ad te delata sint, quæ tuũ animum magnopere mouerent pro tuo amore in rempublicam. Ea te

Excusatio.

moderatè accepisse, neq; temerè credendum iudicasse, à meis procuratoribus certior sum factus: quæ mihi, ut debent, gratissima sunt. Memini enim & illa superiora, quæ ab tua uoluntate profecta sunt, ad meam dignitatem augendam, & ornandam, quæ perpetuò animo meo fixa manebunt. Abs te mi Cicero magnopere peto, si meam uitam, & studium diligentissimè superioribus temporibus in Republica administranda, quæ Lepido digna sunt, perspecta habes, ut paria, aut eo ampliora reliquo tempore expectes: et proinde tua autoritate me tuendum existimes, quo tibi plura tuo merito debeo. Vale. XII. Calen. Iun. ex castris, ex Ponte Argenteo.

Conclusio a petitione.

ANNOTATIONES AC castigationes in decimum librum Epist. Famil. Ciceronis.

In Epist. 1.

De meo cursu) Alij legunt de medio cursu, qui fuit ultra Leucopetram.

Quietus fui) Id ostendunt Philippicæ

Impudentiss.) Al. impotentissimi

Tuum tempus) Tui Consulatus tempus

Et abfui) Generis suasorij. Narratio continet querelam de Antonij petulantia & immanitate

Sed quando) Propositio seu petitio, ut Senatui se adiungat, & Rempub. contra furiosum ciuem defendat.

Illud autem) Defert officium suum

Sed & te aliquanto) Clausula.

In Epist. 2.

Venire potuissem) Per Antonium, Epist. 2. lib. 12?

In Epist. 3.

Statuo esse communem — Al. statuo habere communem

Deuexata — Al. deiecta

Hoc tantum — Al. nunc tantum

Nam

Nam & in re militari — Exponit quid commemorauerit & iudicauerit Furnius de Planco.

Scis profecto — Collatio prioris seruitutis sub Cæsare & præsentis libertatis

In Epist. 4.

Patriam mihi — Al. paternam mihi

Mouere potuero — Al. monere potero

Gratissimę mihi — Exordium continet excusationem, cur nō scripserit.

Omnia igitur tua consilia — Propositio qua dicit se probare eius consilia

Nunc uero quid — Confirmatio consilij Ciceronis a præteritis rebus gestis

Nec nunc committam — De sua sollicitudine & studio

In Epist. 5.

Ad me tuæ expectatissimæ — Al. Ad me mihi expectatissimæ

Lætitiam attulit — Al. lætitiam attulerat

Maiori fructui — Al. maioris fructus

Pro patria — Al. proprium

Binas a te accepi — Exordiū a literarum prædicatione, & est uenusta collatio publici & priuati officij.

Adhuc enim patitur — Collatio utilitatum, per fortunam consecutus es res magnas, nunc uirtute consequeris.

His temporibus — Tertia ratio ab expectatione ciuium.

In Epist. 6.

In Remp. Consulari — Al. in Rempub. consularis

Tum in istis — Al. tua in istis

Quæ loquutus — Exordium ab occasione

Me autem impulit — Occupatio. Quanquam tibi non deest cōsilium, tamen ego dabo

Crede igitur — Adhortatio, quam amplificat inserta ratione. Senatui te adiungito, nam alioqui honores tui non erunt ueri honores.

Hæc impulsus beneuolentia — Excusatio, quod uideri possit seuerius scripsisse.

In Epist. 8.

Magna in spe — Alij legunt, magna mihi ipse

Largitionibus — Epist. 1. lib. 12.

Alliciendæ — Al. eliciendæ

Pararemus — Al. pateremur. Rectius alij legunt partiremur

Si cui forte — Defensio. Propositio, Occupatio

Non enim præteritam) Excusatio, quare serius denunciet se esse hostem Antonij.

Sed quum in eum) Ex utilitate. Profuit dissimulatio.

Neq; ad auxilium) Redit ad utilitatis explicationem, seu congeriem. Congeries, Quæ fuerint præparanda, exercitus confirmandus, ciuitates retinendæ in fide.

In Epist. 9.

Viennam) Al. Vienna.

A Lepido) Epist. 35. huius libri.

In Epist. 10.

Etiamnum) In ueteribus libris hic & alibi fere semper legitur, Etiam nunc.

Sit modo) Al. si modo erit

Is enim denique) Ætiologia, quare nondum sint decreti honores.

In Epist. 11.

Quædam pars exercitus) Epist. 35. huius libri

Ex uestra sententia) Al. ex nostra sententia

Nostra opera) Al. ex nostra opera.

In Epist. 12.

Gratiores) Al. graviores

Promissa meminissem) Epist. 4. huius lib. Quidam tamen legunt, præmissa, exponuntq; primitias quasdã: ita sane in manuscriptis libris sæpius leges

Complexus es, & tenes) Al. complexus es, tene

Etsi Reipub.) Exordium: Etsi Reipub. Causa gaudeo, tamen ex gaudeo tua causa

Caue enim ne putes) Ratio, placuerunt omnibus tua promissa.

Eam facultatem) Repetitio adhortationis.

In Epist. 14.

Atqui etiam) Al. atq; etiam

Latronum duces) M. Antonius & eius amici.

In Epist. 15.

Forum Iulij) Oppidum Narbonensis prouinciæ, lege Plin. lib. 3. cap. 4.

In Epist. 16.

Sententijs plenæ flagitare) Al. sententijs grauissimæ flagitare. Al. sententijs flagitare.

In Epist. 17.

Quod

Quod illa) Al. quod ex illa. Al. quod etiam illa

Me tueri) Al. metuuare

Fratrem meum) Excusatio quod frater ualetudinis causa in urbem ex castris redierit.

Quod si quis uestrum) Alia narratio de uoluntate Lepidi, & filiorum auxilijs.

In Epist. 18.

Leernus) Ab alijs, Lernus, & Lernius, ab alijs, Læus, ex Epist. 21. huius libri legitur

Non suis contractis) Alij legunt, in suis contractis.

Nullam habebat) Al. nullam habeat, uel, nullam habet

Multonis) Plin. lib. 7. cap. 43.

Metaremur) Al. hærerem. Al. me tenerem, idq; ut exercitum Lepidi in officio continerem, quamuis cũ Lepido nondum me cõiunxerim, Epist. 23. huius libri

Accidit mihi) Narratio, qua exponit quod fuerit periculosum illud consilium.

Solicitiorem) Epiphonema, estq; mutatio personæ, de se in tertia persona loquitur, Gell. lib. 4. cap. 15.

In Epist. 19.

Gratiarum) Epist. 11. huius libri

Confecerit) Epist. 13. huius libri.

In Epist. 20.

Accepit lit.) Epist. 14. lib. 11.

Adscripsisse) Al. scripsisse. Alij uero legunt, ad se scripsisse.

Literarum) Epist. 17. & 28. huius libri

Plance potuisti) Al. Plance uoluisti.

In Epist. 21.

Scripsiq; tibi) Epist. 18. huius libri

Quum Isaram flumen, uno die ponte confecto) Al. sin quum Isara flumine uno die ponte confecto. Videtur legendum, Quum in Isara flumine uno die ponte confecto exer.

Literas mihi, in ijsq; desperans) Al. literas mihi, meisq; desperans. quod mihi placet ne uerbum, uel potius latinam locutionem desideres

Titio dedi) Al. Titio misi

Leuocispio) Alij legunt, Leuo Cispio. forte legendum est, L. Cispio, de quo in commentarijs Oppius meminit

Viri boni) Al. ut uiri boni

Mecum perdidissem) Al. mecum prodidissem

Paratior fuerit) Al. paratior fuit

Quare

Quare hortor Petitio, ut curet in Senatu quamprimum mittit exercitum, quo Antonio & Lepido resisti possit

In Epist. 22.

De re agraria Al. de lege agraria, Epistola 24. huius libri & Epist. 20. lib. 11.

In Epist. 23.

Nisi uno loco essemus Al. si uno loco essem
Lepido infensus Al. Lepido offensus
Mea patientia Mea pertinacia, alijs magis placet
Cum salute Al. salutariter, Al. salutari loco
Vocontij Plin lib. 3. cap. 4.
Furentibus Al. feruentibus
Catinium Al. Catium
Interceperam Al. exceperam
Ciuarone Alij legunt Auenione
Credulitas enim Excusatio temeritatis.
Tu mi Cicero Adhortatio
Quicquid aliquando Ex periculi magnitudine.

In Epist. 24.

In tui obseruantia Al. in tua obseruantia
Impetui Al. impetu
Octo tyronum Quidam legunt, octo millia tyronum
Perinde) Al. proinde
Detrusum) Al. extrusum
Exputare) Al. explicare
V. Calend. sext. ex castris) Al. V. Calend. ex castris
Quod consilium nostrum) De consilijs belli quod noluerit effligere cum hostibus, & qualem habeat exercitum.
Aliquanto autem propius) De Augusto.
Sed quicquid tibi) Accusatio Octauij, quod relicto bello contituerit abire Romam ad petendum Consulatum
Nos interea) Epilogus
Tu ut instituisti, me diligas rogo) Petitio.

In Epist. 25.

Nauitatem) Alij legunt, maturitatem: alij nauatam
Anteponendam) Al. anteponendum
Scientiaq;) Al. sententiaq;.
Si interest) Dilemma. Est enim duplex propositio: Si istinc Respublica opus habet opera tua, ne propera ad præturam. Altera propositionis pars: Si istic Respub. nihil habet opus opera tua, ueni Romam.

In Epist. 26.

Aut omittendos) Al. aut dimittendos
In extremo) In extremis
Protendimus) Al. protrudimus.

In Epist. 27.

Esses ab eo) Al. esses quotidie ab eo
Pacis inter ciues) Epist. 6. huius libri
Pacem eam si) Reprehensio ex pacis simulatæ incommodis.
Itaq; sapientius) Epilogus constans breui adhortatione.

In Epist. 28.

Epulas) Cæsaris cædem, cœnam uocat Epist. 4. lib. 12.
Fœdissimum discessum) ex urbe in Galliam Cisalpinam
Quam uellem) A uoto. Vtinam cum Cæsare Antonius quoq; esset interfectus
Quod uero a te uiro) Narratio, quæ egerit in Senatu post discessum Antonij pro Repub.

In Epist. 30.

Millia passus) Millia passuum ex ueteribus libris, & latina loeutione leges
Concurrit) Al. cucurrit
Et sic dexterius) Al. Et si dexterius
Passus centum) Alij D. Alij CC. reponunt. in manu scriptis libris numerum non inuenimus.

In Epist. 31.

Castulonensis) Plin. lib. 3. cap. 3. & Cæsar lib. 1. de bel. ciuili.
Ne mouear) Al. ne moueare
Conciones) Quidam legunt, contentiones
Quod quanti) Al. quas res quanti
Pansa mihi misit Al. Pansæ missi
Minime tibi mirum Egregia epistola est, & plane Attica.

In Epist. 32.

Quartum decimum Melius quatuordecim, ex ueteribus libris & loquendi more
Pompeianum, quia Al. Pompeianum abiecit, quia
Depressus Al. deprehensus
Autorari Al. autore, hoc est iubente ipso Balbo, ut deputaret.
Coniecti Al. collecti
Auctionum Al. Anthionum ut sit uiri nomen
Præstat Al. restat
Vllum finem Al. ullam finem

Putauit

Putauit) Al.putaret.
Vipote) Al.ut puta
Quandam) Al.quædam.

In Epist.33.

Sed illis quidem prodesse nihil possum, neq; mederi) Al.sed illis, qui prodesse nihil possunt, nequeo mederi.
Post modum Al.postea
Narbonæ Legitur & Narbone, nã Narbo Martius dicitur
Simularem plane Victorius legit Simileos, palparer, libri ueteres ferme omnes, palmarer
Hirciano Al.Hircino
Equitatum Al.equitum legiones
Pupilli Bagienni Alijs placet legere, P.Bagienni.

In Epist.34.

Imp.item Alij legunt, Imp. hoc est, Imperator iterum
Voconrium Al. Voconij alij Voconiorum. Fortasse legendum Voconij, ut Epist.17. huius libri.
Antonianos feci Al. Antonianos steti
Inermium Al.inermorum
Triginta millia Al.Tria millia
Officiacq; Al.Officij
Argenteo Ab alijs legitur, Argentei fluuuius enim, in quo pons erat, Argenteus dicebatur.

In Epist.35.

Imp.item Imp. iter
Conseruandis Al.obseruandis
Argentea Al.Argentei.

M. T. CICERONIS EPISTOLARVM FAMILIARIVM LIBER XI.

ARG. EPIST. SEQ.

Interfecto Cæsare, & eodem ab Lepido laudato, & honorifico a plebe cõcitata cremato, Brutus profugit: de cuius calamitate Ciceronis Brutus nunc cõqueritur. suadetq;, ut cum Cassio Italia abiecta, quia Antonius eis aduersatur, & futurum uidet, ut hostes iudicentur. Aperit etiam in quibus spem præcipuam habeant.

D. Brutus

D. Brutus M. Bruto, & C. Cassio. S. D. 214

VO in statu simus, cognoscite. Heri uesperi apud me Hircius fuit: qua mente esset Antonius demonstrauit, pessima scilicet, & infidelissima. Nam se neque mihi prouinciam dare posse aiebat, neque arbitrari tutò in urbe esse quẽquam nostrum: adeò esse militum concitatos amicos, & plebis. Quod utrũque esse falsum, puto uos animaduertere: atq; illud esse uerum, quod Hircius demonstrabat, timere eum, ne si mediocre auxilium dignitatis nostræ habuissemus, nullæ partes ijs in Republica reliquerentur. Cum in his angustijs uersarer, placitum est mihi, ut postularem legationem liberam mihi, reliquisq; nostris, ut aliqua causa proficiscendi honesta quæreretur. Hoc se impetraturũ pollicitus est: nec tamen impetraturum confido, tanta est hominum insolentia, & nostri insectatio. At si dederint, quod petimus, tamen paulò pòst futurum puto, ut hostes iudicemur: aut aqua, & igni nobis interdicatur. Quid ergo est, inquis, tui consilij? dandus est locus fortunæ: cedendum ex Italia: migrandum Rhodum, aut aliquò terrarum arbitror. Si melior casus fuerit, reuertemur Romã: si mediocris, in exilio uiuemus: si pessimus, ad nouissima auxilia descendemus. Succurret fortasse hoc loco alicui uestrum, cur nouissimum tempus expectemus potius, quàm nunc aliquid moliamur: Quia ubi consistamus, non habemus, præter Sextum Pompeium, & Bassum Cæcilium: qui mihi uidentur hoc nuncio de

Narratio eorum quæ audiant ex Hircio de Antonio, & quid tandem futurũ existimet. Nuncitatoria & suasoria est epistola. A propositione exorditur Narratio.

† Quorum

Consilium suum narrat Brutus.

Subiectio.

Ratio cur nõ potius armis dimicent.

Cæsare

Petitio. Cæsare allato firmiores futuri. satis in tempore ad eos accedemus, ubi, quid ualeant, scierimus. Pro Cassio, & te, si quid me uelitis recipere, recipiam. Postulat enim

Pollicitatio. hoc Hircius ut faciam. Rogo uos quàm primum mihi re scribatis: nam non dubito, quin de his rebus ante horam quartam Hircius me certiorem sit facturus, quem in lo

Conclusio. cum conuenire possimus: quò me uelitis uenire, rescribite. post nouissimum Hircij sermonem, placitum est mihi postulare, ut liceret nobis esse Romæ publico præsidio: quod illos nobis concessuros non puto. magnam enim inuidiam ijs faceremus. Nihil tamen non postulatum putaui, quod æquum esse statueram. Valete.

ARG. EPIST. SEQ.

Concitatis a M. Antonio animis militum in interfectores Cæsaris, & Bruto, ac Cassio urbe egressis, consilium inierunt sciscitandi per literas humaniores, quo in se esset animo Antonius: itaq; significantes se summam in eo, & in eius fide fiduciam habere, rogãt certiores faciat, an tuti sunt Romæ futuri inter tot ueteranos milites.

M. Brutus & C. Cassius Præ. M. Antonio Cos. S. P. D.

Nunciatoria & peritoria epistola. Exordiũ habet cõmemorationem beneuolentiæ. Insinuatio. Narratio. Ratio petitionis.

DE tua fide, & beneuolentia in nos, nisi persuasum esset nobis, non conscripsissemus hæc tibi: quæ profectò, quando istum animum habes, in optimam partem accipies. Scribitur nobis magnam ueteranorum multitudinem Romam conuenisse iam, & ad Calendas Iunias futuram multò maiorem, de te si dubitemus, aut uereamur, simus nostri dissimiles. Sed certè cum ipsi in tua potestate fuerimus, tuoq; adducti consilio dimiserimus ex municipijs nostros necessarios, neq; solũ edicto, sed etiam literis id fecerimus: digni sumus, quos habeas tu consiij

consilij participes, in ea præsertim re, quæ ad nos pertinet. Quare petimus à te, facias nos certiores tuæ uoluntatis in nos: putes ne nos tutos fore in tanta frequentia ueteranorum, quos etiam de reponenda ara cogitare audimus? quod uelle te probare uix quisquam credere posse uidetur, qui nos saluos, & honestos uelit. Nos ab initio spectasse otium, nec quicquam aliud à libertate cõmuni quæsisse, exitus declarat. Fallere nemo nos potest, nisi tu: quod certè abest à uirtute tua, et fide. sed alius nemo facultatem habet decipiendi nos. tibi enim uni credimus, & credituri sumus. Maximo de nobis timore afficiuntur amici nostri: quibus etsi tua fides explorata est, tamen illud in mentem uenit, multitudinem ueteranorũ facilius impelli ab alio quolibet, quàm à te retineri posse. Rescribas nobis ad omnia, rogamus. Nam illud ualde leue est, ac nugatorium, ea re denuntiatum esse ueteranis, quòd de commodis eorum mense Iunio laturus esses. Quem enim impediměto futurum putas, cum de nobis certum sit nos quieturos? Non debemus cuiquam uideri nimium uitæ cupidi, cùm accidere nobis nihil possit sine pernicie, & confusione omnium rerum. Vale.

Petitio Propositio

Excusat cædem Iulij Cæsaris.

Conclusio Clausula quæ continet grauissimam sententiam ne metu mortis hæc scripsisse uideatur

ARG. EPIST. SEQ.

Expostulatio continens longam narrationem, in qua primum queruntur se contumeliosius tractatos esse in literis Antonij: deinde respondet ad eius minas.

M. Brutus, & C. Cassius Præt. M. Antonio Coss. S. P. D. 216

LIteras tuas legimus similimas edicti tui, contumelio-

Expostulato

ria & monitoria epistola. A narratiuncula. Expostulant cũ Antonio.

sas, minaces, minime dignas, quæ à te nobis mitterẽtur. Nos Antoni te nulla lacessiuimus iniuria: neq; miraturũ credidimus, si Prætores, et ea dignitate homines aliquid edicto postulassemus à cõsule. Quòd si indignaris ausos esse id facere: concede nobis, ut doleamus, ne hoc quidem abs te Bruto, & Cassio tribui. Nam de delectibus habitis, et pecunijs imperatis, exercitibus solicitatis, & nuntijs trans mare missis, quòd te questũ esse negas, nos tibi quidẽ credimus optimo animo te fecisse, sed tamen neq; agnoscimus quicquam eorum: & te miramur, cùm hæc reticueris, non potuisse continere iracundiam tuã, quin nobis de morte Cæsaris obijceres. Illud uerò quemadmodum ferendum sit, tute cogita: non licere Prætoribus concordiæ, ac libertatis causa, per edictum de iure decedere, quin Consul arma minetur. Quorum ducia nihil est quod nos terreas. Neq; enim decet, conuenit nobis, periculo ulli submittere animum nostrum. Neq; est Antonio postulandum, ut ijs imperet, quorum opera liber est. Nos si alia hortarentur, ut bellum ciuile suscitare uellemus, literæ tuæ nihil proficerent. Nulla enim minantis autoritas apud liberos est, sed pulchrè intelligis non posse nos quoquam impelli: & fortassis ea re minaciter agis, ut iudicium nostrum metus uideatur. Nos in hac sententia sumus, ut et cupiamus etiam in libera republica magnum, atq; honestum esse: uocemus te ad nullas inimicitias, sed tamen pluris nostram libertatem, quàm tuam amicitiam æstimemus. Tu etiam atq; etiam uide quid suscipias, quid

Epilogus, in quo animum suũ testantur & Antonium monent, ne quia temere moueat.

sustinere possis: neq; quandiu uixerit Cæsar, sed quàm non diu regnârit, fac cogites. Deos quæsumus cõsilia tua reipublicæ salutaria sint, ac tibi: si minus, ut salua, atq; honesta Republica, tibi quam minimum noceant, optamus. Pridie Nonas Sext. Vale.

Conclusio a petitione.

ARG. EPIST. SEQ.

Brutus antequam Mutinæ obsidebatur, se in Galliam transalpinam contulerat: unde ad Ciceronem scribens, petit suam dignitatem ab eo, ut confidit defensum iri.

D. Brutus Imper. M. C. S. P. D. 217

Si de tua in me uoluntate dubitarem, multis à te uerbis peterem, ut dignitatem meam tuerêre: sed profectò est ita, ut mihi persuasi, me tibi esse curæ. Progressus sum ad Transalpinos cum exercitu, non tam nomen captans imperatorium, quàm cupiens militibus satisfacere: firmosq; eos ad tuendas nostras res efficere: quod mihi uideor consecutus. Nam et liberalitatem nostram, & animum sunt experti. cum omnium bellicosissimis bellum gessi: multa castella cepi: multa uastaui. Non sine causa ad senatum literas misi. Adiuua nos tua sententia: quod cum facies, ex magna parte communi commodo inseruieris. Vale.

Exordium a commemoratione beneuolentiæ. Petitoria & nunciatoria Exordium ab apodioxi. Narratiuncula a bello gesto.

Conclusio a petitione.

ARG. EPIST. SEQ.

Excusat se primum Cicero, quare non rescripserit Bruto per Lupum, qui literas eius ad se attulerat, dicens se Romæ non fuisse: deinde hortatur Brutum, ut iactis tam magnis fundamentis libertatis, reliqua perficiat Antonium opprimendo, qui solus libertati obstet: polliceturq; se omnia pro eius dignitate facturum.

M. T. C. D. Bruto Imp. S. P. D. 218

Lupus familiaris noster cùm à te uenisset, cumq; Romæ quosdam dies commoraretur, ego eram in ijs locis,

Nunciatoria & hortatoria

Exorditur ab excusatione, quod propter Lupum Bruto non scripserit.

cis, in quibus maximè me tutò esse arbitrabar. Eò factũ est, ut ad te Lupus sine meis literis rediret, cùm tamẽ cu-

Narratio

rasset tuas ad me perferendas. Romam aũt ueni ad quin-

A maiori.

tum Idus Decembris, nec habui quicquam antiquius, q̃

Adhortatio

ut Pansam statim conuenirem: ex quo ea de te cognoui,

Ab expectatione.

quæ maximè optabam. Quare hortatione tu quidẽ non eges, si ne in illa quidem re, quæ à te gesta est, post homi-

num memoriam, maxima, hortatorem desiderasti. Illud

tamen breuiter significandum uidetur, populũ Roma-

num omnia te expectare, atq; in te aliquã do recuperan-

A rebus gestis hortatio est obliqua.

dæ libertatis omnem spem ponere. Tu, si dies, noctesq;

memineris (quod te facere certò scio) quantã rem gesse-

ris, non obliuiscêre profectò, quantæ tibi etiam nunc ge-

A periculo

rendæ sint. Si enim iste prouinciam nactus erit, cui quã-

dem ego semper amicus fui antè, quàm illũ intellexi non

modò apertè, sed etiam libenter cum republica bellũ ge-

Obsecratio

rere: spem reliquam nullam uideo salutis. Quamobrem

te obsecro iisdem precibus, quibus S. P. Q. R. ut in per-

petuum rempublicam dominatu regio liberes: ut prin-

Ab expectatione de Bruto concepta.

cipijs cõsentiant exitus. Tuũ est hoc munus, tuæ partes:

à te hoc ciuitas, uel omnes potius gentes non expectant

solùm, sed etiam postulant. quanquam cùm hortatione

non egeas, ut supra scripsi, non utar ea pluribus uerbis:

faciam illud, quod meum est, ut tibi omnia mea officia

studia, curas, cogitationes pollicear, quæ ad tuam lau-

Conclusio

dem & gloriam pertinebunt. Quàmobrem uelim tibi

ita persuadeas, me tum reipublicæ causa, quæ mihi uita

mea charior est: tũ quòd tibi ipsi faueam, tuamq; digni-

tatem

tatem amplificari uelim, tuis optimis consilijs, amplitudini, gloriæ, nullo loco defuturum. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Respondens Bruti epistolæ, dicit sibi Bruti dignitatem non minus quam suam esse commendatam, ac charam: dicitq; se eius causa iuisse in Senatum, & ibi dignitatem eius acerrime defendisse: quod ex alijs potius, quam ex se illum discere uelit: polliceturq; se omnia, quæ ad eum pertinebunt, pro uirili sua defensurum.

M. T. C. D. Bruto Imp. S. P. D. 219

Breuis narratio.

LVpus noster cùm Romam sexto die Mutina uenisset, postridie me manè conuẽit, tuaq; mihi mandata diligentissime exposuit, & literas reddidit. Quòd mihi tuam dignitatem commendas, eodem tempore existimo te mihi meam dignitatem commendare: quam mehercule non habeo tua chariorem. Quare mihi gratissimũ facies, si exploratum habebis, tuis laudibus nullo loco nec consilium, nec studium meum defuturum. Cùm tribuni plebis edixissent, Senatus adesset ad XIIII. Calendas Ianuarias, haberentq; in animo de præsidio Consulum designatorum referre: quanquam statueram in Senatũ ante Calendas Ianuarias non uenire, tamen cùm eo die ipso edictum tuum propositum esset, nefas esse duxi, aut ita haberi Senatum, ut de tuis diuinis in rempublicam meritis fileretur (quod factũ esset, nisi ego uenissem) aut etiam si quid honorificè de te diceretur, me non adesse. Itaq; in Senatum ueni manè: quod cum esset animaduersum, frequentissimi Senatores conuenerunt. Quæ de te in Senatu egerim, quæ in concione maxima dixerim, aliorum te literis malo cognoscere. Illud tibi persuadeas uelim: me omnia, quæ ad tuam dignitatem

Est responsoria ad cõmendatoriam.

Propositio de suo officio

A narratione exorditur.

Ostendit q̃ Bruti dignitatem defenderit: & est narratio.

Conclusio

augendam pertinebunt, quæ est per se amplissima, summo semper studio suscepturum, & defensurum. quod quanquam intelligo me cum multis esse facturũ, tamen appetam huius rei principatum. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Cum multi ex amicis Bruti domi Ciceronis consultarent, quid Bruto agendum esset, intererat Cn. Seius: a quo dicit Brutum posse omnia intelligere, monet autem ut pergat, nec expectet autoritatẽ, & iussa Senatus: qui satis iussisse ipsus est, cum se uelle significaret, licet ob metum palam non auderet.

M. T. C. D. Bruto Imp. S. P. D. 220

Est epistola hortatoria, et pertinet ad genus suasoriũ, estq; brevis narratio. Nunciatoria epistola. A narratione

CVm adhibuisset domi meæ Lupus me, & Libonem, & Seruium consobrinum tuum: quæ mea fuerit sententia, cognoscere te ex Cn. Seio arbitror, qui nostro sermoni interfuit. Reliqua, quanquam statim Seium Græceius est subsecutus, tamen ex Græceio poteris cognoscere. Caput autem est hoc, quod te diligentissimè percipere, & meminisse uelim, ut ne in libertate & salute populi Romani conseruanda autoritatem Senatus expectes nondum liberi, ne & tuum factũ condemnes (nullo enim publico consilio rempublicam liberasti, quò est etiam res illa maior, & clarior) & adolescentem, uel potius puerum Cæsarem iudices temerè fecisse, qui tantam causam publicam priuato consilio susceperit: demq; homines rusticos, sed fortissimos uiros, ciueisq; optimos dementeis fuisse iudices, primùm milites ueteranos cõmilitones tuos, deinde legionem Martiam legionem quartam, quæ suũ consulem hostem iudicauerunt, seq; ad salutem reipub. defendendam contulerunt. Voluntas Senatus pro autoritate haberi debet, cùm autoritas impeditur

Rationes ab exemplo.

ditur metu. Postremò susceptа tibi causa iam bis est, ut non sit integrum: primum Idibus Martijs, deinde proximè exercitu nouo, & copijs comparatis. Quamobrem ad omnia ita paratus, atq; animatus esse debes, non ut nihil facias, nisi iussus: sed ut ea geras, quæ ab omnibus summa cum admiratione laudentur. Vale.

Cõclusio ab hortatione.

ARG. EPIST. SEQ.

Eodem tempore, quo Antonius maximis uiribus opprimebatur Mutinæ, scripsit ad Brutum Cicero, dicens eius salutem maximè curæ esse Senatui, omniq; populo, cum sponte sua nomina darent, & ad militiam scriberentur pro liberando eodem, & per eum republica subleuanda a regno, ut liberata erat a rege.

M. T. C. D. Bruto Imp. S. P. D. 221

EO tempore Polla tua misit ad me, ut ad te, si quid uellem, darem literarum, cum quid scriberem, non habebam. Omnia enim erãt suspensa propter expectationem legatorum, qui quid egissent, nihil dum nuntiabatur. Hæc tamen scribenda existimaui. Primùm S. P. Q. R. de te laborare, non solum salutis suæ causa, sed etiam dignitatis tuæ. Admirabilis est enim quædam tui nominis charitas, amorq; in te singularis omnium ciuium. Ita enim sperant, atq; confidunt, ut antea rege, sic hoc tempore regno te rempublicam liberaturum, Romæ delectus habetur, totaq; in Italia: si hic delectus appellandus est, cum ultro se offerunt omnes: tantus ardor animos hominum occupauit desiderio libertatis, odioq; diutinæ seruitutis. De reliquis rebus à te iam expectare literas debemus, quid ipse agas, quid noster Hircius, quid Cæsar meus: quos spero breui tempore societate uictoriæ tecum copulatos fore. Reliquum est,

Illa etiam est obliqua hortatio. Nunciatoria epistola. A narratiuncula. Propositio Aliæ narrationes. Exordium ab occasione scribendi.

Epiphonema.

Conclusio

Pollicitatio officij.

ut de me id scribã, quod te ex tuorum literis & spero, & malo cognoscere: me neq; deesse ulla in re, ne unquã defuturum dignitati tuæ. Fac ualeas.

ARG. EPIST. SEQ.

Fuso Antonio apud Mutinam, non sine clade uictorum, quia Hircius, & Pansa consules in eo conflictu ceciderant. hortatur Brutus Ciceronem, ut prospiciat, ne per necem consulum hostis uires augeantur: dicitq; quid ipse sit facturus, & quid sentiat de Lepido, Pollione, & Planco.

D. Brutus M. T. Ciceroni S. P. D. 222

Breuis querela addita adhortatione. Hortatoria, & petitoria epistola. A querela de obitu Pansæ. Hortatio a necessitate. A sua opera. Expositio suorum consiliorum de bello. Prolepsis obiectionis. Conclusio, quo consilio hæc scribat.

PAnsa amisso, quantum detrimenti respublica acceperit, non te præterit: nũc autoritate, & prudentia tua prospicias oportet, ne inimici nostri, consulibus sublatis, sperent se cõualescere posse. Ego, ne consistere possit in Italia Antonius, dabo operam. sequar eum confestim. utrunq; me præstaturum spero, ne aut Ventidius elabatur, aut Antonius in Italia moretur. In primis rogo te ad hominem uentosissimum Lepidum mittas, ne bellum nobis redintegrare possit, Antonio sibi coniuncto. Nam de Pollione Asinio puto te prospicere, quid sit facturus. Multæ & bonæ, & firmæ sunt legiones Lepidi, & Asinij. Neq; hæc idcirco tibi scribo, quòd te non eadem animaduertere sciam, sed quòd mihi persuasissimum est, Lepidum recte facturum nunquam, si fortè uobis id de hoc dubium est. Plancum quoq; cõfirmetis oro: quem spero pulso Antonio Reipub. non defuturum. Si se Alpeis Antonius traiecerit, cõstitui præsidium in Alpibus collocare, & te de omni re facere certiorem. Quarto Calend. Maias, ex castris, Regij. Vale.

A narratiuncula ducta cõclusio. Repetitio cõsilij.

ARG.

ARG. EPIST. SEQ.

Dicit se plurimum debere Ciceroni, a quo grauissime defensus erat. Ostendit etiam in quanto periculo sit respub. & quid moliatur Antonius: cuius inceptus facile obsistere potuisset, si Cæsarem Octauium adiutorem habuisset: quod & senatui indicari petit, & in quanta sit pecuniæ penuria.

D. Brutus M. T. Ciceroni S. P. D. 223

Exordium a commemoratione officiorum Ciceronis, pro quibus pollicetur perpetuã gratulationẽ. Nunciatoria epistola. In exordio ostendit se malle a Cicerone, q̃ alijs defendi. Propositio Apodioxis Id est Hircij & Pansæ.

NOn mihi rempublicam plus debere arbitror, quàm me tibi. gratiorẽ me esse in te posse, quàm isti peruersi sint in me, exploratum habes. Si autem hoc tempore ab his uideatur dici causa simulationis, mallem mehercule tuum iudicium, quàm ex altera parte omnium istorum. Tu enim à certo sensu, & uero iudicas de nobis: quod isti ne faciant, summa maleuolentia, & liuore impediũtur. Interpellent me, quò minus honoratus sim, dum ne interpellent, quò minus Respublica à me cõmodè administrari possit. Quæ quãto sit in periculo, quàm potero breuissimè exponã. Primum omnium quantam perturbationem rerum urbanarum afferat obitus Consulum, quantamq; cupiditatem hominibus inijciat nouitas, non te fugit. Satis me multa scripsisse, quæ literis cõmendari possint, arbitror. Scio enim cui scribam. Reuertor nunc ad Antonium: qui ex fuga cum paruulam manum peditum haberet inermium, ergastula soluendo, omneq; genus hominum arripiendo, satis magnum numerum uidetur effecisse. Huc accesit manus Ventidij, quæ trans Apenninum itinere facto difficilimo, ad Vada peruenit, atq; se ibi cum Antonio coniunxit. Est numerus ueteranorum, & armatorum satis frequens cum Ventidio. Consilia Antonij hæc sint, necesse est, aut

Epistola 13. huius libri, et Strabo lib. 4 Consilia Antonij exponit.

ad Lepidum ut se conferat, si recipitur: aut Appennino, Alpibusq; se teneat, & decursionibus per equites, quos habet multos, uastet ea loca, in quæ incurrerit: aut rursus se in Hetruriam referat: quòd ea pars Italiæ sine exercitu est. Quòd si me Cæsar audisset, atq; Appennum transisset: in tantas angustias Antonium compulisset, ut inopia potius, quàm ferro conficeretur. Sed neq; Cæsari imperari potest: nec Cæsar suo exercitui, quod utrunq; pessimum est. Cum hæc talia sint: quò minus, quod ad me pertinebit, homines interpellent, ut suprà scripsi, non impedio. Hæc quemadmodũ explicari possint, aut, à te cum explicabũtur, ne impediantur, timeo.

Al. compulissem.

Narratio

Alere iam milites non possum. Cum ad rempublicam liberandã accessissem, mihi fuit sestertiũm quatuor millibus amplius. Tantũ abest, ut meæ rei familiaris liberum sit quicquã, ut meos iam omneis amicos ære alieno obstrinxerim. Septenum numerum legionum alo: quæ difficultate, tu arbitrare. Non si Varronis thesauros haberem, sustinere sumptum possem. Cum primum de Antonio exploratum habuero, faciam te certiorem. Tu me amabis ita, si me hoc idem in te facere senseris. III. Nonas Maij, ex castris Derthona. Vale.

Al. pecuniæ 400. unde mendosum esse locum quidam suspicantur.

ARG. EPIST. SEQ.

Ex Alpibus scribẽs Brutus, dicit se dubitare de Lepido, & Planco, ne cum Antonio cõiungantur, quia miserat ad eos nuncios occulte. Dicit se expectare Allobrogas: & petit a Cicerone defendi.

D. Brutus Imp. & Cõs. Desi. M. T. C. S. D. 224

Narratio de Antonij pro

EOdem exẽplo literæ à te mihi redditæ sunt, quo priores mihi attulerunt. Tantum me tibi debere existimo, quantum

quantum persoluere difficile est. Scripsi tibi, quæ hìc gererẽtur in itinere est Antonius: ad Lepidum proficiscitur: ne de Planco quidẽ spem adhuc abiecit, ut ex libellis eius animaduerti, qui in me inciderũt. In quibus quos ad Asinium, quos ad Lepidum, quos ad Plancum mitteret, scribebat. Ego tamen non habui ambiguum, & statim ad Plancum misi: & biduo ab Allobrogibus, & totius Galliæ legatos expecto, quos confirmatos domum remittam. Tu, quæ istìc opus erunt administrari, prospicies, ut ex tua uoluntate, reiq; publicæ cõmodo fiant. Maleuolentiæ hominũ in me, si poteris, occurres: si non poteris, hoc te consolabere, quòd me de statu meo nullis contumelijs deterrere possunt. Pridie Nonas Maij, ex castris, finibus Statielensium.

fectione & spe. item de suo studio pro repub.

Aliæ narrationes.

Cõclusio ab hortatione.

ARG. EPIST. SEQ.

Cum intellexisset Cicero quas uires haberet Antonius, dicit eũ nõ fugisse, sed locũ mutasse uideri: itaq; Brutũ culpari, quod eũ non statim persecutus: monetq; caueat dare iustam querelę causam.

M. T. C. D. Bruto Imp. S. P. D. 225

TReis uno die à te accepi epistolas: unam breuem, quã Flacco Volumnio dederas: duas pleniores, quarum alteram tabellarius T. Vibij attulit, alteram ad me misit lupus. Ex tuis literis, & ex Græceij oratione, non modò non restinctum bellum, sed etiam inflammatum uidetur. Non dubito autem pro tua singulari prudentia quin perspicias, si aliquid firmitatis nactus sit Antonius, omnia illa tua præclara in rempublicam merita ad nihilum esse uentura. Ita enim Romam erat nunciatũ, ita persuasum omnibus, cum paucis † inermibus, perterritis

Narratio quæ continet quandam reprehensionẽ quod passus sit Antonium effugere, simul monens ut studeat opprimere Antonium. Narratio alia

Al. inermis.

perterritis metu, fracto animo fugisse Antonium. Qui si ita se habet, ut, quemadmodum audiebam de Græceio, confligi cum eo sine periculo non posit: non ille mihi fugisse à Mutina uidetur, sed locum belli gerendi mutasse. itaq; homines alij fracti sunt: nonnulli etiam quæruntur, quòd persecuti non sitis: opprimi potuisse, si celeritas adhibita esset, existimant. Omnino est hoc populi, maximeq; nostri, in eo potissimum abuti libertate, per quem eam consecutus sit. Sed tamen prouidendum est, ne qua iusta querela esse posit. Res sic se habet. Is bellum confecerit, qui Antonium oppresserit. Hoc quam habeat uim, te existimare malo, quàm me apertius scribere. Vale.

Al. existimatur.
Conclusio

ARG. EPIST. SEQ.

Quia in præcedenti epistola Cicero familiariter monuerat Brutum, ut daret operã, ne iusta habeatur de eo querela: Brutus se rantum debere Ciceroni fatetur, ut agendo gratias non putet se fortis futurum: purgat autem, quod non statim persecutus sit Antonium, adducens uarias rationes, & bonam de se spem concitans.

Nunciatoria epistola
Ab extenuatione sui ipsius & à gratitudine exordiatur.
Narrat & excusat se cur non cõfestim Antonium secutus sit, nec sequi potuit. item quę tentarit, postquã quo loco consisteret Antonius cognorit.

D. Brutus M. T. Ciceroni S. P. D. 226

IAm non ago tibi gratias. Cui enim re uix referre possum, huic uerbis non patitur res satis fieri. Attendere te uolo, quæ in manibus sunt. qua enim prudentia es, nihil te fugiet, si meas literas diligenter legeris. Sequi cõfestim Antonium his de causis Cicero non potui: erant sine equitibus, sine iumentis. Hircium periisse nesciebãs: Cæsari non credebam prius, quàm conuenissem, & collocutus essem. Hic dies hoc modo abijt. Postridie manè à Pansa sum accersitus Bononiam. Cum in itinere essem, nuntiatum mihi est cum mortuũ esse. Recurri ad meas copias:

copiolas: sic enim uerè eas appellare possum. Sunt extenuatissimæ, & inopia omnium rerum pessimè acceptæ. Biduo me Antonius anteceßit, itinera fecit multò maiora fugiens, quàm ego sequens. Ille enim ijt passim, ego ordinatim. quacunq; iuit, ergastula soluit, homines arripuit, cõstitit nusquã prius, quàm ad Vada uenit. Quem locum uolo tibi esse notum. Iacet inter Appenninum, & Alpeis impeditissimus ad iter faciendum. Cùm abessem ab eo millia passuum triginta, & se iam Ventidio coniunxisset: concio eius ad me est allata, in qua petere cœpit à militibus, ut se trans Alpeis sequerentur, sibi cum M. Lepido conuenire. Succlamatum est, & frequenter à militibus Ventidianis (nam suos ualde quàm paucos habet) sibi aut in Italia pereundũ esse, aut uincendum. Etiam orare cœperũt, ut Pollentiam iter facerent. Cùm sustinere eos non posset, in posterum diem iter suũ contulit. Hac re mihi nuntiata, statim quinq; cohorteis Pollentiã præmisi, meumq; iter eò contuli. hora antè præsidium meum Pollentiam uenit, quàm Trebellius cum equitibus. sanè quàm sum gauisus. in hoc enim uictoriã puto consistere. In spem uenerant, quod neque Planci quatuor legiones omnibus suis copijs pares arbitrabantur: neq; ex Italia tam celeriter exercitum traijci posse credebant. quos ipsi adhuc satis arroganter Allobroges, equitatusq; omnis, qui eò præmissus erat à nobis, sustinebant: nostroq; aduentu sustineri facilius posse confidimus. Tamen si quo etiam casu Isaram se traiecerint, ne quid detrimenti reipublicæ iniungãt, summa à nobis

Topographia.
Plin. lib. 3. cap. 5.

dabitur

dabitur opera. uos magnum animum, optimamq; spem de summa reipublicæ habere uolumus, cùm & nos, & exercitus nostros singulari concordia coniunctos, ad omnia pro uobis uideatis paratos. Sed tamen nihil de diligentia remittere debetis, dareq; operam, ut quàm paratissimi ab exercitu, reliquisq; rebus pro nostra salute contra sceleratissimam conspirationem hostium consistamus. qui quidem eas copias, quas diu simulatione reipublicæ comparauerant, subitò ad patriæ periculum conuerterunt. Vale.

Epilogus cõfians cũ cõsolatione et adhortatione.

ARG. EPIST. SEQ.

Scripserat consilia sua de decem uiris creandis, uel dignitate cõferẽda Cæsari, quæ placuisse Bruto dicit se gaudere, addens quantum de eo speret, & quid de libertate pub.

M. T. C. D. Bruto Imp. S. P. D. 227

Mirabiliter mi Brute lætor, mea consilia, measq; sententias à te probari de Decemuiris, de adornando adolescente. Sed quid refert? mihi crede, homini non glorioso, planè iam Brute, frigeo: ὄργανον enim erat meum Senatus: id est iam dissolutum. Tantam spem attulerat exploratæ uictoriæ tuæ præclara Mutinæ eruptio, fuga Antonij concisо exercitu, ut omnium animi relaxati sint, meaq; illæ uehementes cõciones tanquàm σκιαμαχίαι esse uideantur. Sed ut ad rem redeam, legionem Martiam, & quartam negant, qui illas norunt, ulla conditione ad te posse perduci. Pecuniæ, quam desideras, ratio potest haberi, eaq; habebitur. De Bruto accersendo, Cæsareq; ad Italiæ præsidium tenendo, ualde tibi assentior. Sed, ut scribis, habes obtrectatores: quos equidem

Nunciatoria epistola. Exorditur & a gaudio quod cepit ex eo, quod uiderat sua probari a Bruto, & sua fortuna.

Id est, instrumentum.

Id est, umbratiles pugnæ.

equidem facilimè sustineo, sed impediunt tamen. Ex Aphrica legiones expectãtur. Sed bellum istic renatum homines mirãtur. nihil tam præter spem unquam. Nam die tuo natali uictoria nuntiata, in multa secula uidebamus rempublicam liberatam. Noui timores retexunt superiora. Scripsisti autem ad me ijs, quas Idibus Maijs dedisti, modo te accepisse à Planco literas, non recipi à Lepido Antoniũ. Id si ita est, omnia faciliora: sin aliter, magnum negotium: cuius exitum ne extimescam, tuæ partes sunt. Ego plus, quàm feci, facere non possum. Te tamen, id quod spero, omnium maximũ, & clarissimum uidere cupio. Vale.

Conclusio

ARG. EPIST. SEQ.

Mandarat Plãco Brutus, ut se apud Ciceronẽ excusaret, quod ad eum non scripserat: quod factum esse sibi placere dicit, sicut & concordiam Planci, ac Bruti: monens Brutum, ut se solum miretur.

M. T. C. D. Bruto Imp. S. P. D. 228

Etsi mihi tuæ literæ iucundissimæ sunt: tamen iucundius fuit, quòd in summa occupatione tua Planco collegæ mandasti, ut te mihi per literas excusaret: quod fecit ille diligenter. mihi autem nihil amabilius officio tuo & diligentia. Coniunctio tua cum collega, concordiaq; uestra, quæ literis † cõmunibus declarata est, S. P. Q. R. gratissima accidit. Quod superest, perge mi Brute: & iam non cum alijs, sed tecum ipse certa. Plura scribere non debeo, præsertim ad te, quo magistro breuitatis uti cogito. Literas tuas uehementer expecto, & quidem tales, qualeis maximè opto. Vale.

Exordium a comprobatione officij. A narratiuncula.

Narratiuncula. Hortatio

†omnibus

ARG.

ARG. EPIST. SEQ.

Hæc epistola cõmendatitia, paucisuerbis uim amplissimã continet. Commendat aũt Lamiam Bruto absenti, petens ab eo, ut Lupus pro eo centurias conueniat ad prætură eidem impetrandam.

M. T. C. D. Bruto Imp. S. P. D. 229

Insinuatio est qua oblique excusat se illi quod nolit ei molestus esse Commendatoria epistola A loco communi exorditur.

PErmagni interest, quo tibi hæc tẽpore epistola reddita sit: utrum cum solicitudinis aliquid haberes, an cum ab omni molestia uacuus esses. Itaq; ei præcepi quàd te misi, ut tempus obseruaret epistolæ tibi reddendæ. Nam quemadmodum coràm, qui ad nos intempestiuè adeunt, molesti sæpe sunt: sic epistolæ offendunt non loco redditæ. Si autem, ut spero, nihil te perturbat, nihil impedit: & ille, cui mandaui, satis scitè, & commodè tempus ad te cœpit adeundi: confido me, quod uelim, à te facilè impetraturum. L. Lamia prætură petit. Narratio, qua causas commendationis exponit. hoc ego utor uno omnium plurimum. Magna uetustas, magna consuetudo intercedit: quodq; plurimum ualet, nihil mihi eius est familiaritate iucundius. Magno prætereà beneficio eius, magnoq; merito sum obligatus. Nam Clodianis temporibus cum equestris ordinis princeps esset, proq; mea salute acerrimè propugnaret, à Gabinio consule relegatus est: quod ante id tempus ciui Romano Romæ contigit nemini. Hoc ciùm populus Rom. meminit, meipsum non meminisse turpissimum est. Quapropter persuade tibi mi Brute, me petere prætură. Quanquam enim Lamia summo splendore, summa gratia est usus magnificentissimo munere ædilitio: tamen quasi ea ita nõ essent, ego suscepi totum Petitio negotiũ. Nunc si me tanti facis, quãti certè facis, quando equitum

equitum centurias tenes, in quibus regnas, mitte ad Lupum nostrum, ut is nobis eas centurias conficiat. Non tenebo te pluribus. Ponam in extremo, quod sentio. Nihil est Brute, cum omnia à te expectem, quod mihi gratius facere possis. Vale. Ab amore Bruti erga se Ciceronem. Conclusio Epiphonema.

ARG. EPIST. SEQ.

Commendat eodem argumento eundem Lamiam, quem in superiori epistola, D. Bruto, ut eum adiuuet in obtinenda prætura: quo nihil sibi gratius fieri posse affirmat.

M. T. C. D. Bruto Imp. S. D. 230

LAmia uno omnium familiarissimè utor. Magna eius in me non dico officia, sed merita: eaq; sunt Pop. Romano notissima. Is magnificentissimo munere ædilitatis perfunctus petit prætură: omnesq; intelligunt nec dignitatem ei deesse, nec gratiam. Sed is ambitus extare uidetur ut ego omnia pertimescam, totamq; petitionem Lamiæ mihi sustinendam putem. In ea re quantum me possis adiuuare, facilè perspicio: nec uerò, quantum mea causa uelis, dubito. Velim igitur mi Brute tibi persuadeas, nihil me maiore studio à te petere, nihil te mihi gratius facere posse, quàm si omnibus tuis opibus, omni studio Lamiam in petitione iuueris: quod ut facias, uehementer te rogo. Vale. Narratio Commendatoria epistola A narratione causarum cõmendationis Lamiæ. Propositiõ A possibili. Conclusio Petitio

ARG. EPIST. SEQ.

Narratio, in qua reprehendit timiditatem Bruti, qui hoc solum uerebatur, ne Antonius iam pulsus a Mutina, coniungeret se cum Lepido, & nouos excitaret tumultus.

M. T. C. D. Bruto Imp. S. D. 231

ETsi ex mandatis, quæ Galbæ, Volumnioq; ad Senatum dedisti, quid timendũ, suspicandumq; putares suspicaba-

Propositio continens obiurgationẽ Obiurgatoria epistola. A narratione

Ratio propositionis quia alij fortes sunt sis tu quoq; & Antonio pulso bene sperare debemus. A maiore. Prolepsis

spicabamur: tamẽ timidiora mandata uidebãtur, quàm erat dignum tua, populiq; Romani uictoria. Senatus autem mi Brute fortis est, & habet forteis duces. Itaq; mo lestè ferebat, se à te, quem omnium quicunq; fuissent fortissimum iudicaret, timidum atq; ignauum iudicari. Etenim cùm te incluso spem maximam omnes habuissent in tua uirtute florente Antonio: quis erat qui quicquam timeret, profligato illo, te liberato? Nec uerò Lepidum timebamus. Quis enim esset, qui illum tam furiosum arbitraretur, ut qui in maximo bello pacem uelle se dixisset, is in optatissima pace bellum Reipublicæ indiceret? Nec dubito, quin tu plus prouideas. Sed tamen tam recenti gratulatione, quam tuo nomine ad omnia Deorum templa fecimus, renouatio timoris magnam

Conclusio Adhortatio, ut rem fortiter gerat aduersus Antonium.

molestiam afferebat. Quare uelim equidem, id quod spero, ut planè abiectus, & fractus sit Antonius. Sin aliquid uirium fortè collegerit, sentiet nec senatui consilium, nec populo Romano uirtutẽ deesse, nec reipublicæ te uiuo Imperatorem. XIIII. Calend. Iunij. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Scripserat ad Senatum Brutus literas de belli conficiendi opportunione, de Cæsaris, & Lepidi coniunctione: quas a Cicerone commutari petit. 232

D. Brutus M. T. C. S. P. D.

Narratio de difficultate belli. Petitoria epistola. A petitione. Cur senatui scripserit.

AD senatum quas literas misi, uelim prius perlegas, & si qua tibi uidebuntur, commutes. Necessariò me scripsisse, ipse animaduertes. nam cum putarem quartam, & Martiam legiones mecum futuras, ut Drusum Paulóq; placuerat, uobis assentientibus: minus de reliquis

quis rebus laborandum existimaui. nunc uerò cùm sim cum tyronibus egentissimis, ualde & meam, & uestram uicem timeam, necesse est. Veicetini me, & Marcum Brutum præcipuè obseruant. His ne quam patiare iniuriam fieri in senatu uernarum causa, à te peto. Causam habent optimam, officium in republica summum, genus hominum aduersariorum seditiosum, & inertissimum. XII. Calendas Iunij, Vercellis. Vale.

Petitio ut Vincentinorum causam cõtra seruos domesticos iuuare uelit. A necessario Altera petitio.

ARG. EPIST. SEQ.

Audierat Brutus Octauium Cæsarem ægre ferre, quod Cicero dixisset, eum tollendum: quod uerbum in malam partem acceperat: & quod Cæsarem, ac Decium in decemuiris esse prohibuisset: quocirca monet eum amice, ut pericula demtans de decemuiris, ueteranos sequatur.

D. Brutus Imp. M. T. C. S. D. 233

Pathos et captat beneuolentiam ab officio. Nunciatoria epistola & suasoria. A causa, cur quæ subiungit, Ciceroni significet. Narratio

QVod pro me non facio, id pro te facere meus in te amor, tuaq; officia cogũt, ut timeam. Sæpe enim mihi cum esset dictum, neq; à me contemptum, nouissimè Labeo Segulius homo sui similimus narrauit mihi, apud Cæsarem se fuisse, multumq; sermonem de te habitum esse: ipsum Cæsarem nihil sanè de te questum, nisi dictũ, quòd diceret te dixisse, laudandum adolescentem, ornandum, tollendum: se non esse commissurum, ut tolli posset. Hoc ego Labeonem credo illi retulisse, aut finxisse dictum, non ab adolescente prolatum. Veteranos uerò pessimè loqui, uolebat Labeo me credere, & tibi ab ijs instare periculũ, maximeq; indignari, quod in Decemuiris neq; Cæsar, neq; ego habiti essemus: atq; omnia ad uestrum arbitrium essent collata. Hæc cum audissem, & iam in itinere essem, committendum non putaui,

taui, prius ut Alpeis transgrederer, quàm quid istic ageretur, scirẽ. Nam de tuo periculo, crede mihi, iactatione ne uerborum, & denuntiatione periculi, sperare eos, te perterrefacto, adolescente impulso, posse magna cõsequi præmia: et totam istam cantilenam ex hoc pendẽre, ut quàm plurimum lucri faciant. Neq; tamen non te cautum esse uolo, & insidias uitantem. Nihil enim tua uita potest mihi esse iucundius, neq; charius. Illud uide, ne timendo, magis timere cogare. Et quibus rebus potes occurri ueteranis, occurras. Primùm quod desiderant de Decemuiris, facias: deinde de præmijs. Si tibi † uidebitur, agros militum eorum, qui cum Antonio ueterani fuerũt, his dandos censeas ab utrisq; nobis. De nummis, lentè, ac ratione habita pecuniæ, Senatum de ea re constituturum. quatuor legionibus ijs quibus agros dandos censuistis, uideo facultatem fore ex agris Syllanis, & agro Campano. Aequaliter, aut sorte agros legionibus assignari puto oportere. Hæc me tibi scribere non prudentia mea hortatur, sed amor in te, & cupiditas otij, quod sine te consistere nõ potest. Ego, nisi ualde necesse fuerit, ex Italia nõ excedam. legiones armo, paro: spero me non pessimum exercitum habiturum ad omneis casus, & impetus hominum. de exercitu, quem Pansa habuit, legionem mihi Cæsar non remittit. Ad has literas statim mihi rescribe, tuorumq; aliquem mitte, si quid reconditũ magis erit, meq; scire opus esse putaris. Vale.

VII. Calendas Iunias. Eporædia.

Horfatio Consilia sua narrat Bruto

Consiliũ quo modo illis periculis possit occurrere.

† uidetur

Alia narratio

Epilogus De suo consilio & diligentia, & Antonĩ opprimat

Cõclusio ab hortatiũcula

Petitio

ARG. EPIST. SEQ.

Respondens superiori epistolæ Decij Cicero, ostendit Segulĩ cum multis uana locutum: respondens deinde ad reliqua, quæ scripserat Brutus, & ad id præcipue, quod scripserat, ut caueret, ne timendo magis timeret, dicens se imitari in hac re Decium, qui nunquam fuit timidus, uitaturus tamen sit pericula: demum probat, quod de legionibus scripserat.

M. T. C. D. Bruto Imp. S. P. D. 234.

Dii isti Segulio malefaciant, homini nequissimo omnium, qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt. Quid? tu illum tecũ solum, aut cum Cæsare, qui neminem præterm iserit, qui cum loqui potuerit, cui non eadem ista dixerit? Te tamen mi Brute sic amo, ut debeo, quòd istud quicquid esset nugarum, me scire uoluisti. Signum enim magnũ amoris dedisti. Nam quod idem Segulius ait ueteranos queri, quòd tu, et Cæsar in Decemuiris nõ essetis, utinam ne ego quidem essem. Quid enim molestius? Sed tamen, cùm ego sensissem de ijs, qui exercitus haberent, sententiam ferri oportere: ijdem illi qui solent, reclamarunt. Itaq; excepti etiam estis me uehementer repugnante. Quocirca Segulium negligamus, qui res nouas quærit: non quòd ueterem comederit, nullam enim habuit, sed hanc ipsam recentẽ nouã deuorauit. Quòd autem scribis, te, quod pro te ipso non facias, id pro me facere, ut de me timeas aliquid: omni te uir optime, mihiq; charissime Brute, de metu libero. Ego enim, quæ prouideri poterunt, non fallar in ijs: quæ cautionem non habebunt, de his non ita ualde laboro. Sin etenim impudens, si plus postulem, quàm homini à rerum natura tribui potest. Quòd mihi præcipis, ut caueam, ne timendo

Imprecatio Responsoria ad præcedentem.

Ab excreatione exordĩtur: & est tragicũ exordiũ Respondet ad uaria, quæ Brutus in superioribus literis ad eum scripsit.

Alia propositio.

Diuisio

Alia propositio. magis timere cogar: & sapienter, & amicissimè præcipis. Sed uelim tibi persuadeas, cùm te constet excellere hoc genere uirtutis, ut nunquam extimescas, nunquam perturbere: me huic tui uirtuti proximè accedere. Quamobrem nec metuam quicquam: et cauebo omnia. Ratio Sed uide, ne tua iam mi Brute culpa futura sit, si ego quicquam timeam. tuis enim opibus, & Consulatu tuo, etiam si timidi essemus: tamen omnem timorem abijceremus: præsertim cùm persuasum omnibus esset, mihiq; maximè, nos à te unicè diligi. Consilijs tuis, quæ scribis de quatuor legionibus, deq; agris assignandis ab utrisq; uestrum, uehementer assentior. Itaq; cum quidam de collegis nostris agrariam curationem ligurirent: distuli Conclusio baui rem, totamq; uobis integrã reseruaui. Si quid erit occultius, & (ut scribis) reconditum, meorum aliquem mittam, quò fidelius ad te literæ perferãtur. Vale. Prid. die Nonas Iunij.

ARG. EPIST. SEQ.

Commendat diligentissime D. Bruto Appium quendam: qui cùm maximã sibi dicit necessitudinem: rogatq; ut eum tueatur contra aduersarios, qui eum ejicere urbe contendebant.

235

M. T. C. D. Bruto Imp. S. P. D.

Narratio quam sequitur petitio. Commendatoria epistola. A causa commendationis. Petitio. A laudabili. Ab honesto. Ratio ex persona Appij. CVm Appio Claudio C. F. summa mihi necessitudo est, multis eius officijs, & meis mutuis constituta. Peto à te maiorem in modum uel humanitatis tuæ, uel mea causa, ut eum autoritate tua, quæ plurimum ualet, conseruatum uelis. Volo te, cùm fortissimus uir cognitus sis, etiam clementissimũ existimari. Magno tibi erit ornamento, nobilissimum adolescentem beneficio tuo esse saluum

saluum. Cuius quidem causa hoc melior debet esse, quòd pietate adductus, propter patris restitutionem, se cum Antonio coniunxit. Quare etsi minus ueram causam habebis, tamen uel probabilem aliquam poteris inducere. Nutus tuus potest hominem summo loco natum, summo ingenio, summa uirtute, officiosissimũ præterea, & gratissimum, incolumem in ciuitate retinere. Quod ut facias, ita à te peto, ut maiore studio, magis ue ex animo petere non possim. Vale. A facili.

ARG. EPIST. SEQ.

Hortatur Decius Ciceronem, ut bono sit animo. & de Republica bene speret: cum Lepidus iam bene sentiat, & ipse bonas habeat copias.

D. Brutus. M. T. Ciceroni S. P. D. 236

Narratio Hortatoria epistola. A narratiuncula. Adhortatio ut bono & forti sit animo. NOs hîc ualemus rectè: & quo melius ualeamus, operam dabimus. Lepidus commodè de nobis sentire uidetur: omni timore depositò, debemus liberè reipub. cõsulere. Quòd si omnia essent aliena, tamen tribus tantis exercitibus proprijs reipub. ualentibus, magnum animum habere debebas: quem & semper habuisti, & nũc fortuna adiuuante augere potes. Quæ tibi superioribus literis mea manu scripsi, terrendi tui causa homines loquuntur. Si frenum momorderis, peream, si te omnes quotquot sunt, conantem loqui ferre poterunt. Ego, tibi ut antea scripsi, dum mihi à te literæ ueniant, in Italia morabor. Vale, VIII. Calend. Iunias, † è Porredia. Conclusio † E porædia.

ARG. EPIST. SEQ.

Respondet breuiter superiori epistolæ, dicens se imitari in breuitate epistolarum ipsum Brutum: & omnem timorem, si modo timidus fuisset, potuisse illius epistola deposuisse.

M. T. C. D. Bruto S. P. D. 237

† Parũ tibi
Exordium a breuitate literarum.
Responsoria ad præcedentem.
A ioco exorditur.
Exemplum breuitatis hic obseruat.

NArro tibi, †antea subirascebar breuitati tuarum literarum: nunc mihi loquax esse uideor: te igitur imitabor. Quàm multa quàm paucis? Te rectè ualere, operamq; dare, ut quotidie melius: Lepidum commodè sentire: tribus exercitibus quibus nos oportere confidere. Si timidus essem, tamen ista epistola mihi omnẽ metum absterssisses. Sed, ut mones, frenum momordi. etenim qui te incluso omnem spem habuerim in te, qui nunc putas? Cupio iam uigiliam meam Brute tibi tradere, sed ita, ut non desim constantiæ meæ. Quòd scribis in Italia te moraturũ, dum tibi literæ meæ ueniant: si per hostem licet, non erraris. multa enim Romæ. Sin aduentu tuo bellum confici potest, nihil sit antiquius. Pecunia expeditissima quæ erat, tibi decreta est. Habes amantissimũ Seruiliũ. nos non desumus. Vale. VIII. Idus Iunias.

ARG. EPIST. SEQ.

Hortatur Cicero Brutum, ut diligẽtissime agat pro repub. cum in eo, & Planco tota sit spes: dicitq; Marcum Brutum uocandum ad id bellum: quia si adesset, minus mali timerẽtur.

M. T. C. D. Bruto S. P. D. 238

Exordium ab occasione scribendi.
Nuntiatoria Ab occasione scribendi ad Brutũ hoc tempore.
Narratio

EXpectanti mihi tuas quotidie literas, Lupus noster subitò denuntiauit, ut ad te scriberem, si quid uellem. Ego autem etsi quid scriberem, nõ habebam (acta enim ad te mitti sciebam) inanem autem sermonẽ literarum tibi iniucundum esse audiebã: breuitatem secutus sum, te magistro. Scito igitur in te, & in collega spẽ omnem esse. De Bruto autem nihil adhuc certi: quem ego quẽadmodum præcipis, priuatis literis ad bellum commu-

ne uocare non desino: qui utinam iam adesset: intestinum urbis malum, quod est non mediocre, minus timeremus. Sed quid ago? non imitor λακωνισμὸν tuum: altera iam pagella procedit. Vince, & uale. XIIII. Calend. Quintil.

A ioco est cõclusio ducta. Id est, breuitatem.

ARG. EPIST. SEQ.

Cum Decius habuisset Lepidum semper suspectum, ne Antonio se coniungeret, & ob id meticulosior haberetur: postquam Lepidus illi coniunctus erat, hac epistola dicit iam patere, quod non sine causa timuerit.

D. B. Imp. M. T. Ciceroni S. P. D. 239

Monitoria & petitoria.
Exorditur a solatio, quod cepit.
A periculo
Conclusio a petitione.

IN maximo meo dolore hoc solatio utor, quòd intelligunt homines, nõ sine causa me timuisse ista, quæ acciderunt. Deliberent, utrũ traijciant legiones ex Aphrica, nec ne, & ex Sardinia: & Brutum accersant, nec ne: & mihi stipendium dent, an non decernant. Ad Senatũ literas misi. Crede mihi, nisi ista omnia ita fiunt, quemadmodum scribo, magnum nos omneis adituros periculum. Rogo te, uidete quibus hominibus negotium detis, qui ad me legiones adducant. & fide opus est, & celeritate. Vale. III. Nonas Iunias, ex castris.

ARG. EPIST. SEQ.

Cum Trebatius in Tusculanum ad Ciceronem uenisset, expostulauit querelam Matij de Cicerone, quod tulisset suffragium legi, de efficiendis omnibus, quæ Cæsar instituerat commentarijs suis. Vnde se excusaturus Cicero, repetit longius causam amicitiæ cũ Matio, docetq; se eum potius defendisse, quam accusasse: optatq; ad eum delatos fuisse sermones, quos de eo habuerit, & potissimum de moderatione eius circa bella ciuilia.

M. T. C. C. Matio S. P. D. 240

Exordium a dubitatione.
Purgatoria epistola.
A narratione

NOndum satis constitui, molestiæne plus, an uoluptatis attulerit mihi Trebatius noster, homo tum plenus

nus officij, tum utriusq; nostrũ amantißimus. Nam cum in Tusculanum uesperi uenissem, postridie ille ad me, nondũ satis firmo corpore cum esset, manè uenit. Quem cum obiurgarẽ, quòd parum ualetudini parceret: tum ille nihil sibi fuisse longius, quàm ut me uideret. Nunquid nam, inquam, nouí? Detulit ad me querelam tuam: de qua prius, quàm respondeo, pauca præponam. Quantũ memoria repetere præterita possum, nemo est mihi te amicus antiquior. Sed uetustas habet aliquid commune cum multis: amor non habet. Dilexi te, quo die cognoui: meq; à te diligi iudicaui. Tuus deinde discessus, isq; diuturnus, ambitio nostra, & uita dißimilitudo, nõ est passa uoluntates nostras consuetudine conglutinari. tuum tamen erga me animum agnoui multis annis antè bellum Ciuile, cum Cæsar esset in Gallia. Quod enim uehementer mihi utile esse putabas, nec inutile ipsi Cæsari, perfeciſti, ut ille me diligeret, coleret, haberet in suis. Multa prætereo, quæ temporibus illis inter nos familiarißimè dicta, scripta, communicata sunt: grauiora enim sunt consecuta. Et initio belli ciuilis cum Brundisium uersus ires ad Cæsarem, uenisti ad me in Formianum. Primùm hoc ipsum quanti, præsertim temporibus illis? Deinde, oblitum me putas consilij, sermonis, humanitatis tuæ? quibus rebus interesse memini Trebatium. Nec uerò oblitus sum literarum tuarum, quas ad me misisti, cum Cæsari obuiam uenissem in agro, ut arbitror, Trebulano. Secutum illud tempus est, cum me ad Pompeium proficiscí, siue pudor meus coëgit, siue offi-

Dialogismus

Diuisio

Occupatio, prẽmollit animum cõmemoratione ueteris amicitiæ.

Insinuatione utitur.

Narratio

cium, siue fortuna, quod officium tuum, quod studium uel in absentem me, uel in præsentes meos defuit? quem porrò omnes mei & mihi, & sibi te amiciorem iudicauerunt? Veni Brundusium: oblitum ne me putas, qua celeritate, ut primùm audieris, ad me Tarento aduolaris? quæ tua fuerit assessio, oratio, cõfirmatio animi mei fracti communium miseriarum metu? Tandem aliquando Romæ esse cœpimus: quid defuit nostræ familiaritati in maximis rebus? Quonam modo me gererem aduersus Cæsarem, usus tuo consilio sum. In reliquis officijs cui tu tribuisti, excepto Cæsare, præter me, ut domum uenitares, horasq; multas sæpe suauißimo sermone consumeres? tum, cum etiã, si meministi, ut hæc φιλοσοφούμενα scriberẽ, tu me impulisti. Post Cæsaris reditũ, quid tibi maiori curæ fuit, q̃ ut essem ego illi quàm familiarißimus? quod effeceras. Quorsum igitur hæc oratio longior, q̃ putarã? quia sum admiratus te, qui hæc nosse deberes, quicquam à me cõmissum, quod esset alienum nostra amicitia, credidisse. Nam præter hæc, quæ commemoraui, quæ testata sunt, & illustria, habeo multa occultiora, quæ uix uerbis exequi possum. Omnia me tua delectant: sed maximè, maxima cùm fides in amicitia, consilium, grauitas, constantia: tum lepos, humanitas, literæ. Quapropter redeo nunc ad querelam. Ego te suffragium tulisse in illa lege, primùm non credidi: deinde, si credidissem, nunquàm id sine aliqua iusta causa existimarem te fecisse. Dignitas tua facit, ut animaduertatur, quicquid facias: maleuolentia autem hominum, ut nonnulla

Id est, a philosophis tracta ta.

Subiectio

Propositio Nihil feci alienũ nostra amicitia.

Ad purgationem uenit Ratio

Ad querelam redit.

nulla durius, quàm à te facta sint, proferantur. Ea si tu non audis, quid dicam, nescio: equidem si quando audio, tam defendo, quàm me scio à te contra iniquos meos solere defendi. Defensio aũt est duplex. Alia sunt, quæ † aliquando negare soleã: ut de isto ipso suffragio. Alia, quæ defendam à te piè fieri, & humanè: ut de curatione ludorum. Sed te hominem doctißimum non fugit, si Cæsar rex fuerit, quod mihi quidem uidetur, in utranq; partem de tuo officio disputari posse: uel in eam, qua ego uti soleo, laudandam esse fidem, & humanitatem tuam, qui amicum etiam mortuũ diligas: uel in eam, qua nonnulli utuntur, libertatem patriæ, uitæ amici anteponendam. Ex his sermonibus utinam essent delatæ ad te disputationes meæ. Illa uerò duo, quæ maxima sunt laudum tuarum, quis aut libentius, quàm ego, commemorat, aut sæpius: te, & non suscipiendi belli ciuilis grauißimũ auctorem fuisse, & moderandæ uictoriæ? In quo, qui mihi non assentiretur, inueni neminẽ. Quare habeo gratiam Trebatio familiari nostro, qui mihi dedit causam harũ literarũ: quibus nisi credideris, me omnis officij, & humanitatis expertẽ iudicaris. quo nec mihi grauius quicquam potest esse, nec à te alienius. Vale.

† liquido Defensio & purgatio.

Obliqua reprehensio.

Conclusio gratiarum actione.

ARG. EPIST. SEQ.

Matius ciuis Romanus cum apud Cæsarem multos annos in summa gratia fuisset, & mutua beneuolentia eundem semper prosecutus, & eo interfecto uehementer conturbatus, & questus fuisset: percussores Cæsaris obijciebant id illi, quod fleret necem Cæsaris, & reipublicę liberationem iniquo animo ferret: quocirca hac epistola ostendit se semper fuisse amatorẽ concordiæ, neq; secutum Cæsarem, ut rempub. opprimat, sed ut officio satisfaciat, purgans quòd

quòd ludos in honorẽ Cæsaris faciendos curauerit. demum dicit se aut in exilio, aut Romæ, si detur, uicturum amatorem reipublicæ.

C. Matius M. T. Ciceroni S. P. D. 241

MAgnam uoluptatem ex tuis literis cepi, quòd quam speraram, atq; optaram, habere te de me opinionem, cognoui. De qua etsi non dubitabam, tamen quia maximi æstimabã, ut incorrupta maneret, laborabam. Conscius autem mihi eram, nihil à me commissum esse, quod boni cuiusquam offenderet animum. Eò minus credebam plurimis atq; optimis artibus ornato tibi temerè quicquam persuaderi potuisse, præsertim in quem mea propensa, & perpetua fuisset, atq; esset beneuolentia. Quod quando, ut uolui, scio esse: respondebo criminibus, quibus tu pro me, ut par erat, tua singulari bonitate, & amicitia nostra sæpe restitisti. Nota enim mihi sunt, quæ in me post Cæsaris mortem contulerint. Vitio mihi dant, quòd mortẽ hominis necessarij grauiter fero: atq; eum, quem dilexi, perijsse indignor. Aiunt enim patriam amicitiæ præponendã esse: perinde ac si iam uicerint, obitũ eius reipublicæ fuisse utilem. Sed non agam astutè. Fateor me ad istũ gradũ sapientiæ non † uenisse. Neq; enim Cæsarẽ in dissensione ciuili sum secutus, sed amicum: quanquam re offendebar, tamen non deserui: neque bellum unquam ciuile, aut etiam causam dissensionis probaui, quam etiam nascentem extingui, summè studui. Itaq; in uictoria hominis necessarij neq; honoris, neq; pecuniæ dulcedine sum captus. quibus præmijs reliqui minus apud eum, quàm ego, cum possent, immoderatè

Exordium est pathos ex Ciceronis de Matio iudicio.

Excusatoria et confutatoria epistola.

A uoluptate, quam ex literis Ciceronis acceperit.

Ratio ex suę conscientię fiducia: perstringit obliquè, quod inique iudicauerit.

Propositio

Narratio

Prima obiectio aduersariorum.

Confutatio

† peruenisse.

Propositio

Fero grauiter mortem Cæsaris.

Signa.

deratè sunt abusi. Atq; etiam res familiaris mea, lege Cæsaris diminuta est: cuius beneficio pleriq;, qui Cæsaris morte lætantur, remanserunt in ciuitate. Ciuibus uictis ut parceretur, æquè, ac pro mea salute, laboraui. Possum igitur, qui omneis uoluerim incolumeis, eum à quo id impetratum est, perijsse non indignari? cum præsertim ijdem homines illi & inuidiæ, & exitio fuerint. Plectêris ergo, inquiunt, quãdo factum nostrum improbare audes. O superbiam inauditam, alios in facinore gloriari, alijs ne dolere quidẽ impune licere. At hæc etiam seruis semper libera fuerunt, timerent, gauderent, dolerent suo potius, quàm alterius arbitrio. quæ nunc, ut quidem isti dictitant, libertatis autores metu nobis extorquere conantur. Sed nihil agunt. Nullius unquam periculi terroribus ab officio, aut ab humanitate desciscam. Nunquam enim honestam mortem fugiendam, sed etiam appetendam putaui. Sed quid mihi succenseo, si id opto, ut pœniteat eos sui facti? Cupio enim Cæsaris mortem omnibus esse acerbam. At debeo pro ciuili parte rempublicam uelle saluam. Id quidem me cupere, nisi & antè acta uita, & reliqua mea spes tacente me probat, dicendo uincere non postulo. Quare maiorẽ in modum te rogo, ut rem potiorem oratione ducas: mihiq; sentis expedire rectè fieri, credas nullam cõmunionem cum improbis esse posse. An quod adolescens præstiti, cùm etiam errare cum excusatione possem: id nunc ætate præcipitata commutem, ac me ipse retexam? Non faciam: neq; quod displiceat, committam, præterquàm quòd

Secunda obiectio.

Confutatio

Pathos ex minori.
Ironia.
Ratio ab officio amicitiæ.
Tertia obiectio.
Reiectio ex signis.
Confutatio

Petitio
Conclusio petitionem continens.
Subiectio
A maiori.
Ex anteactæ uitæ exemplis.

quòd hominis mihi cõiunctissimi, ac uiri amplissimi deleo grauem casum. Quòd si aliter essem animatus, nunquam quod facerem, negarem: ne & in peccando improbus, & in dissimulando timidus, ac uanus existimarer. At ludos, quos Cæsaris uictoriæ Cæsar adolescens fecit, curaui. At id ad priuatum officium, non ad statum reipublicæ pertinebat. Quod tamen munus, & hominis amicissimi memoriæ, ac honoribus præstare, etiam mortuo, debui: & optimæ spei adolescenti, ac dignissimo Cæsari petenti negare non potui. Veni etiam consulis Antonij sæpe domũ salutãdi causa: ad quem, qui me parum patriæ amantẽ esse existimant, rogandi quidem aliquid, aut auferendi causa, frequentes uenditare reperies. Sed quæ hæc est arrogantia, quòd Cæsar nunq̃ interpellauit, quin, quibus uellem, atq; etiam quos ipse non diligebat, tamen ijs uterer: eos, qui mihi amicum eripuerunt, carpendo me, efficere conari, ne quos uelim diligam? Sed non uereor, ne aut meæ uitæ modestia parum ualitura sit in posterum contra falsos rumores: aut ne etiam ij, qui me non amant, propter meã in Cæsarem constantiam, non malint mei, quàm sui similes amicos habere. Mihi quidem si optata contingerent: quod reliquum est uitæ, in otio Rhodi degam. Sin casus aliquis interpellarit, ita ero Romæ, ut rectè fieri semper cupiam. Trebatio nostro magnas gratias ago, quòd tuum erga me animum simplicem, atq; amicum aperuit: & quòd eum, quem semper dilexi lubẽter, quò magis iure colere, atq; obseruare deberem, fecit. Bene uale, & me dilige.

Quarta obiectio.

Cõfutatio ex distinctione publici et priuati officij.

Ab exemplo Cæsaris.

Conclusio a gratiarum actione.

ARG.

ARG. EPIST. SEQ.

Profecturus Cicero legatus in Græciam, dubitans quid utrũ iret, consuluit per literas Oppium de ea re: qui per literas, & per Atticũ quod sentiret, ita aperuit, ut Cicero sibi faciendũ putaret, quod ille cõsuluisset: quod hac epistola fatetur, cõmemorans & aliud cõsilium ab Oppio datum: oratq; demum, ut amorem sui conseruet.

M. T. C. M. Oppio S. P. D. 24.

Propositio Cõsiliũ tuum fuit utilissimum & mihi gratissimum.

Narratoria epistola.

A narratione Amplificatio

DVbitanti mihi, quod scit Atticus noster, de hoc toto consilio profectionis, quòd in utranq; partẽ in mente multa ueniebant, magnum pondus accessit ad tollendam dubitationem, iudicium, & consilium tuũ. Nam & scripsisti apertè, quid tibi uideretur: & Atticus ad me sermonẽ tuũ pertulit. Semper iudicaui, in te & in capiendo consilio prudentiam summam esse, & in dando fidem. Maximeq; sum expertus, cum initio ciuilis belli per literas te consuluissem, quid mihi faciendũ esse censeres: eundem' ne ad Pompeium, an manendum in Italia. Suasisti, ut cõsulerem dignitati meæ. ex quo quid sentires intellexi, & sum admiratus fidem tuam, & in consilio dando religionem: quòd, cùm aliud malle amicissimum tuum putares, antiquius tibi officium meũ, quam illius uoluntas fuit. Equidem & antè hoc tempus te dilexi, & semper me à te diligi sensi. Et cùm abessem, atque in magnis periculis essem, & me absentem, & meos præsentes à te cultos, & defensos esse, memini. Et post meum reditũ, quàm familiariter mecum uixeris, quàm ego de te & senserim, et prædicarim, omneis, qui solent hæc animaduertere, testes habemus. Grauissimum uero iudicium de mea fide, & de constantia fecisti, cùm post mortem Cæsaris totum te ad amicitiam meam cõtulisti. Quod

Consilium Oppij.

Laus consilij Oppiani.

Quod tuum iudiciũ, nisi mea summa beneuolentia erga te, omnibusq; meritis comprobaro, ipse me hominẽ non putabo. Tu mi Oppi conseruabis amorem tuũ (etsi more magis hoc quidem scribo, quàm quò te admonendum putem) meaq; omnia tuebere: quæ tibi ne ignota essent, Attico mandaui: à me autem cum paulum otij nacti erimus, uberiores literas expectato. Da operam, ut ualeas: hoc mihi gratius facere nihil potes.

Cõclusio à petitione, uel potius admonitione.

ANNOTATIONES AC Castigationes in undecimũ librum Epist. Famil. Ciceronis.

In Epist. 1.

Quo utrunq; Al. quorum utrunq;
Descendemus Al. discedemus
Cæcilium Epist. 11. lib. 12.

In Epist. 2.

Velle te probare Al. uelle probare. Alij tamen legunt, uelle & probare. Sed quum hic & mox uarie scribatur, fortasse locus hic ita est legendus. Quod uelle probare uix quisquam credi potest, qui nos saluos & honestos uelit
Libertate Al. libertati
Vni credimus Al. uni credidimus

In Epist. 3.

Doleamus Al. non doleamus
Et fortasis Al. & fortasse.

In Epist. 4.

Transalpinos Al. in alpinos

In Epist. 6.

Lupus Epist. 1. lib. 1. si modo idem sit
In senatu Philip. tertia
In concione maxima ad Quirites Philip. 4.

In Epist. 7.

Libonem Epist. 1. lib. 1
Cn. Seio Al. M. Seio
Nondum liberi propter consulares Epist. 5. lib. 12.

Hostem iudicauerint) Illum relinquentes, & Octauium sequentes Epist. 28. lib. 10.
Atq; animatus) Al. ita animatus. Al. seu armatus
Caput autem est) Propositio. Ne expectes autoritatem Senatus, sed libere agas omnia, quæ Reip. profutura uidentur.

In Epist. 8.

Misit ad me, ut.) Al. misit ut
Dum nunciabatur) Al. denunciabatur
Totaq; in Italia) Al. Totaq; Italia
Admirabilis est enim) Narratio de uoluntate Senatus & populi erga Brutum.

In Epist. 9.

Persuasissimum est, Lepdium) In ueteribus libris legimus, persuasi Asintum & Lepidum.
Vobis id de hoc) Al. uobis hoc 4. Calend. Maij
Ex castris Regij) Al. 3. Calend. Maij ex castris regijs.

In Epist. 10.

Si autem hoc) Sic legendum uidetur. Si tamen hoc temporis notideatur dici causa, mallem mehercule, &c.
Iudicium quam) Al. iudicium sequi, quam
Nouitas) Al. uacuitas. Al. tua ciuitas. Al. tua charitas, id quod recipiendum sit, ut charitas intelligatur erga Octauium, qui Ciceronis amicitia fretus, consulatum petebat
Septenum) Multi legunt septem
Sustinere sumptum) Al. subsistere sumptui.

In Epist. 11.

Totius Galliæ) Alij legunt, totius Galliæ populis
Statiellensium) Plin. lib. 3. cap. 5. & lib. 31. cap. 2.

In Epist. 13.

Postridie mane a Pansa) Al. postero die ad Pansam
Trebellius) quem fraudatorem creditorũ, Ciceroni in Philippicis uocat
Isaram) ubi erat Plancus, Epist. 22. lib. 10.

In Epist. 14.

De decemuiris) Epist. 20. huius libri.
Ex Africa) Epist. 24. lib. 10.
Retexunt superiora) Al. retexunt superiores.

In Epist. 18.

Galbæ) Sergio Galbæ. epist. 30. lib. 10.
Se dixisset) Epist. 27. lib. 10.

In Epist. 19.

Nunc uero) Epist. 14. huius libri
Veietim) Al. Vicentim
Vercellis) Plin. lib. 3. cap. 17.

In Epist. 20.

Tollendum) ex ambiguo dictum
Te perterrefacto) Al. te pertimefacto
Ab utriscq; nostrum) Al. ab utriscq; nobis
7. Calend.) Al. 9. Calend. & ita legendum, ex epistola 23. huius libri cognoscitur
Eporedia) Plin. lib. 3. cap. 17.
Quid tu illum) Narratio, & est responsoria ad præcedentem Bruti epistolam.

In Epist. 21.

Cum Cæsare qui) Al. cum Cæsare locutum putas, qui
Idem illi) Epist. 10. huius lib.
Qui res) Ex ambiguo dictum
Ligurirent) ambirent.

In Epist. 22.

Secum Antonio) Al. me cum Antonio
Nutus tuus potest) Al. unde queas. Al. nam tu potes. Alij etiam legunt, nutu solo potes V. C.

In Epist. 24.

Seruilium) Al. Seruium, de quo Epist. 7. huius libri.

In Epist. 27.

Trebatius noster) Epist. 15. lib. 7.
Obuiam uenissem) Al. obuiam uenisses, idq; fortasse melius. nã Mattius, quum Capua exisset, ut iret ad Cæsarem, ex itinere ad Ciceronem scripsit
Iniquos meos) Al. inimicos meos
Quæ liquido) Al. quæ aliquando
Nota enim mihi) Narratio
Aut etiã causam) Occupatio. Nõ probaui ciuilẽ dissentionem
Itaq; in uictoria) Sigira
Ciuibus uictis Enthymema ex minore: Si alios esse uoluisse uos, quanto magis Cæsarem, pertinet autem ad propositionem.
Quæ nunc obiectio.

In Epist. 28.

Patriã amicitiæ Al. patriæ amicitiã, hoc est erga patriũ amorẽ.
Desciscam Al. desistam
Pro ciuili parte Al. pro nihili parte.

Expedire recte fieri) Alij legunt, expedire, & recte fieri
Petenti negare) Al. repetenti negare
Ventitasse) Al. uentitare
Quapropter redeo) Purgatio querelarum, quare de eo plus queruntur homines quam de alijs, causæ sunt dignitas eius & malevolentia, quæ maxime petit claros uiros.

In Epist. 29.

M. Oppio) Al. Oppio, sine prænomine
Profectionis) Epist. 1. lib. 10.
Semper iudicaui in te) Amplificatio, & continens laudem Oppij, & commemorationem illius officiorum.

M. T. CICERONIS
EPISTOLARVM FAMILIARIVM LIBER XII.

ARG. EPIST. I SEQ.

Argumenta huius libri consonant argumentis decimi, & undecimi librorū. Nam cum interfectores Cęsaris ex urbe profugissent, & Antonius, qui iam ad imperium animum adiecerat, omnia pro libidine sua in urbe ageret, Cicero ad profugos scribens, ea dolenter commemorat, docens omnē libertatis spem esse in Decio, & Marco Brutis, & Cassio, quos etiā ad Antonij cædem incendit. Et tum hæ epistolæ & sequentes scriptæ statim post interitum Cæsaris, cū Brutus & Cassius cogerentur metu plebis ex urbe fugere. Et haec epistola est generis deliberatiui, adhortatoria, & habet narrationē assumptam ex genere demonstratiuo.

M. T. C. C. Cassio S. P. D. 245

Narratoria uel etiam lamentatoria epistola A narratione quæ ad finem usq; epistolæ protenditur

SINEM nullum facio, mihi crede, Cassi de te, & de Bruto nostro: id est, de tota Repub. cogitandi, cuius omnis spes in uobis est, & in D. Bruto. Quam quidē iam habeo ipse meliorem, Republica ad Dolabella meo præclarissimè gesta. Manabat enim illud

illud malum urbanum, & ita corroborabatur quotidie, ut ego quidem & Vrbi, et otio diffiderem urbano. Sed ita compressum est, ut uideamur omne iam ad tempus ab illo duntaxat sordissimo periculo tuti futuri. Reliqua magna sunt, & multa, sed posita omnia sunt in uobis: quanquàm primum quidq; explicemus. Nam, ut adhuc quidem actum est, non regno, sed rege liberati uidemur. Interfecto enim rege, regios omneis nutus tueNarratio.
mur. Neq; uerò id solum, sed etiam, quæ ipse ille, si uiueret, nō faceret, ea nos quasi cogitata ab illo probamus. nec eius quidem rei finem uideo: tabulæ figuntur: immunitates dantur: pecuniæ maximæ distribuuntur: exules reducuntur: senatusconsulta falsa referuntur: ut tantummodo odium illud hominis impuri, & seruitutis dolor depulsus esse uideatur: Respub. iaceat in his perturbationibus, in quas eam ille coniecit. Hæc omnia uobis sunt expedienda: nec hoc cogitandum, satis iam habere rempublicam à uobis. Habet illa quidem tantum, quantum nunquàm mihi in mentem uenit optare. Sed contenta non est: & pro magnitudine & animi, & beneficij uestri à uobis magna desiderat. Adhuc ulta suas iniuriDistributio elegans.
as est per uos interitu tyranni: nihil amplius. Ornamenta uerò sua quæ recuperauit? an quòd ei mortuo pâret, quem uiuum ferre non poterat? cuius æra refigere debebamus, eius etiam chirographa defendimus? At enim ita decreuimus. fecimus id quidē temporibus cedentes: quæ ualent in repub. plurimum: sed immoderatè quidē, & ingratè nostra facilitate abutuntur. Verū hæc proCōclusit narrationem Concessio. Adhortatio ut constituat.
Occupatio.
Cōclusio per reiectionem.

Clausula de sua cura pro Cassio

pediem, & multa alia coràm. Interim uelim sic tibi persuadeas, mihi cùm reipub. quam semper habui charissimam, tum amoris nostri causa, maximæ curæ esse tuam dignitatem. Da operam, ut ualeas.

ARG. EPIST. III SEQ.

Quia Cæsaris percussores Cicero defendebat, Antonius in eũ atrociter sæuiens, excidium minitabatur: unde ad Cassium scribẽs, exponit qui sint consulares uirt in rempublicam bene animati, & qui audeant aperte sententiam dicere, addens rursum omnẽ spem esse in ipso Cassio, & duobus Brutis.

M. T. C. C. Cassio S. P. D. 244

Nunciatoria epistola

Exordiutur a gloria, quam cepit ex hoc quòd Cassius sententiã suã de rebus Antonianis probet

Narratio est, uel querela de Antonij improbitate.

VEhementer lætor tibi probari sententiam, & orationem meam: qua si sæpius uti liceret, nihil esset negotij, libertatem, & rempublicam recuperare. Sed homo amens, & perditus, multoq; nequior, quàm ille ipse, quem tu nequissimum occisum esse dixisti, cædis initium quærit: nullamq; aliam ob causam me autorẽ fuisse Cæsaris interficiendi criminatur, nisi ut in me ueteramini citentur. Quod ego periculum non extimesco, modò ĩ cti uestri gloriam cum mea laude communicem. Ita nec Pisoni, qui in eum primus inuectus est nullo assentiente: nec mihi, qui idem tricesimo post die feci, nec Publio Seruilio, qui me est consecutus, tuto in senatum uenire licet. Cædem enim gladiator quærit, eiusq; initium ad quem paratus uenerat, quum in uilla Metelli complureis dies commentatus esset. Quæ autem in lustris, et in uino cõmentatio potuit esse? Itaq; omnibus est uisus, ut ad te antea scripsi, suo more uomere, nõ dicere. Quare quòd scribis confidere, autoritate, & eloquentia nostra aliquid

A. Gellio nam. Libro III. quando idem Libro IV. nam

Correctio per extenuationem

aliquid profici posse: nonnihil, ut in tantis malis est profectum. Intelligit enim populus Romanus treis esse Consulares, qui quia quæ de republica benè senserint, liberè locuti sunt, tutò in senatum uenire non possunt. Nec est prætereà quòd quicquam expectes. Tuus enim necessarius affinitate noua delectatur. Itaq; iam non est studiosus ludorum, infinitoq; fratris tui plausu disrumpitur. Alter item affinis nouis commentarijs Cæsaris delinitus est. Sed hæc tolerabilia: illud nõ ferendum, quòd est, qui uestro anno consulem filium suum futurum putet, ob eamq; causam se huic latroni deseruire præ se ferat. Nã L. Cotta familiaris meus fatali quadam desperatione, ut ait, minus in senatum uenit. L. Cæsar optimus, & fortissimus ciuis ualetudine impeditur. Seruius Sulpitius & summa autoritate, & optimè sentiens, non adest. Reliquos, exceptis Designatis (ignosce mihi, si non numero) Consulareis habes autoreis consilij publici: qui numerus etiam bonis rebus exiguus esset, quid censes perditis? Quare spes est omnis in uobis: qui si iccirco abestis, ut sitis in tuto, ne in uobis quidem: sin aliquid dignũ uestra gloria cogitatis, uelim saluis nobis: sin id minus, res tamen publica per nos breui tempore ius suum recuperabit. Ego tuis neq; desum, neq; decero: qui siue adme rem ferent, siue non, mea tibi tamen beneuolentia, fidesq; præstabitur. Vale.

Transitio est

Alia narratio

A maiori

Conclusio

ARG. EPIST. III SEQ.

Adducit Antonium in maximum odium Cassij, ostendens quid fecerit in honorem Cæsaris, & in contumeliam Cassij: unde ægre ferri, Quod tantam arrogantiam sic patiatur.

M. T. C. C. Cassio S. P. D. 245

Sollicitatio sui officij. Nunciatoria epistola. Narratio incipiens a propositione generali. Correctio. Deliberat cũ amicis de opprimẽdo Antonio.

AVget tuus amicus furorem in dies: primùm in statua quam posuit in Rostris, inscripsit Parent. P. Opt. Mer. ut non modò sicarij, sed iam etiam parricidæ iudicemini: quid dico iudicemini? iudicemur potius. Vestri enim pulcherrimi facti ille furiosus mè principem dicit fuisse. Vtinam quidem fuissem: molestus nobis nõ esset. Sed hoc uestrum est: quod quando præterijt utinã haberem, quid darem uobis cõsilij. Sed ne mihi quidem ipsi reperio, quid faciendum sit. Quid enim est, quod cõtra uim sine ui fieri possit? Consilium autem omne hoc est illorum, ut mortem Cæsaris persequantur. Itaq; ante diem Sex. Non. Octob. productus in concionem à Cæ nutio, turpissimè ille quidem discesſit, sed tamen ea dixit de conseruatoribus patriæ, quæ dici deberent de proditoribus. De me quidem non dubitant, quin omnia de meo consilio, & uos fecisſetis, & Canutius faceret. Cætera eiusmodi sint ex hoc iudica, quòd Legato tuo uiatica cum eripuerunt. Quid eos interpretari putas, cùm hoc faciunt? ad hostem scilicet portari. Ô rem miseram: dolorem minum ferre non potuimus: conseruo seruimus. Et tamen me quidem fauente magis, quàm sperante, etiam nunc resident spes in uirtute tua. Sed ubi sunt copiæ? De reliquo, malo teipsum loqui tecum, quàm dicta nostra cognoscere. Vale.

Exclamatio qua indignitatem ostendit.

A reiectione est ducta cauſio.

ARG. EPISTOLÆ.

Dolet Cicero, quod non interfectus sit Antonius cum Cæsare, quod futurum dicit fuisse, si interfuisset, docetq; quales sint sententiæ in dissensionibus ciuilibus, & qualis de Cassio, et Bruto opinio M. T.

M. T. Cicero C. Cassio S. P. D. 246

Narratio est exorditur autem a uoto Ratio Nunciatoria epistola Querela Narratio per petua Correctio

VEllem Idibus Martijs me ad cœnam inuitasſes: reliquiarum nihil fuisſet. Nunc me reliquiæ uestræ exercent, & quidem præter cæteros me: quanquàm egregios Consules habemus: sed turpissimos consularis? Senatum fortem, sed infimo quenq; honore fortissimum, populo uerò nihil fortius, nihil melius Italiáq; uniuersa. Nihil autem fœdius Philippo, & Pisone Legatis, nihil flagitiosius: qui cum essent missi, ut Antonio ex Senatus sententia certas res nunciarent: cum ille earum rerũ nulli paruisſet, ultro ab illo ad nos intolerabilia postulata retulerunt. Itaq; ad nos concurritur: factiq; iam in re salutari populares sumus. Sed tu quid ageres, quid actu rus, ubi deniq; esſes, neſciebam. Fama nunciabat te esſe in Syria: autor erat nemo. De Bruto, quò propius est, eò firmiora uidentur esſe, quæ nunciantur. Dolabella uald e uituperabatur ab hominibus non insulsis, quòd tibi tam citò succederet, cum tu uixdum triginta dies in Syria fuisſes. Itaq; constabat, eum recipi in Syriam non oportere. Summa laus & tua, & Bruti est, quòd exercitum præter spem existimamini comparasſe. Scribere plura, si rem, causamq; noſſem. Nunc quæ scribo, scribo ex opinione hominum, atq; fama. Tuas literas auidè expecto. Vale.

De Cassij Bruticq; rebus sollicitum esſe dicit

ARG. EPISTOLÆ.

Dicit nunciari Cassium esſe in Syria, eidẽ a senatu decreta. Laudat Brutum, qui C. Antonium M. fratrem ad se conuertit, iterum quales sint in Senatu aperiens.

M. T. C. C. Cassio S. P. D. 147

Narrationes de spe in Brutum, lectq; exercitibus.

HYemem credo adhuc prohibuisse, quo minus de te certum haberemus, quid ageres, maximeq; ubi esses. Loquebantur omnes tamen, credo quod uolebant, in Syria te esse, habere copias. Id autem eò facilius credebatur, quia simile uerò uidebatur. Brutus quidem noster egregiam laudem est consecutus. Res enim tantas gessit, tamq; inopinatas, ut eæ cum per se gratæ essent, tum gratiores propter celeritatem. Quòd si tu eadem, quæ putamus: magnis subsidijs fulta respublica est. À prima enim ora Græciæ, usque ad Aegyptum, optimorum ciuiũ imperijs muniti erimus, & copijs. Quam quàm nisi me fallebat, res sic se habebat, ut totius belli omne discrimen in D. Bruto positum uideretur: quod si, ut sperabamus, erupisset Mutina, nihil belli reliqui fore uidebatur. Paruis omnino iam copijs obsidebatur, quòd magno præsidio Bononiam tenebat Antonius. Erat autem Claternæ noster Hircius: ad Forum Cornelium Cæsar: uterq; cum firmo exercitu: magnasq; Romæ Pansa copias ex delectu Ituliæ comparabat. Hyems adhuc rem geri prohibuerat. Hircius nihil nisi consideratè, ut mihi crebris literis significat, acturus uidebatur. Præter Bononiam, Regium Lepidi, Parmam, totã Galliam tenebamus studiosissimam reipublicæ. Tuos enim clienteis Transpadanos mirificè coniunctos cũ causa habebamus. Erat firmissimus senatus, exceptis Consularibus: ex quibus unus L. Cæsar firmus est, & rectus. Seruij Sulpitij morte, magnum præsidium amisimus. Reliqui partim inertes, partim improbi: nonnulli inuident eorum laudi, quos in republica probari uident. Populi uerò Romani, totiusq; Italiæ mira consensio est. Hæc erant ferè, quæ tibi nota esse uellem. Nunc autem opto, ut ab istis Orientis partibus uirtutis tuæ lumen eluceat. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Commendat Cassio C. Tidium Strabonem ad ipsum Cassium proficiscentem, ut cum eo esset: dicit autem eum posse ex ipso intelligere præsentium rerum statum. Deinde dicit magnam spem esse in ipso Cassio, & M. Bruto. Nam D. Brutum dicit obsidione teneri, itaq; ad illos perfugium fore, si Decius uincatur.

M. T. C. C. Cassio S. P. D. 248

Nunciatoria epistola, & cõmẽdatoria. A commẽdatione Tidij est ductũ exordium. Narratiũcula. Cõmendatio. Ratio.

QVi status rerum fuerit, tum, cum has literas dedi, scire poteris ex C. Tidio Strabone, uiro bono, & optime de republica sentiente: nam quid dicam cupidissimo tui, qui domo, & fortunis relictis, ad te potissimum profectus sit? Itaq; eum tibi ne commendo quidẽ: aduentus ipsius ad te, satis eum commendabit. Tu uelim sic existimes, tibiq; persuadeas, omne perfugium bonorum in te, & Bruto esse positum, si, quod nolim, aduersi quid euenerit. Res, cum hæc scribebam, erat in extremum deducta discrimen. Brutus enim Mutinæ uix iam sustinebat. Qui si conseruatus erit, uicimus: sin (quod Dij omen auertant) oppressus ibi erit, omnis omniũ cursus est ad uos. Proinde fac tantum animum habeas, tantumq; apparatum, quanto opus est ad uniuersam rempublicam recuperandam. Vale.

Cõclusio ab hortatiũcula.

ARG. EPIST. SEQ.

Defenderat Cassium pugnantem cum Dolabella, quod nunc paucis tangit, monens ut ea præstet Senatui, quæ Cicero de eo promisit,

promisit cum speret totam Asiam ab eo propediem liberandam.

M. T. C. C. Cassio. S. P. D. 249

Narratio, quod diligenter Cassium defenderit in Senatu. Ab Apodioxi exordium Narratio.

QVanto studio dignitatem tuam, & in Senatu, & ad populum defenderim, ex tuis te malo, quàm ex me, cognoscere. Quæ mea sententia in senatu facilè ualuisset, nisi Pansa uehementer obstitisset. Ea sententia dicta, productus sum in concionem à Tribuno plebis M. Seruilio. Dixi de te, quæ potui tanta contentione, quantum forum est: tanto clamore, consensuq; populi, ut nihil unquã simile uiderim. Id uelim mihi ignoscas, quòd inuita socru tua fecerim. Mulier timida uerebatur, ne Pansæ animus offenderetur. In concione quidem Pansa dixit, matrem quoq; tuam, & fratrem, illam à me sententiam noluisse dici. Sed me hæc nõ mouebant, aliamalebam. Fauebam & reipub. cui semper faui: & dignitati, ac gloriæ tuæ. Quòd autem, & in senatu pluribus uerbis disserui, & dixi in concione, in eo uelim fidem meam liberes. Promisi enim, & propè confirmaui, te non expectasse, nec expectaturum decreta nostra: sed te ipsum tuo more rempublicam defensurum. & quãquàm nihil dum audieramus, nec ubi esses, nec quas copias haberes: tamen sic statuebam, omnes, quæ in istis partibus essent, opes, copiasq; tuas esse: per teq; Asiam prouinciã confidebam iam reipublicæ recuperatam. Tu fac in augenda gloria te ipsum uincas. Vale.

Cõclusio ab hortatione. Al. copiæq;

ARG. EPISTOLÆ

Dicit perfidia Lepidi iam cum Antonio coniuncti plurimum noceri populo, libertatique Romanæ, unde spem reliquam dicit in Cassio, & M. Bruto.

M. T. C.

M. T. C. C. Cassio S. P. D. 150

Narratio de perfidia Lepidi, & addidit adhortationẽ ut pergat Rẽpub. fortiter defendere

SCelus affinis tui Lepidi, summamq; leuitatem, & inconstantiã, ex actis, quæ ad te mitti certò scio, cognoscere te arbitror. Itaq; nos confecto bello, ut arbitrabamur renouatum bellum gerimus: spemq; omnem in D. Bruto, & Planco habemus: si uerum quæris, in te, & in meo Bruto non solum ad præsens, perfugium, si (quod nolim) aduersi quid acciderit, sed etiam ad confirmationem perpetuæ libertatis. Nos hic de Dolabella audiebamus, quæ uellemus: sed certos autores non habebamus. Te quidem magnum hominem, & præsenti iudicio, & reliqui temporis expectatione scito esse. Hoc tibi propositò fac ut ad summa contendas. Nihil est tantum, quod non populus Romanus à te perfici, atq; obtineri posse iudicet. Vale.

Hortatio

ARG. EPISTOLÆ

Eodem est argumento cum superiore, nisi quod ostendit aduentum Cassij plurimum profuturum reipub. in parua spe, quæ relicta est, dicitq; in principio, cur tam breuis sit.

M. T. C. C. Cassio S. P. D. 251

Narratoria epistola A causa, cur breues literas scribat Excusat breuitatem literarum Cassij exemplo

BReuitas tuarum literarum me quoq; breuiorem in scribendo facit: & (, uerè ut dicam, non satis occurrit, quid scribam. Nostras enim res in actis perferri ad te certò scio, tuas autem ignoramus. Tanquã enim clausa sit Asia, sic nihil perfertur ad nos, præter rumores de oppresso Dolabella, satis illos quidem constanteis, sed adhuc sine autore. Nos confectum bellum cum putaremus, repentè à Lepido tuo in summam solicitudinẽ adducti sumus. Itaq; persuade tibi maximam reipub. spem

in

Hortatio. in te, & in tuis copijs esse. Firmos omnino exercitus habemus: sed tamen ut omnia (ut spero) prosperè procedant, multũ interest te uenire. Exigua est enim spes reipub. nam nullam non libet dicere: sed quæcunq; est, ea despondetur anno Consulatus tui. Vale.

ARG. EPIST. XV. SEQ.

Certiorem facit Cassium, quemadmodum Lepidus declaratus sit hostis, præscripto tamen ei termino, quo possit adhuc redire ad sanitatem mẽtis, hoc est ad societatem populi Romani: dicitq; eius ad Antonium accessione bellum multum auctum esse, deinde quid nunciatum sit de Dolabella: & demum eum cum Bruto expectari in Italia scribit.

M. T. C. C. Cassio S. P. D. 252

Narratio per petita. Breuis narratio de Lepido quod a Senatu publicus hostis iudicatus sit

LEpidus tuus affinis, meus familiaris pridie Calend. Quintilis, sententijs omnibus hostis à senatu iudicatus est, cæteriq; qui unà cum illo à republica defecerũt: quibus tamen ad sanitatem redeundi ante Calend. Septemb. potestas facta est. Fortis sanè senatus, sed maximè spe subsidij tui. Bellum quidem, cum hæc scribebam, sanè magnum erat scelere, & leuitate Lepidi. Nos de Dolabella quotidie, quæ uolumus, audimus: sed adhuc sine capite, sine autore, rumore nutio. Quod cùm ita esset: tamen literis tuis, quas Nonis Maijs ex castris dabas acceperamus, ita persuasum erat ciuitati, ut illum iam oppressum omnes arbitrarentur, te autem in Italiã uenire cum exercitu: ut si hæc ex sententia confecta essent, consilio, atq; autoritate tua roboraremur: sin quid forte titubatum esset, ut fit in bello, exercitu tuo niteremur. Quem quidem ego exercitum, quibuscunq; potero rebus ornabo. cuius rei tum tempus erit, cum quid opis

reipub. laturus exercitus sit, aut quid iam tulerit, notũ esse cœperit. Nam adhuc tantum conatus audiuntur, optimi illi quidem, & præclarissimi, sed gesta res expectatur. quam quidem aut iam esse aliquam, aut appropinquare confido. Tua uirtute, magnitudine animi nihil est nobilius. itaq; optamus, ut quàm primũ te in Italia uideamus: rempub. nos habere arbitrabimur, si uos habebimus. Præclarè uiceramus, nisi spoliatũ inermem, fugientem Lepidus recepisset Antonium. Itaque nunquàm tanto odio ciuitati Antonius fuit, quanto est Lepidus. Ille enim ex turbulenta repub. hic ex pace & uictoria bellum excitauit. Huic oppositos Consules designatos habemus, in quibus est magna quidẽ spes, sed anceps cura propter incertos exitus præliorum. Persuade tibi igitur, in te, & in Bruto tuo esse omnia: uos expectari, Brutum quidem iam iamq;. Quòd si, ut spero, uictis hostibus nostris ueneritis: tamen autoritate uestra respub. exurget, & in aliquo statu tolerabili consistet. Sunt enim permulta, quibus erit medendũ: etiam si respub. satis esse uidebitur sceleribus hostiũ liberata. Vale.

Contentio personarum.

Conclusio

ARG. EPIST. XVI. SEQ.

Dicit se Cassius in Syriam uenisse, addens quid illic egerit: firmam enim præsidia habere dicit ad defensionem reipub. hortatur autem latenter, ut rempub. tueatur, & non se negligat, imo curet defendendum. Breuis autem est eo, quod reliqua dicit ex Carteio familiari suo accipienda.

C. Cassius Proconsul. M. T. C. S. P. D. 253

Nunciatoria epistola. Est narratio quoq; perpetua.

SIuales, bene est: ego quidem ualeo. In Syriam me profectum esse scito ad L. Murcum, & Qu. Crispum Imperatores.

peratores. Viri fortes, optimiq; ciues, posteà quàm au-
dierunt, quæ Romæ gererentur, exercitus mihi tradide
runt. Ipsiq; mecum unà fortissimo animo rempublicam
administrant. Item legionem, quam Qu. Cæcilius Bas-
sus habuit, ad me uenisse scito. Quatuorq; legiones,
Apodioxis. quas A. Allienus ex Aegypto eduxit, traditas ab eo mihi
esse scito. Nunc te cohortatione non puto indigere, ut
nos absenteis, remq; publicam quantum opus est, defen-
das. Scire te uolo, firma præsidia uobis, senatuiq; nõ de-
esse, ut optima spe, & maximo animo rempublicam
defendas. Reliqua tecum auget L. Carteius familiaris
meus. Vale. Data Nonis Martijs, ex castris
Taricheis.

ARG. EPIST. XXII. SEQ.

Hæc epistola uidetur ponenda post illam, quæ superius incepit, Quanto studio. Cum enim Cicero significasset, quæ pro Cassio e-
gisset, & quid de eo senatui promisisset, respondit Cassius se cogno
uisse amorem eius in se, & statim respondisse, & petisse, ut liter as
suas ad Senatum inspiciat, rogans ut dignitatem suam tueatur, &
Murcum commendatum habeat, additq; se Dolabellam perse-
cuturum.

C. Cassius M. T. C. S. P. D. 254

Nunciatoria & petitoria epistola. Exorditur ab amplificatione amoris Ciceronis erga se
Si uales, bene est: ego quidem ualeo. Legi tuas literas,
in quibus mirificum tuum erga me amorem recogno
ui. Videbaris enim non solum fauere nobis, id quod &
nostra, & reipublicæ causa semper feci sti: sed etiã gra-
uem curam suscepisse, uehementerq; esse de nobis soli-
citus. Itaq;, quòd te primùm existimare putabam, nos
oppressa republica quiescere non posse: deinde cum su-
Narratio. spicarere nos moliri, & te solicitũ esse & de salute nos-
stra,

stra, et de rerum euentu putabam: simul ac legiones ac-
cepi, quas A. Allienus eduxerat ex Aegypto, scripsi ad
te, ac tabellarios cõplures Romam misi. Scripsi etiam
ad senatum literas, quas reddi uetui prius, quàm tibi re-
citatæ essent: si forte mei obtemperare mihi uoluerint.
Quod si literæ perlatæ non sunt, non dubito, quin Dola- Narratio
bella, qui nefariè Trebonio occiso Asiam occupauit, ta-
bellarios meos deprehenderit, literasq; interceperit.
Exercitus omneis qui in Syria fuêre, teneo. Habui pau- Petitio
lulũ moræ, dum promissa militibus persoluo. Nunc iam A meritis suis.
sum expeditus. À te peto, ut dignitatem meam tibi com
mendatam habeas, si me intelligis nullũ neq; periculũ, Petitio
neq; laborẽ patriæ denegasse: si cõtra importunissimos
latrones arma cepi te hortante, & autore: si non solum
exercitum ad rempub. libertatemq; defendendam com
paraui, sed etiam crudelissimis tyrannis eripui. Quos
si occupasset Dolabella, non solũ aduentu, sed etiam opi
nione, & expectatione exercitus sui, Antonium confir-
masset. Quas ob res milites tuêre, si eos mirifice de rep. Alia petitio
meritos esse animaduertis: & effice, ne quem pœniteat,
rempub. quàm spem prædæ, et rapinarũ sequi maluisse.
Item Murci, & Crispi Imperatorũ dignitatem, quantũ
est in te, tuêre. Nam Bassus miserè noluit mihi legionem
tradere. Quòd nisi milites inuito eo legatos ad me mi-
sissent, clausam Apameam tenuisset, quoad ui esset ex-
pugnata. Hæc à te peto, non solum reip. quæ tibi semper
fuit charissima: sed etiã amicitiæ nostræ nomine, quam
confido apud te plurimũ posse. Crede mihi, hunc exer-

citum quem habeo, senatus, atq; optimi cuiusq; esse, maximeq; tuum. De cuius uoluntate assiduè audiendo, mirificè te diligit, charumq; habet. Qui si intellexerit cõmoda sua curæ tibi esse: debere etiam se tibi omnia putabit. Literis scriptis, audiui Dolabellam in Ciliciam uenisse cum suis copijs, proficiscar in Ciliciam. quid egerim, celeriter ut scias, dabo operam. Ac uelim, ut meremur de republica, sic felices simus. Fac ualeas, meq; ames. Nonis Maijs, ex castris. Vale.

Conclusio a narratiũcula.

ARG. EPIST. XXIIII SEQ.

Laudat Ciceronis factum, quod Antonius per ipsum hostis iudicatus, ob id superatus sit.

C. Cassius S. D. M. T. C. 255

Si uales, bene est: ego quidem ualeo. Cùm reipublicæ uel salute, uel uictoria gaudemus: tum instauratione tuarũ laudum, quòd maximus consularis maximũ Consulem teipsum uicisti, & lætamur, & mirari satis non possumus. Fatale nescio quid tuæ uirtuti datum: id quod iã sæpe experti sumus. Est enim tua toga omniũ armis felicior: quæ nunc quoq; nobis penè uictam rempublicam ex manibus hostium eripuit, ac reddidit. Nunc ergo uiuemus liberi. nunc te omnium maximũ ciuem, & mihi charissimum, id quod maximè reipub. tenebris compesti: nunc te habebimus testem nostri & in te, & in cõiunctissimam tibi rempublicã amoris: & quæ sæpe polliceris es, te & taciturum, dum serui essemus: & dicturum de me tum, cum mihi profutura essent, nunc illa nõ ego quidẽ dici tantopere desiderabo, quàm sentiri à te ipso. Neq; enim omnium iudicio malim me à te commendari, quàm ipse tuo iudicio dignè, ac mereor, commendatus esse: ut hæc nouissima nostra facta non subita, nec inconuenientia, sed similia illis cogitationibus, quarum tu testis es, fuisse iudices: meq; ad optimam spem patriæ non minimũ tibi ipsi producendum putes. Sunt tibi Marce Tulli liberi, propinquiq; digni quidẽ te, & meritò tibi charissimi. esse etiam debent in republica proximè hos chari, qui studiorum tuorum sunt æmuli: quorum esse cupio tibi copiam. Sed tamen non maxima me turba puto excludi, quò minus tibi uacet me excipere, & ad omnia, quæ uelis, & probes, producere. Animum tibi nostrum fortasse probauimus: ingenium certè diuturna seruitus quale cunq; est, minus tamen, quàm erat, passa est uideri. Nos ex ora maritima Asiæ prouinciæ, et ex insulis, quas potuimus, naueis deduximus. Delectum remigum, magna contumacia ciuitatũ, tamen satis celeriter habuimus. Secuti sumus classem Dolabellæ, cui Lucilius præerat: cui spem sæpe transitionis præbendo, neq; unquam non decedendo, nouissimè Corycũ se contulit, & clauso portu se tenere cœpit. Nos illa relicta, quòd & in castra peruenire satius esse putabamus, & sequebatur classis altera, quam anno priore in Bithynia Tullius Cimber cõpararat, cui Turulius quæstor præerat: Cyprũ petiuimus. Ibi, quæ cognouimus, scribere ad uos quàm celerrimè uoluimus. Dolabellã ut Tarsenses pessimi socij, ita Laodiceni multò amẽtiores ultrò accersierunt: ex quibus utrisq; ciuitatibus, Graecorũ militũ numero, speciẽ exercitus effecit. Castra habet ante oppi-

Laudatoria facti, & nunciatoria.

Exordium a gratulatione, qua Ciceroni felicitatem, quam in coniungendo Cęsare cũ repub. habuit, gratulatur.

Amplificat factum & felicitatem Ciceronis.

Ex fructibus uictoriæ.

Cõmendatio suæ personæ.

Narratio est rerũ uariarũ.

dum Laodiceam posita: & partem muri demolitus est: & castra oppido coniunxit. Cassius noster cum decem legionibus ex cohortibus uiginti auxiliarijs, et quatuor milium equitatu, à milibus passuum uiginti castra habet posita cum uallo: & existimat se sine prælio posse uincere. Nam iam ternis tetradrachmis triticum penes Dolabellam est, ut nisi quid nauibus Laodicenorum supportarit, citò fame pereat, necesse sit. Ne supportarè possit, & Cassij classis bene magna, cui præest Sextilius Rufus, & tres, quas nos adduximus, ego, Turulius, & Patiscus, facilè præstabunt. Et uolo uos benè sperare, & rempublicam, ut & uos istic expedijstis, ita pro nostra parte celeriter iter nobis expediri posse, cõfidere. Valè

C. Cassius Cæsaris interfector.

Conclusio

Epist. 48. lib. 13.

In lib. ueteri legis Acomantide.

Data Idibus Iunij, Cypro, Acromani lacride.

ARG. EPIST. SEQ.

Varia narrantur hac epistola, præcipua tamen capita sunt de Dolabellę persecutione: item Rhodiorum infidelitate, de exercitu suo, & studio erga Rempub.

Lentulus Ciceroni S. P. D. 256

Est narratio perpetua, & inter nuntiatorias epistolas recenseri debet. narrat de studio suo in persequendo Dolabella et de Rhodiorum improbitate.

CVm Brutum nostrum conuenissem, eumq; tardius in Asiam uenturum animaduerterem: in Asiam redij, ut reliquias mihi laboris colligerem, et pecuniam quàm primùm Romam mitterem. Interim cognoui in Cilicia esse classem Dolabellæ, amplius quàm centum naueis onerarias, in quas exercitus eius imponi posset. Idq; Dolabellam ea mente comparasse, ut si Syriæ spes eum frustrata esset, conscenderet in naueis, & Italiam peteret, seq; cum Antonijs, & reliquis latronibus coniungeret. Cuius rei tanto in timore fui, ut omnibus rebus relictis cum

cum paucioribus, & minoribus nauibus ad illas ire conatus sim. Quæres, si à Rhodijs nõ interpellatus essem, fortasse tota sublata esset: tamen magna ex parte profligata est. Quandoquidẽ classis dissipata est: aduentus nostri timore milites, ducesq; effugerunt: onerariæ omnes ad unam à nobis sunt exceptæ. Certè (quod maximè timui) uideor etiam consecutus, ut non posit classe Dolabella in Italiam peruenire, nec socijs suis firmatis durius uobis efficere negotium. Rhodij nos, & rempub. quàm ualde desperauerint ex literis, quas publicè misi, cognosces. Et quidẽ multò parcius scripsi, quàm reuera furere eos inueni. quòd uerò aliquid de his scripsi, mirari noli: mira est eorũ amentia, nec me meæ ullæ priuatim iniuriæ mouerunt unquam: malus animus eorũ in nostrã salutem, cupiditas partium aliarũ, perseuerantia in contemptione optimi cuiusq; ferenda mihi non fuit. nec tamen omneis perditos esse puto. Sed ijdem illi, qui tum fugientem patrem meũ, qui L. Lentulum, qui Pompeium, qui cæteros uiros clarissimos non receperunt: ijdem tanquam aliquo fato & nunc aut magistratum gerunt, aut eos, qui sunt in magistratu, in sua habẽt potestate. Itaq; eadem superbia & in prauitate utuntur. Quorum improbitatem aliquando retundi, & non pati impunitate augeri, non solum utile est reipublicæ nostræ, sed etiam necessarium. De nostra dignitate uelim tibi ut semper curæ sit: & quocunq; tempore occasionem habueris, & in senatu, & in cæteris rebus laudi nostræ suffragere. Quando Cõsulibus decreta est Asia, et permissum est

Commendatio suæ dignitatis.

ijs, ut dum ipsi uenirent, darent negotiũ, qui Asiam obtineant: rogo te petas ab ijs, ut hanc dignitatem potissimum nobis tribuant, & mihi dent negotium, ut Asiam obtineam, dum ipsorum alteruter uenit. Nam quòd huc properẽt in magistratu uenire, aut exercitum mittere, causam non habent. Dolabella enim in Syria est: &, ut tu diuina tua mente prospexisti, & prædicasti, dum isti uenient, Cassius eum opprimet. Exclusus enim ab Antiochia Dolabella, & in oppugnando malè acceptus, nulla alia confisus urbe, Laodiceam, quæ est in Syria ad mare, se contulit. ibi spero celeriter eum pœnas daturum. Nam neq; quò refugiat, habet: neque diutius ibi poterit tantum exercitum Cassij sustinere. spero etiam confectum esse iam, & oppressum Dolabellam. Quare non puto Pansam & Hirciũ in consulatu properaturos in prouincias exire, sed Romæ peracturos consulatum. Itaq; si ab his petieris, ut interea nobis procurationem Asiæ dẽt, spero te posse impetrare. præterea mihi promiserunt Pansa, & Hircius coràm, & absenti mihi scripserunt: Verrioq; nostro Pansa affirmauit se daturum operam, ne in suo cõsulatu mihi succedatur. Ego porrò non mediusfidius cupiditate prouinciæ produci longius spatium mihi uolo. nam mihi fuit ista prouincia plena laboris, periculi, detrimenti. quæ ego ne frustra subierim, néue prius, quàm reliquias meæ diligentiæ consequar, decedere cogar, ualde laboro. Nam si potuissem, quam exegeram pecuniam, uniuersam mittere: postularem, ut mihi succederetur. Nunc quod Cassio dedi, quod Tre

bonij morte amisimus, quod etiam crudelitate Dolabellæ, aut perfidia eorum, qui mihi fidem, reiq; publicæ non præstiterunt: id consequi, & reficere uolo. Quod aliter non potest fieri, nisi spacium habuero: id ut per te consequar, uelim, ut solet, tibi curæ sit. Ego me de republica ita puto esse meritum, ut non prouinciæ istius beneficium expectare debeam, sed tantum, quantum Cassius, & Bruti, non solùm illius facti, periculiq; societate, sed etiam huius temporis studio, & uirtute. Primus enim ego leges Antonianas fregi: primus equitatũ Dolabellæ ad rempublicam traduxi, Cassioq; tradidi: primus delectus habui pro salute omnium contra coniurationem sceleratissimam: solus Cassio, & reipublicæ Syriam, exercitusq;, qui ibi erant, coniunxi. Nam nisi ego tantam pecuniam, tantaq; præsidia, & tam celeriter Cassio dedissem: ne ausus quidem esset ire in Syriam: & nunc non minora pericula reipub. à Dolabella instarent, quàm ab Antonio. Atq; hæc omnia is feci, qui & sodalis, & familiarissimus Dolabellæ eram, cõiunctissimus sanguine Antonijs: prouinciam quoq; illorum beneficio habebã: sed πατρίδα ἐμὴν μᾶλλον φιλῶν, omnibus meis bellum primus induxi. Hæc etsi adhuc nõ magnopere mihi tulisse fructum animaduerto, tamen non despero, nec defatigabor permanere, non solùm in studio libertatis, sed etiam in labore, & periculis. Attamen si etiam aliqua gloria iusta, & merita prouocabimur, Senatus, & optimi cuiusq; officijs: maiore cum autoritate apud cæteros erimus, & eò plus prodesse

Congeries & amplificatio suorum beneficiorum.

Affectus

Id est, patriã meam magis amans.

Amplificatio ex cõsequentibus scilicet, quia non sit debitus fructus seu merces consecutus.

reipublicæ poterimus. Filium tuũ, ad Brutum cùm ueni, uidere nõ potui, ideo quòd iam in hyberna cum equitibus erat profectus. sed mediusfidius ea esse eum opinione, & tua, & ipsius, & in primis mea causa, gaudeo. Fratris enim loco mihi est, qui ex te natus, teq; dignus est. Vale. Data IIII. Calendas Iunij, Pergæ.

ARG. EPIST. SEQ.

Scribit eodem argumento fere hanc epistolã publice, quo superiorem scripserat ad Ciceronẽ: nisi quod cum Dolabella inuasisset Asiã, eamq; uastasset, & ciues Romanos spoliasset, & uenditis spoliis celerius discessisset ex Asia, q̃ præsidiũ in eam adduci potuisset: dicit nõ putasse sibi præsidium mittendum a Bruto: omnem autem diligentiam facere, & fecisse ad inquirendum scelus Dolabellæ.

P. Lentulus P.F. Proquæstor P.R. Coss. Præt. Tr. Pl. Sen. P. Q. R. S. P. D. 257

Nunciatoria epistola: & est narratio perpetua. Brutus uir clarissimus.

SI ualetis, liberiq; V.V.B.E.E.V. Scelere Dolabellæ oppressa Asia, in proximam prouinciam Macedoniam, præsidiaq; reipublicæ, quæ M. Bru. V. C. tenebat, me contuli: & id egi, ut per quos celerrimè posset, Asia prouincia, uectigaliaq; in uestram potestatẽ redigerentur. Quod cum pertimuisset Dolabella, & uastata prouincia, correptis uectigalibus, præcipuè ciuibus Romanis omnibus crudelissimè denudatis, ac diuenditis, celerius Asia excessisset, quàm eò præsidium adduci potuisset: diutius morari, aut expectare præsidium nõ necesse habui: & quàm primum ad meũ officium reuertendum mihi esse existimaui, ut & † reliqua uectigalia exigerẽ, & quam deposui pecuniam, colligerem: quicquid ex ea correptum esset, aut quorum id culpa accidisset, cognoscerem quàm primùm, & uos de omni re facerem certiores.

Sublatis, interceptis fraude.

† alij, ut reliqua uectigalia.

tiores. Interim cum per insulas in Asiam nauiganti mihi nuntiatum esset, classem Dolabellæ in Lycia esse, Rhodiosq; naueis complureis instructas, & paratas in aqua habere: cum ijs nauibus, quas aut mecum adduxeram, aut cõparauerat * Patiscus Proquæstor, homo mihi cùm familiaritate, tum etiam sensibus in repub. coniunctissimus, Rhodum reuerti, confisus autoritate uestra, senatusq; consulto, quo hostem Dolabellam iudicaratis: fœdere quoq;, quod cum his M. Marcello, Seruio Sulpitio COSS. renouatum erat: quo iurauerãt Rhodij eosdem hosteis se habituros, quos S.P.Q.R. Quæ res nos uehementer fefellit. Tantum enim abfuit, ut illorum præsidio nostram firmaremus classem, ut etiam à Rhodijs urbe, portu, statione, quæ extra urbem est, commeatu, aqua deniq; prohiberentur nostri milites: nos uix ipsi singulis cum nauigiolis reciperemur. Quam indignitatem, diminutionemq; maiestatis non solùm iuris nostri, sed etiam imperij, populiq; Romani, idcirco tulimus, quòd interceptis literis cognoramus Dolabellã, si desperasset de Syria, Aegyptoq;, quod necesse erat fieri, in naueis cum omnibus suis latronibus, atq; omni pecunia cõscendere esse paratum, Italiamq; petere: idcirco etiam naueis onerarias, quarum minor nulla erat duũm millium amphorarum, contractas in Lycia à classe eius obsideri. Huius rei timore Patres Conscripti percitus, iniurias perpeti, & cum contumelia etiã † nostra omnia prius experiri malui. Itaq; ad illorũ uoluntatem introductus in urbem, & in Senatum eorum, quàm diligentissimè

Qui & ipse gloriabatur se unum ex Cæsaris interfectoribus fuisse.

Epistola II. huius libri.

At. amphorũ

† uestra

tissimè potui, causam reipublicæ egi: periculũq; omne, quod instaret, si ille latro cum omnibus suis naueis conscendisset, exposui. Rhodios autem tanta † importunitate animaduerti, ut omneis firmiores putarent, quàm bonos: ut hanc cõcordiam, & conspirationem omnium ordinum ad defendendam libertatem, propense non crederent esse factam: ut patientiam Senatus, & optimi cuiusq; manere etiam nunc confiderent, nec potuisse audere quenquam Dolabellam hostem iudicare: ut denicq; omnia quæ improbi fingebant, magis uera existimarent, quàm quæ uerè facta erant, & à nobis docebantur. Qua mente etiam antè nostrum aduentum, post Trebonij indignissimam cædem, cæteraq; tot, tamq; nefaria scelora binæ profectæ erant ad Dolabellam legationes eorum, & quidem nouo exemplo, contra leges ipsorum, prohibentibus ijs, qui tum magistratus gerebant. Hæc, siue timore (ut dicitant) de agris, quos in contienti habent, siue furore, siue *potentia paucorum, qui & antea pari contumelia uiros clarissimos affecerant, & nunc maximos magistratus gerentes, nullo exemplo, neq; uestra ex parte, neq; nostro præsentium, neq; imminenti Italiæ, urbiq; nostræ periculo, si ille parricida cum suis latronibus, nauibus ex Asia, Syriaq; expulsus Italiam petijsset, mederi cùm facilè possent, noluerunt. Nonnullis etiam ipsi magistratus ueniebant in suspicionem, detinuisse nos, & demoratos esse, dum classis Dolabellæ certior fieret de aduẽtu nostro. Quam suspicionem consecutæ res aliquot auxerunt: maximè quòd subitò ex Lycia Sext. Marius, & C. Titius legati Dolabellæ à classe discesserunt, nauiq; longa profugerunt, onerarijs relictis, in quibus colligendis non minimum temporis, laborisq; consumpserunt. Itaq; cum à Rhodo cum ijs, quas habueramus, nauibus in Lyciam ueniss̃emus, naueis onerarias recepimus, dominisq; restituimus: ijdemq;, quod maximè uerebamur, ne posset Dolabella cum suis latronibus in Italiã uenire, timere desijmus. classem fugientẽ persecuti sumus usq; in Sydam, quæ extrema regio est prouinciæ meæ. Ibi cognoui partem nauium Dolabellæ diffugisse, reliquas Syriam † Cyprumq; petijsse. Quibus disiectis, cum scirem C. Cassij singularis ciuis, & ducis classem maximam fore præsto: in Syriam ad meum officium reuerti: daboq; operam, ut meum studium, & diligentiam uobis P. C. reiq; pub. præstem: pecuniamq;, quàm maximã potero, & quàm celerrimè cogã, omnibusq; cum rationibus ad uos mittam. Si percurrero prouinciam, & cognouero qui uobis, & reip. fidem præstiterũt in conseruanda pecunia à me depositа, quiq; scelere ultro deferentes pecuniam publicã, hoc munere societatẽ facinorũ cum Dolabella inierunt, faciam uos certiores. de quibus, si uobis uidebitur, si, ut meriti sunt, grauiter constitueritis, *nosq; †uosq; uestra autoritate firmaueritis: facilius & reliqua exigere uectigalia, & exacta seruare poterimus. Interea quò cõmodius uectigalia tueri, prouinciamq; ab iniuria defendere possim, præsidium necessarium, uoluntariumq; comparaui. His literis scriptis, milites circiter XXX. quos

† in praui-tate.

Alij dicebantur.

Al. hæc siue timor est.

† patientia

Superiore epistola.

Al. piæ cepto

† Aegy-ptũq; pet.

quos Dolabella ex Asia conscripserat, è Syria fugientes in Pamphyliam uenerunt. hi nuntiauerunt, Dolabellam Antiochiam, quæ in Syria est, uenisse: non receptum, conatum esse aliquoties ui introire, repulsum semper esse cum magno suo detrimento. Itaq; centum circiter amissis, ægrisq; compluribus relictis, noctu Antiochia profugisse Laodiceam uersus. Ea nocte omneis ferè Asiaticos milites ab eo discessisse: ex his ad octingentos Antiochiam redijsse, & se ijs tradidisse, qui à Cassio relicti, urbi illi præerant: cæteros per Amanum in Ciliciam descendisse: quo ex numero, se quoque esse dicebant: Cassium autem cum suis omnibus copijs nuntiatum esse quatridui iter à Laodicea abfuisse tum, cùm Dolabella eò tenderet. Quamobrem opinione celerius confido sceleratissimũ latronem pœnas daturum. Quarto Nonas Iunias, Pergæ.

ARG. EPIST. SEQ.

Trebonius post cædem Cæsaris ex decreto Asiam petẽs, uidit Athenis Ciceronẽ Ciceronis filium philosophantẽ sub Cratippo, ut in principio Officiorum meminit Cicero. eum ergo sibi usum laudat: dicitq; inuitasse ad Asiam secum uisendam: tum dicit se audisse turbulenta ab urbe, secq; inuectum in Cæsarem.

C. Trebonius M. T. Ciceroni S. P. D. 258

Epistola est gratulatoria. Nunciatoria epistola. A narratione exordiatur. Propositio Ratio

SIuales, bene est: ego quidem ualeo. Athenas ueni ad XI. Calend. Iunij, atq; ibi, quod maximè optabã, uidi filium tuum deditum optimis studijs, summáq; modestiæ fama. Qua ex re quantam uoluptatem ceperim, scire potes etiam me tacente. non enim nescis quanti te faciã, & quàm pro nostro ueterrimo, uerissimoq; amore omnibus tuis etiam minimis commodis, non modò tanto bono

bono gaudeam. Noli putare mi Cicero me hoc auribus tuis dare: nihil adolescente tuo, atq; adeò nostro (nihil enim mihi à te potest esse seiunctum) aut amabilius omnibus ijs, qui Athenis sunt, est: aut studiosius earum artium, quas tu maximè amas, hoc est, optimarum. Itaque tibi, quòd ferè facere possum, libenter quoq; gratulor, nec minus etiam nobis: quòd eum, quẽ necesse erat diligere, qualiscunq; esset, talem habemus, ut libenter quoq; diligamus. Qui cum mihi in sermone iniecisset se uelle Asiam uisere: non modò inuitatus, sed etiam rogatus est à me, ut id potissimum nobis obtinentibus prouinciam faceret. Cui nos & charitate, & amore tuum officium præstaturos non debes dubitare. Illud quoque erit nobis curæ, ut Cratippus unà cum eo sit, ne putes in Asia feriatum illum ab ijs studijs, in quæ tua cohortatione incitatur, futurum. Nam illum paratum ut uideo, & ingressum pleno gradu, cohortari non intermittemus, quò in dies longius discendo, exercendoq; se, procedat. Vos quid ageretis in republica, cùm has literas dabam, non sciebam. Audiebam quædam turbulenta, quæ scilicet cupio esse falsa, ut aliquando otiosa libertate fruamur: quod uel minimè adhuc mihi contigit. Ego tamen nactus in nauigatione nostra pusillum laxamenti, conscribam tibi munusculum ex instituto meo: & dictum, cum magno nostro honore à te dictum, concluſi, & tibi infrà subscripsi. In quibus uersiculis si tibi quibusdam uerbis ἀσχημονέστερος uidebor: turpitudo personæ eius, in quam liberius inuehimur, nos uindicabit. Ignosces

Amplificatio studiorũ adolescentis.

Conclusio

Ad institutã narrationem redit.

Alia narratio

Id est turpior

sces etiam iracundiæ nostræ, quæ iusta est in eiusmodi & homines, & ciueis. Deinde, quî magis hoc Lucilio licuerit assumere libertatis, quàm nobis? cùm, etiam si odio pari fuerit in eos, quos læsit, tamen certè non magis dignos habuerit, in quos tanta libertate uerborum incurreret. Tu, sicut mihi pollicitus es, adiunges me quàm primùm ad tuos sermones. Nanq; illud non dubito, quin si quid de interitu Cæsaris scribas, non patiaris me minimã partẽ & rei, & amoris tui ferre. Vale, & matrem, meosq; tibi commendatos habe. VIII. Calendas Iunias, Athenis.

Conclusio

ARG. EPIST. SEQ.

Cæsare rerum potito, Cornificius uir in poetica clarus, Libyæ præpositus, illi etiam post necẽ Cæsaris præfuit: qui cum scripsisset ad Ciceronem, rescribit Cicero sibi gratũ esse, quod sui memorem nosset, timuisse illi tumultum ortum in Syria: otium honestum esse Romæ, secq; scripsisse de optimo genere dicendi, quod ut laudet, rogat. Postremo eius ingenium miratur.

M. T. C. Cornificio Collegæ S. P. D. 259

Nunciatoria epistola. Exorditur a iucunditate, quam accepe rit ex literis Cornificij.

GRata mihi uehemẽter est memoria nostri tua, quam significasti literis: quam ut conserues, non quòd de tua constantia dubitem, sed quia mos est ita rogandi, rogo. Ex Syria nobis tumultuosiora quædam nuntiata sunt: quæ, quia tibi sunt propiora, quàm nobis, tua me causa magis mouẽt, quàm mea. Romæ summum otium est, sed ita, ut malis salubre aliquod, & honestum negotium: quod spero fore, quia uideo id curæ esse Cæsari. Me scito, dum tu absis, quasi occasionem quandam, & licentiam nactum, scribere audacius: & cætera quidem fortasse, quæ etiam tu concederes. Sed proximè scripsi de

Narratio

de optimo genere dicendi: in quo sæpe suspicatus sum te à iudicio nostro, sic scilicet, ut doctum hominem à non indocto, paululum dissidere. Huic tu libro, maximè uelim ex animo: si minus, gratiæ causa suffragêre. Dicam tuis, ut eum, si uelint, describant, ad teq; mittant. Puto enim etiam si rem minus probabis, tamen in ista solicitudine quicquid à me profectum sit, iucundum tibi fore. Quòd mihi existimationem tuam, dignitatemq; cõmendas, facis tu quidem omnium more: sed uelim sic existimes, me, cum amori, quem inter nos mutuum esse intelligam, plurimum tribuam, tum de summo ingenio, & de optimis tuis studijs, & de spe amplissimæ dignitatis ita iudicare, ut neminem tibi anteponam, comparem paucos. Vale.

Conclusio ab opinione, quam habeat de Cornificio

ARG. EPIST. SEQ.

Excusat se primo, quod Cornificius literas a se non acceperit, cum nullum, qui eas ferret, prætermiserit. Damnat otium urbis, ut quod putat contra dignitatem suam: mallet enim in republica florere. Optatq; ipsum Cornificium adesse, qui cum ridere possit, quæ in urbe fiant.

M. T. C. Cornificio Collegæ S. P. D. 260

Exordium a consuetudine Oratorũ, ut Hysteron Proteron dicatis. Excusatoria & nunciatoria epistola. A propositione.

QVod extremum fuit in ea epistola, quam à te proximè accepi, ad id primum respondebo. Animaduerti enim hoc uos magnos oratores facere nõnunquã. Epistolas requiris meas: ego autem nunquàm, cùm mihi denuntiatum esset à tuis ire aliquem, non dedi. Quod mihi uideor ex tuis literis intelligere, te nihil cõmissurum esse temerè, nec antè, quàm scisses, quò iste nescio qui Cæcilius Bassus erumperet, quicquam certi constituturum: id ego & sperabã prudentia tua fretus: &, ut confide

Excusat Cicero id, quod de raritate literarum eius Cornificius conquerebatur.

confiderem, fecerunt tuæ grauiſſimæ literæ. Idq; ut facias quàm ſæpiſſimè, ut & quid tu agas, & quid agatur, ſcire poſſim, & etiam quid acturus ſis, ualde te rogo. Etſi periniquo patiebar animo te à me digredi: tamen eo tempore me conſolabar, quòd & in ſummum etiam otium te ire arbitrabar, & impendentibus magnis negotijs, diſcedere. Vtrunq; contrà accidit. Iſtic enim bellum eſt exortum: hìc pax conſecuta: ſed eiuſmodi pax, in qua, ſi adeſſes, multa te non delectarent: ea tamen, quæ ne ipſum Cæſarem quidem delectant. Bellorum enim ciuilium hi ſemper exitus ſunt: ut non ea ſolum fiant, quæ uelit victor, ſed etiam, ut ijs mos gerendus ſit, quibus adiutoribus parta ſit victoria. Equidem ſic iam obdurui, ut ludis Cæſaris noſtri æquiſſimo animo uiderem T. Plancum, audirem Laberij, & Publij poëmata. Nihil mihi tam deeſſe ſcito, quàm qui cum hæc familiariter, docteq; rideam. Is tu eris, ſi quàm primùm ueneris. Quod ut facias, non mea ſolùm, ſed etiam tua intereſſe arbitror. Vale.

Cõcluſio ab hortatiũcula

ARG. EPIST. SEQ.

Cum Cæſar præfeciſſet Cornificium Syriæ, & iam in ea bellum timeretur, aut iam eſſet, optat Cicero eam rem illi feliciter euenire, poſtea uero contra bellum Parthicum monet, quo modo agere debeat: oſtenditq; ſe cupere ſcire, quid ille hactenus egerit.

Exordiũ ex occaſione, quod literæ redditæ ſint. Gratulatoria & petitoria epiſtola.

261

M. T. C. Cornificio S. P. D.

Libentiſſimè legi tuas literas: in quibus iucundiſſimum mihi fuit, quòd cognoui meas tibi redditas eſſe. Non enim dubitabam, quin eas libenter lecturus eſſes: uerebar, ne redderentur. Bellũ, quod eſt in Syria, Syriamq; prouinciam tibi tributam eſſe à Cæſare, ex tuis literis cognoui, eandem rem tibi uolo benè, & feliciter euenire. Quod ita fore confido, fretus & induſtria, & prudẽtia tua. Sed de Parthici belli ſuſpicione, quod ſcribis, ſanè me commouit. Quantum copiarum haberes, cùm ipſe coniectura conſequi poteram, tum ex tuis literis cognoui. Itaq; opto, ne ſe illa gens moueat hoc tempore, dum ad te legiones eæ perducantur, quas audio duci. Quòd ſi partes copias ad confligendum nõ habebis, nõ te fugiet uti conſilio M. Bibuli, qui ſe oppido munitiſſimo, & copioſiſſimo tandiu tenuit, quandiu in prouincia Parthi fuerunt. Sed hæc melius ex re, & ex tempore conſtitues. Mihi quidem uſq; curæ erit quid agas, dũ, quid egeris, ſciero. Literas ad te nunquam habui cui darem, quin dederim. À te, ut idẽ facias, peto: in primisq;, ut ita ad tuos ſcribas, ut me tuum † ſciant eſſe.

Narratio.

Cõcluſio

† ſentiant

ARG. EPIST. SEQ.

Cum proficiſceretur Cornificius per Campaniam, noluit diuertere in uillam Ciceronis in agro Sinueſſano: unde iocans Cicero, dicit uillam ſuam, licet paruam, non paſſuram hanc iniuriã, niſi in Cumano, & Pompeiano compenſetur. Rogat, ut ſe literis laceſſat.

Narratio, in qua expoſtulat quod ad ſe non diuerterit

Iocoſa et hortatoria epiſtola.

A ioco exorditur

Id eſt, omnia de omnibus

262

M. C. Cornificio Collegæ S. D.

Gratæ mihi tuæ literæ, niſi quòd Sinueſſanum diuerſoriolum contempſiſti. Quam quidem contumeliã uilla puſilla iniquo animo feret, niſi in Cumano, & Pompeiano reddideris πάντα περὶ πάντων. Sic igitur facies, meq; amabis, & ſcripto aliquo laceſſes. Ego enim reſpondere facilius poſſum, quàm prouocare. Quòd ſi, ut es, ceſſabis, laceſſam: ne tua ignauia etiam inertiam

Cõclusio ab apodioxi.

afferat. Plura otiosus. Hæc, cum essem in senatu, exaraui. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Commendat Cornificio præfecto Aphricæ C. Anitium familiarem suum proficiscentem legatum in eam prouinciam, rogatq; ut eum omnibus uijs adiuuet.

M. C. Cornificio S. D. 263

Commendatitia. A narratione & est commẽdatoria epistola Narratio

CAius Anitius familiaris meus, uir omnibus rebus ornatus, negotiorum suorum causa legatus est in Aphricã legatione libera. eum uelim rebus omnibus adiuues, operamq; des, ut quàm commodißimè sua negotia conficiat. In primisq;, quod ei charißimum est, dignitatem eius tibi commendo. Idq; à te peto, quod ipse in prouincia facere sum solitus non rogatus, ut omnibus senatoribus lictores darem: quod idem acceperam, & cognoueram à summis uiris factitatum. Hoc igitur mi Cornifici facies: cæterisq; rebus omnibus eius dignitati, reiq;, si me amas, consules. id erit mihi gratißimum. Da operam, ut ualeas.

ARG. EPIST. SEQ.

Scribit se post cædẽ Cæsaris habere magnum bellum cũ C. Antonio Marci fratre, sed se agere uerbis, illũ armis. Queriturq; rem publicam desolatam, cum Brutus, & Cassius absint. Deinde scribit de decreto Senatus, unde uidetur hæc epistola scripta paulo post necem Cæsaris, superiores ante eam.

M. T. C. S. D. P. Cornificio. 264

Narratoria, & petitoria iuxta hortatoria

A narratione

NOs hic cum homine gladiatore, omnium nequißimo collega nostro Antonio bellum gerimus, sed non pari conditione, contra arma, uerbis. At etiam de te concionatur, nec impune: nam sentiet, quos lacessierit. Ego autem acta ad te omnia arbitror perscribi ab alijs. à me

futura debes cognoscere, quorum quidem non est difficilis coniectura. Oppressa omnia sunt: nec habent ducem boni: nostriq; τυραννοκτόνοι longè gentium absunt. Pansa & sentit bene, & loquitur fortiter: Hircius noster tardius conualescit. Quid futurum sit, planè nescio. Spes tamen est una, aliquando populũ Roma. maiorum similem fore. Ego certè reipubli. non deero: & quicquid acciderit, à quo mea culpa absit, animo forti feram. Illud profectò quoad potero, tuam famam, & dignitatem tuebor. Ad XIII. Calend. Ianuar. Senatus frequens mihi est assensus, cum de cæteris rebus magnis, & necessarijs, tum de prouincijs ab ijs, qui obtinerẽt, retinendis, neq; cuiquam tradendis, nisi qui ex senatusconsulto successisset. Hoc ego cùm reipub. causa cẽsui, tum mehercule in primis retinendæ dignitatis tuæ. Quamobrem te amoris nostri causa rogo, reipubl. causa hortor, ut ne cui quicquam iuris in tua prouincia esse patiare: atq; ut omnia referas ad dignitatem, qua nihil potest esse præstantius. Verè tecum agam, ut necessitudo nostra postulat in Sempronio, si meis literis obtemperasses, maximam ab omnibus laudem adeptus esses. Sed illud & præterijt, & leuius est. Hæc magna res est. Fac ut prouinciam retineas in potestate reipub. Plura scripsissem, nisi tui festinarent. Itaq; Cherippo nostro me uelim excuses. Vale.

Propositio. id est, tyrannicidæ Variæ narrationes

Et petitio & hortatiũcula Conclusio cõtinens adhortationem

Conclusio

ARG. EPIST. SEQ.

Ex Tratorio se omnia intellexisse ait: quæ intolerabilia quidẽ sunt, sed quæ speret ab eo ulciscenda.

M. T. C. P. Cornificio S. D. 265

A narratione

OMnem conditionem imperij tui, statumq; prouinciæ mihi demonstrauit Tratorius. Ò multa intolerabilia locis omnibus. Sed quò tua maior dignitas, eo quæ tibi acciderunt, minus ferenda. Neq; enim, quæ tu propter magnitudinem et animi, & ingenij moderatè fers, à te non ulciscenda sunt, etiam si non sint dolenda. Sed hæc posterius.

ARG. EPIST. SEQ.

Hanc epistolam quædam exemplaria habent superiori annexã: in qua scribit acta rerum urbanarum, licet ea putet ad Cornificium mitti: scribit autem præcipue de Antonio & Augusto.

M. C. C. Cornificio S. P. D. 266

RErum urbanarum acta tibi mitti certò scio: quòd nisi rita putarem, ipse perscriberem, in primisq; Cæsaris Octauiani conatum: de quo multitudini fictum ab Antonio crimen uidetur, ut in pecuniam adolescentis impetum faceret. Prudentes autem, & boni uiri & credunt factum, & probant. Quid quæris? magna spes est in eo. nihil est quod non existimetur laudis, & gloriæ causa facturus. Antonius autem noster familiaris, tãto se odio esse intelligit, ut cum interfectores suos domi comprehenderit, rem proferre non audeat. Itaq; ad VII. Idus Octobris Brundusium uenerat, profectus obuiam legionibus Macedonicis IIII. quas sibi conciliare pecunia cogitabat, easq; ad urbem adducere, & in ceruicibus nostris collocare. Habes formam Reipubli. si in castris potest esse respub. in qua tuam uicem sæpe doleo, quòd nullam partem per ætatem sanæ, & saluæ reipub. gustare potuisti. Atque ante hac quidem sperare saltem licebat: nunc etiam illud ereptum est. Quæ enim spes est, cũ in concione dicere ausus sit Antonius, Canutium apud eos sibi locum quærere, quibus se saluo locus in ciuitate esse non posset? Equidem & hæc, & omnia quæ homini accidere possunt, sic fero, ut philosophiæ habeam magnam gratiam, quæ non modò me à solicitudine abducit, sed etiam contra omneis fortunæ impetus armat. tibiq; idem censeo faciundũ, nec à quo culpa absit, quicquam in malis numerandum. Sed hæc tu melius. Tratorium nostrum cùm semper probassem, tum maximè in tuis rebus summam eius fidem, diligentiam, prudentiamq; cognoui. Da operam, ut ualeas: hoc mihi gratius facere nihil potes.

ARG. EPIST. SEQ.

Scripta est hæc epistola, quo tempore M. Antonius obsidebat Mutinæ D. Brutum, in qua dicit se tueri dignitatem Cornificij: Hortatur, ut in rempub. incumbat, dicit nihil certi esse Romæ, cũ legati ad Antonium missi, ut desisteret, nondum redierint, ac demum commendat ei T. Pinarium.

M. T. C. S. P. D. Cornificio. 267

EGo nullum locum prætermitto (nec enim debeo) non modò laudandi tui, sed ne ornandi quidem. Sed mea studia erga te, & officia malo tibi ex tuorum literis, quàm ex meis esse nota. Te tamen hortor, ut omni cura in rempublicam incumbas: hoc est animi, hoc est ingenij tui, hoc est eius spei, quam habere debes amplificandæ dignitatis tuæ. Sed hac de re aliâs ad te pluribus, cũ enim hæc scribebam, in expectatione erant omnia. nõdum legati redierant, quos senatus non ad pacem deprecandam,

Exordium a suo erga Cornificium studio

Commemorat sua officia

Apodioxis. Hortatũcula

precandam, sed ad bellum denunciandum miserat, nisi Legatorum nuncio paruisset. Ego tamen, ut primum occasio data est, meo pristino more rempublicam defendi: me principem senatui, populoq; Romano professus sum: nec posteà, quàm suscepi causam libertatis, minimum tempus amisi tuendæ salutis libertatisq; communis. Sed hæc quoque te ex alijs malo. T. Pinarium familiarissimum meum, tanto tibi studio commendo, ut maiore non possim. Cui cùm propter omneis uirtutes, tum etiam propter studia communia sum amicissimus. Is procurat rationes, negotiaq; Dionysij nostri, quem & tu multum amas, & ego omnium plurimum. Ea tibi ego non debeo commendare: sed commendo tamen. Facias igitur, ut ex Pinarij gratissimi hominis literis tuum & erga illum, & erga Dionysium studium perspiciamus. Vale.

Narratio

Commendat Cornificio Pinarium

ARG. EPIST. SEQ.

Narrat, quam diligẽter egerit causam Cornificij, & ut literæ eius commendatæ fuerint, cum eas Pansa recitarit. Deinde dicit decretum esse de prouinciis retinendis. Admittit excusationẽ de Sempronio, pollicetur se reipublicæ non defuturum, ac demum cõmendat amicos suos, qui hæreditatem habebant in Africa.

M. T. C. S. P. D. Cornificio. 263

Liberalibus literas accepi tuas, quas mihi Cornificius altero uigesimo die, ut dicebat, reddidit. Eo die non fuit senatus, neq; postero. Quinquatribus frequenti senatu causam tuam egi non inuita Minerua. Etenim eo ipso die senatus decreuit, ut Minerua nostra, custos urbis, quam turbo deiecerat, restitueretur. Pansa tuas literas recitauit. Magna senatus approbatio consecuta est

Nunciatoria & petitoria & commendatoria

A narratione

Alia narratio

est cum summo gaudio, & offensione Minotauri, id est, Caluisij, & Tauri. Factum de te senatusconsultum honorificum. Postulabatur autem, ut etiam illi notarentur: sed Pansa clementior. Ego mi Cornifici quo die primùm in spem libertatis ingressus sum, & cunctantibus cæteris ad XIII. Calend. Ian. fundamenta reipu. ieci: eo ipso die prouidi multum, atq; habui rationẽ dignitatis tuæ. Mihi enim est assensus senatus de obtinendis prouincijs. Nec uerò posteà destiti labefactare eum, qui summa cũ tua iniuria, contumeliaq; reipublicæ prouinciam absens obtinebat. Itaq; crebras, uel potius quotidianas cõpellationes meas non tulit, seq; in urbem recepit inuitus: neque solùm spe, sed certa re iam, & possessione deturbatus est. Meo iustissimo, honestissimoq; cõuitio te tuam dignitatem summa tua uirtute tenuisse, prouinciaq; honoribus amplissimis affectum, uehementer gaudeo. Quòd te mihi de Sempronio purgas, accipio excusationem: fuit enim illud quoddã † cæcum tempus seruitutis. Ego tuorũ consiliorum autor, dignitatisq; fautor, iratus tẽporibus, in Græciã desperata libertate rapiebar: cum me Etesiæ, quasi boni ciues, relinquentẽ rempub. prosequi noluerunt: Austerq; aduersus maximo flatu me ad tribuleis tuos Rhegyũ retulit: atq; inde uẽtis, remisq; in patriam omni festinatione properaui, postridieq; in summa reliquorum seruitute liber unus fui. Sic sum in Antonium inuectus, ut ille non ferret, omnemq; suum uinolentũ furorem in me unũ effunderet: meq; cũ elicere uellet ad cædis causam, tum tentaret insidijs:

Gratulatur Cornificio

Respõdet ad excusationẽ Cornificij

† Græcum

quem ego ructantem, & nauseantem conieci in Cæsaris Octauiani plagas. Puer enim egregius præsidium sibi primùm, & nobis, deinde summæ reipublicæ comparauit: qui nisi fuisset, Antonij reditus à Brundusio, pestis patriæ fuisset. Quæ deinceps acta sunt, scire te arbitror. Sed redeamus ad illud, unde diuertimus. Accipio excusationem tuam de Sempronio: neq; enim statuti quid in tanta perturbatione habere potuisti. Nunc hic dies aliam uitam affert, alios mores postulat, ut ait Terentius. Quamobrem, mi Quinte, conscende nobiscum, & quidem ad puppim. Vna nauis est iam bonorum omnium: quam quidem nos damus operam, ut rectam tenemus: utinam prospero cursu. Sed quicunq; uenti erūt, ars nostra certè non aberit. Quid enim præstare aliud uirtus potest? Tu fac, ut animo magno sis, & excelso: cogitesq; omnem dignitatem tuam cum republica coniunctam esse debere. P. Luceium mihi meum commendasti quem, quibuscunq; rebus potero, diligenter tuebor. Hircium quidem, & Pansam collegas nostros, homines in consulatu reipublicæ salutareis alieno sanè tempore amisimus, repub. Antoniano quidem latrocinio liberata, sed nondum omnino explicata: quam nos, si licebit, more nostro tuebimur: quanquàm admodū sumus iam defatigati. Sed nulla lassitudo impedire officium, & fidem debet. Verum hæc hactenus. Ab alijs te de me, quàm à meipso, malo cognoscere. De te audiebamus ea, quæ maximè uellemus. De Cn. Minutio, quem tu quibusdam literis ad cœlum laudibus extulisti, rumores duriores erant.

Ab instituta responsione ad excusationem Cornificij redit. Terentius in Andria. Vide Chiliades Erasmi

Epilogus ab hortatiuncula.

Narratio.

Transitio.

erant. Id quale sit, omninoq; quid istic agatur, facias me uelim certiorem. Qu. Turius, qui in Aphrica negotiatus est, uir bonus, & honestus, hæredes fecit similes sui Cn. Saturninum, Sext. Ausidium, Cn. Anneum, Qu. Cōfidium Gallum, Lucium Seruilium Posthumum, C. Rubellinum. ex eorum oratione intellexi gratiarum actione eos magis egere, quàm commendatione. Tanta enim liberalitate se tua usos prædicabant, ut ijs plus à te tributum intelligerem, quàm ego auderem te rogare: audebo tamen: scio enim quantum ponderis mea commendatio sit habitura. Quare à te peto, ut ad eam liberalitatem, qua sine meis literis usus es, quàm maximus his literis cumulus accedat. Caput autem est meæ commendationis, ne patiare Erotem Turium Qu. Turij libertum, ut adhuc fecit, hæreditatem Turianam auertere, cæterisq; omnibus rebus habeas eos à me commendatissimos. Magnam ex eorum splendore, & obseruantia capies uoluptatem. Quod ut uelis, te uehementer etiā atq; etiam rogo. Vale.

Narratio

Commendat Cornificio aliquem

ARG. EPIST. SEQ.

Commendat Cornificio Sextum Ausidium equitem Romanū pro hæreditate Turij obtinenda, pro qua commendauit eum in fine præcedentis epistolæ cum alijs cohæredibus.

M. T. C. S. P. D. Cornificio. 269

Commendatoria epistola. A laude eius, quē commendat, exorditur.

SExtus Ausidius & obseruantia, qua me colit, accedit ad proximos: & splendore equitis Romani, nemini cedit. Est autem ita temperatis, moderatisq; moribus, ut summa seueritas, summa cum humanitate iungatur. Cui tibi negotia, quæ sunt in Africa, ita commendo, ut

Conclusio apta epistolæ cōmēdatoriæ

maiore studio, magis ue ex animo cõmendare non possim. Per gratum mihi feceris, si dederis operã, ut intelligat meas apud te literas maximum põdus habuisse. Hoc te uehementer mi Cornifici rogo. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Ceperat Cornificius quosdam Siculos a Lilybæo: quos cũ Romanos intellexisset, eos a Romanis puniendos misit, quod factum eius pusillanimitati ascribit Cicero, ostendens se eum libenter recipere socium in republica conseruanda. De pecunijs autem, quas a Senatu petierat, dicit se nihil posse, consulit autem, alicunde mutuo accipiat.

M. T. C. S. P. D. Cornificio. 270

al. minus: sic & infra, min' fortis, minus indignus

Familiaris epistola

Laudat Cornificium a clementia, & humanitate, & hoc exordiũ est

Ostendit uaria quæ sibi grata sint in Cornificio

ASsentior tibi eos, quo scribis Lilybæo minari, isque pœnas dare debuisse: sed metuisti, ut ais, ne † nimis liber in ulciscendo uiderêre. Metuisti igitur, ne grauis ciuis, ne nimis fortis, ne nimis te dignus uiderêre. Quòd societatem reipublicæ conseruandæ tibi mecum à patre acceptam renouas, gratum est: quæ societas inter nos semper mi Cornifici manebit. Gratum etiam illud, quòd mihi tuo nomine gratias agendas non putas: nec enim id inter nos facere debemus. Senatus sæpius pro dignitate tua appellaretur, si absentibus Consulibus unquam, nisi ad rem nouam cogeretur. Itaq; nec de HS. XX. nec de HS. DCC. quicquam agi nunc per senatũ potest. Tibi autem ex senatusconsulto imperandum, muneráq; sumendũ censeo. In republica quid agatur, credo te ex eorum literis cognoscere, qui ad te acta debent perscribere. Ego sum spe bona: consilio, cura, labore nõ desum: omnibus inimicis reipublicæ esse me acerrimum hostem præ me fero. Res neq; nunc difficili loco mihi uidetur

detur esse: & fuisset facilima, si culpa à quibusdam abfuisset. Vale.

A narratiũcula finit epistola

ARG. EPIST. SEQ.

Commendat Cicero Cornificio L. Lamiam amicissimum suũ, quem etiam libro decimo commendauit Decio Bruto. Cõmendat autem eum, & negotia eius, ac procuratores, & familiam omnẽ, & purgat suspicionem, quam habuerat Cornificius, quod Lamia interfuisset Senatusconsulto contra dignitatem suam decreto.

M. T. C. S. P. D. Cornificio. 271

Commendatoria epistola

A causis commendationis Lamiæ

Narratio

Amplificatio ex tempore

NOn modò te, cui omnia nostra notissima sunt, sed neminem in Pop. Rom. arbitror esse, cui sit ignota ea familiaritas, quæ mihi cum L. Lamia est. Etenim magno theatro spectata est tum, cum est ab A. Gabinio consule relegatus, quòd liberè, & fortiter salutem meã defendisset. Nec ex eo amor inter nos natus est: sed quod erat uetus, & magnus, propterea nullum periculum pro me adire dubitauit. Ad hæc officia, uel merita potius, iucundissima consuetudo accedit, ut nullo prorsus plus homine delecter. Non puto te iam expectare, quibus eum tibi uerbis commendem, causam enim tanti amoris intelligis: quæ uerba desiderẽt, ijs me omnibus usum putato. Tantum uelim existimes, si negotia Lamiæ, procuratores, † liberos, familiam, quibuscunq; rebus opus erit, defenderis: gratius mihi futurum, quàm si ea tua liberalitas pertinuisset ad rem familiarẽ meam. Nec dubito, quin sine mea commendatione, quod tuum est iudicium de hominibus, ipsius Lamiæ causa studiose omnia facturus sis. quanquam erat nobis dictum, te existimare alicui senatusconsulto, quod contra dignitatem tuam fieret, scribendo Lamiam affuisse: qui omnino

† libertos

Amplificatio

Cõmendatio

Petitio.

Consulibus

†affuit scribendo

Conclusio.

Consulibus illis nunquam † fuit ad scribendum: deinde omnia tum falsa senatusconsulta deferebantur. Nisi forte etiam illi Semproniano senatusconsulto me censes affuisse: qui ne Romæ quidē tū fui, ut tū de eo ad te scripsi re recenti. Sed hæc hactenus. Te mi Cornifici, etiam atq; etiam rogo, ut omnia Lamiæ negotia, mea putes esse, curesq;, ut intelligat hanc commendationem maximo sibi usui fuisse. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Cura, ut ualeas.

ARG. EPIST. SEQ.

Excusat se quod a Carnificio fuerat accusatus, quod nullas misisset epistolas, nisi commendatitias, docens se etiā alias scripsisse.

M. T. C. Cornificio S. P. D.

Excusatio silentij

Excusatoria & responsoria epistola

Excusat se in exordio quod nullas nisi cōmendatitias pro litigatoribus misit

Excusat etiā raritatem literarū alterum.

ITá ne præter litigatores, nemo ad te meas literas? multæ istæ quidem. tu enim perfecisti, ut nemo sine literis meis tibi se commendatum putaret. sed quis unquā tuorum mihi dixit esse, cui darem, quin dederim? aut quid mihi iucundius, quàm, cum corām tecum loqui nō possim, aut scribere ad te, aut tuas legere literas? Illud magis mihi solet esse molestum, tantis me impediri occupationibus, ut ad te scribendi meo arbitratu facultas nulla detur. Non enim te epistolis, sed uoluminibus lacesserem: quibus quidem me à te prouocari oportebat. Quamuis enim occupatus sis, otij tamē plus habes. Aut si ne tu quidem uacas, noli impudens esse, nec mihi molestiam exhibere, & à me literas crebriores, cum tu mihi raras mittas, flagitare. Nam cum antea distinebar maximis occupationibus, propterea quòd omnibus ciuibus Rempublicam mihi tuendam putabam: tū hoc tempore

Amplificatio a simili Occupationum amplificatio

Transitio.

pore multò distineor uehementius. Vt enim grauius ægrotant ij, qui, cum leuati morbo uiderentur, in eum de integro inciderunt: sic uehementius nos laboramus, qui profligato bello, ac penè sublato, renouatum bellū gerere conamur. Sed hæc hactenus. Tu tibi mi Cornifici, fac ut persuadeas, non esse me tam imbecillo animo, ne dicam inhumano, ut à te uinci posim aut officijs, aut amore. Non dubitabam equidem: ueruntamen multò mihi notiorem amorem tuum effecit Cherippus. Ô hominem semper illum quidem mihi aptum, nūc uerò etiam suauem. Vultus mehercule tuos mihi expressit omneis: nō solùm animum, ac uerba † pertulit. Itaq; noli uereri, ne tibi succensuerim, quòd eodem exemplo ad me, quo ad cæteros. Requisiui equidem proprias ad me unum à te literas: sed neq; uehementer, & amanter. De sumptu, quem te in rem militarem facere, & fecisse dicis, nihil sanè possum tibi opitulari, propterea, quòd & orbus senatus Consulibus amissis, & incredibiles angustiæ pecuniæ publicæ: quæ conquiritur undiq;, ut optimè meritis militibus promissa soluantur: quod quidem fieri sine tributo posse non arbitror. De Accio Dionysio nihil puto esse: quoniam mihi nihil dixit Tratorius. De Publio Luceio nihil tibi concedo, quòd studiosior eius sis, quàm ego sum: est enim nobis necessarius. Sed à magistris cū contenderem de proferendo die: probauerūt mihi, sese, quò minus id facerent, & compromisso, & iureiurando impediri. Quare ueniendum arbitror Luceio: quanquàm si meis literis obtemperauerit, cum tu hæc leges, illum

†protulit

Aduaria Cornificio respōdet, & sunt uariæ narrationes

Al. Atteio Alij Attico, & ita legēdū puto.

illum Romæ esse oportebit. Cæteris de rebus, maximè= que de pecunia, cum Pansæ mortem ignorares, scripsi= sti, quæ per nos ab eo consequi te posse arbitrarêre: quæ te non fefellissent, si uiueret: nam te diligebat. post mor= tem aũt eius quid fieri posset, non uidebamus. De Veiu leio, Latino, Horatio ualde laudo. Illud non nimiũ pro= bo, quòd scribis, quò illi animo æquiore ferrent, te tuis etiam legatis lictores ademisse. Honore enim digni cũ ignominia dignis non erant comparandi: eosq; ex sena tusconsulto, si non decedunt, cogendos, ut decedant, exi stimo. Hæc ferè ad eas literas, quas eodem exemplo bi= nas accepi. De reliquo, uelim tibi persuadeas, non esse mihi meam dignitatem tua chariorem. Vale.

Conclusio

ANNOTATIONES AC Castigationes in duodecimum librum Epist. Famil. Ciceronis.

In Epist. 1.

ID est de tota R.P.) Al. & de tota R.P.

Præclarissime gesta) Epist. 14. lib. 9.

Quanquam primum quidq; explicemus) Al. quanquam pri= mum quidem quæ explicemus, non uideamus.

Distribuuntur) Al. describuntur

Finem nullum) Exordium pathos de sua solicitudine

Interfecto enim) Narratio continens enumerationem pericu= lorum publicorum, in quibus uersari cœpit Respub. post interfe= ctum Cæsarem

In Epist. 2.

Communicem) Al. communicet

Qui siue ad me, &c.) Al. qui si ne ad mè quidem referent, mea tibi tamen beneuolentia, fidesq; præstabitur

Vehementer lætor) Exordium est quoddam pathos

Sed homo amens) Narratio a propositione generali, continens etiam inclinationem Antonij, & Senatorum negligentiam

In

In Epist. 3.

Dubitanter) Al. dubitant, scilicet Antoniani

In Epist. 4.

Cœnam Epist. 28. lib. 10.

Postulata retulerunt Ea sunt in Philippica 8.

Esse in Syria Al. isse in Syriam, quæ Dolabellæ data fuerat, Lybia uero ipsi Cassio

In Epist. 5.

Clatern æ Cliternæ, ex Plin. & Strab. uel Claterna in illis le gendum uidetur In Epist. 6.

Dij omen Al. Dij omnes

Oppressus uerbis Hæc uerba non sunt in antiquis libris, ut quæ refugiat dicere, sed significet tamen

In Epist. 10.

Sed maxime spes Al. sed maxima spes

Literis tuis) 12. huius libri

Roboraremur) siue roboraremur, uerbum est additum. nitere mur enim bis repetendum est

Magna quidem) Al. magna illa quidem

Consister) Al. existet

In Epist. 11.

Opus est) Al. reponunt, in te est

Taricheis) Plin. lib. 5. cap. 15

In Epist. 12.

Quod & nostra) Al. quod & nostri

Misere noluit) Al. miser noluit

Mihi legionem) Al. mihi legiones

In Epist. 13.

C. Cassius) Al. Qu. Cassius

Teipsum Al. teipse

Maximum ciuem, & mihi charissimum Al. maxime ciuis, et mihi charissime (nebris

Id quod maxime R.P. tenebris Al. ad quod maxime R.P. te=

Comparasti Quidam legunt comperisti

Seruiremus Al. serui essemus

Proxime ij Al. proxime hos

Probauimus Al. probabimus

Vnquam non decedendo Al. unquam decedendo

Concũ Plin. & Strab. Al. Corinthũ. Sunt etiã qui legũt, circũ

Milium equitatu Alij millibus equitum

Io

In Epist. 14.

Amplius quam Al. ampliusq;
Et quidem multo partius scripsi Al. equidem multo apertius scripsi
In nostram salutem Al. in nostra salute
Et prauitate Al. in prauitate
Leges Alij reponunt, legiones
Filium tuum Epist. 21. lib. 16.
Pergæ Plin. lib. 5. cap. 27.

In Epist. 15.

Ægyptoq; Epist. 11. huius libri
Amphorarum Al. amphorum
Docebantur Al. dicebantur
Hæc sine timore Al. hæc siue timor est, & mox, siue furor est
Præsentium Alij præcepto

In Epist. 16.

C. Trebonius Epistola 28 libro decimo
Ageretis Alij, egeritis
Meosq; Alij, fratresq; meos

In Epist. 17.

Collegæ in auguratu, Epistola uigesimasecunda huius libri
Solicitudine Alij solitudine
Tribuere Alij, tribuam

In Epist. 18.

Tuæ grauissimæ Al. tuæ mihi gratissimæ
Laberij, & Publij Lege Macrobium
Quod extremum Exordium a consuetudine Oratorum, ut hysteron proteron dicatis

In Epist. 19.

Verebar, ue Al. uerebar, ut
Sentiant Al. sciant
Vt est Al. ut es

In Epist. 22.

Pari conditione Al. pari contentione
Absunt. Pansa Al. absunt
Cherippo Epist. 30. huius libri

In Epist. 23.

Octauiani conatum Epist. 28. lib. 10
Noster familiaris Epist. 5. lib. 11.

Canutium) Epist. 3. huius libri.
Ego nullum) Exordium.
Sed mea studia) Commemorat sua officia.

In Epist. 24.

Nondum legati) Epist. 4. huius libri.
Dionysij) Epist. 30. huius libri.

In Epist. 25.

Liberalibus) 15. Calend. Apr.
Necq; postero) 14. Calend. Apr.
Fundamenta R. Pieci) Philip. 3.
De obtinendis pro.) Epist. 22. huius libri.
Græcum) Al. gratum, cæcum, graue, egregium, legi etiam uidebis.
Vinolentum) Al. uiolentum.
Redeamus ad illud) Al. redeamus illuc.
Ex eorum oratione) Commendatio in fide addita.

In Epist. 28.

Nisi ad rem, &c.) Epist. 12. lib. 10.
Res necq; nunc) Al. res nunc.
Facillimo) Al. facillima.

In Epist. 29.

Non modo te) Al. non modo tibi.
L. Lamia) Epist. 16. lib. 11.
Affuit scribendo) Al. fuit ad scribendum.
A magistris) auctionum: quicquid alij dicant.
Accio) Al. Atteio. Al. Attico, & ita legendum censeo: ut is Dionysius significetur, qui quum Ciceronis seruus esset, factus liber, ex Cicerone & Attico iunctus est, & appellatus M. Pomponius Atticus Dionysius.

M. T. CICERONIS EPISTOLARVM FAMILIARIVM LIBER XIII.

ARG. EPIST. SEQ.

Hi duo sequentes Libri, ut facillimi, ita utilissimi sunt, eo quod cõmendationum uarias, & elegantes imitationes habent: quibus docemur & ornate dicere, & amicorũ causas diligenter cõmendare, idq; cum delectatione maxima. In hac autem prima hoc est argumenti, C. Memmius uir nobilissimus, Athenis domũ cœperat ædificare ad ædes Patroni philosophi Epicurei amicissimi Ciceroni, qui ad Ciceronem scripserat, ut a Memmio exoraret, ne quendam parietem impediret: de quo negotio tota fere haec agitur epistola.

M. T. C. S. P. D. Memmio. 373

Exordiũ ex dubitatione. In exordio ostendit causam, cur Memmium Athenis uidere uelit.

ITSI non satis mihi cõstiterat, cum aliquáne animi mei molestia, an potius liberter te Athenis uisurus essem: quòd iniuria, quam accepisti, dolore me afficeret: sapientia tua, qua fers iniuriã, lætitia: tamẽ uidisse te mallem. Nam quod est molestiæ, non sanè multò leuius est, cùm te non uideo: quod esse potuit uoluptatis, certè si uidissem te, plus fuisset. Itaq; non dubitabo dare operam, ut te uideam, cùm id satis cõmodè facere potero. Interea quod per literas et agi te cũ, et ut arbitror, cõfici potest, agam. Nũc à te illud primùm rogabo, ne quid inuitus mea causa facias, sed id, quod mea intelliges multũ, tua nullam in partẽ interesse, ita mihi des, si tibi, ut id libenter facias, antè persuaseris. Cũ Patrone Epicureo mihi omnia cõmunia sunt: nisi quòd in philosophia uehementer ab eo dissentio. Sed & initio Romæ, cum te quoq; & tuos omnes obseruabat, me coluit in primis: & nuper, cùm ea, quæ uoluit de suis commodis, & præmijs consecutus est, me habui suorũ defensorum, & amicorum ferè principem: & iam à Phædro, qui nobis, cũ pueri essemus, antè quàm Philonẽ cognouissemus, ualde, ut philosophus, posteà tamen, ut uir bonus, & suauis, et officiosus probabatur: traditus, mihiq; commendatus est. Is igitur Patro, cum ad me Romam literas misisset, uti te sibi placarem, peteremq; ut nescio quid illud Epicurei parietinarum sibi concederes: nihil scripsi ad te ob eam rem, quòd ædificationis tuæ cõsiliũ mea commendatione nolebam impediri. Idem, ut ueni Athenas, cum idem ut ad te scriberem, rogasset: ob eam causam impetrauit, quòd te abiecisse illam ædificationẽ constabat inter omneis amicos tuos. Quod si ita est, et si iam planè tua nihil interest: uelim, si qua offensiuncula facta est animi tui, peruersitate aliquorũ (noui enim gentem illam) des te ad lenitatẽ, uel propter tuã summam humanitatem, uel etiam honoris mei causa. Equidem si, quid ipse sentiam, quæris: nec cur ille tantopere contendat, uideo, nec cur tu repugnes: nisi tamen multo minus tibi concedi potest, quàm illi, laborare fine causa. Quam quàm Patronis & orationem, & causam tibi cognitam esse certè scio: honorem, officium, testamentorum ius, Epicuri autoritatem, Phædri obtestationẽ, sedem, domicilium, uestigia summorum hominum sibi tuenda esse dicit. Totã hominis uitam, rationemq;, quam sequitur in philosophia, derideamus licet, si hanc eius contentionẽ uolumus reprehendere. Sed mehercule quando illi, cæteris q;, quos illa delectant, non ualde inimici sumus: nescio an ignoscendũ sit huic, si tantopere laborat: in quo etiam si peccat, magis ineptijs, quàm improbitate peccat. Sed ne plura (dicendum enim aliquando est) Pom-

Cõciliat sibi Memmium ad futuram cõmendationem.

Occupatio

Narratio

A causa commendationis Petitio seu propositio. Ideo scribo tibi iterum, quia ego sciebam te consilium ædificationis deposuisse.

Aliud argumentum ab Attici commendatione.

ponium Atticum sic amo, ut alterum fratrem: nihil est illo mihi nec charius, nec iucundius. Is, nō quò sit ex istis (est enim omni liberali doctrina politissimus) sed ualde diligit Patronem, ualde Phædrū amauit: sic à me hoc cō tendit homo minimè ambitiosus, minimè in rogitando molestus, ut nihil unquam magis: nec dubitat, quin ego à te nutu hoc consequi possem, ita etiam, si ædificaturus esses. Nunc uerò si audierit te ædificationē deposuisse, neq; tamen me à te impetrasse: nō te in me illiberalem, sed me in se negligentem putabit. Quamobrem peto à te, ut scribas ad tuos, posse tua uoluntate decretū illud Areopagitarum, quem ὑπομνηματισμὸν illi uocant, tolli. Sed redeo ad prima. Prius uelim tibi persuadeas, ut hoc mea causa libenter facias, quàm ut facias. sic tamen habeto: si feceris, quod rogo, fore mihi gratissimū. Vale.

Atticus.

Id est, decretum admonitorium.

Conclusio

ARG. EPIST. SEQ.

Commendat Memmio C. Auianum statuarium quendam, ut ei cōcedat Memmius habitationem: quod cum citra iacturam Memmij fiat, facile impetraturum confidit.

M. T. C. S. P. D. C. Memmio. 274

CAio Auiano Euādro, qui habitabat in tuo sacrario, & ipso multū utor, & patrono eius M. Aemilio familiarissimè. Peto igitur à te maiorē in modū, quod sine tua molestia fiat, ut ei de habitatione accōmodes. Nam propter opera instituta multa multorū, subitū est ei remigrare Calēdis Quintilibus. impedior uerecundia, ne te pluribus uerbis rogē. Neq; tamen dubito, quin, si tua nihil, aut nō multū intersit, eo sis animo, quo ego essē, si quid tu me rogares. mihi certè gratissimū feceris. Vale.

Narratio Causæ commendationis. Petitio

Præcisio

ARG.

ARG. EPIST. SEQ.

Commendat Aulum Fusium per literas: quem etiam coram commendauerat, ut eum ita tractet, ut promisit.

M. T. C. S. P. D. C. Memmio. 275

AVlum Fusium unum ex meis intimis obseruantissimum, studiosissimumq; nostri, eruditum hominem, & summa humanitate, tuaq; amicitia dignissimum, uelim ita tractes, ut mihi coràm recepisti. Tam mihi gratum id erit, quàm quod gratissimum. Ipsum præterea summo officio, & summa obseruantia tibi in perpetuum deuinxeris. Vale.

Propositio A persona eius quem cōmendat, commendatio. Remuneratio. Ratio

ARG. EPIST. SEQ.

Dum Volaterrani uexarentur de rebus suis publicis, Cicero hac epistola eos diligenter commendat Qu. Valerio Prætori, ut diligentius commendare non posset. ostendit enim eos gratos, & uiris optimis acceptissimos: quos omnino debeat idem Valerius suo sibi beneficio deuincire.

M. T. C. Q. Valerio Q. F. Orcæ Legato Propræt. S. D. 276

CVm municipibus Volaterranis mihi summa necessitudo est: magno enim meo beneficio affecti, cumulatissimè mihi gratiam retulerunt: nam nec in honoribus meis, nec in laboribus unquam defuerunt. Cum quibus si mihi nulla causa intercederet, tamen quòd te uehementissimè diligo, quodq; me à te plurimi fieri sentio, & monerem te, & hortarer, ut eorum fortunis cōsuleres, præsertim cum propè præcipuam causam haberent ad ius obtinendum. Primum quòd Syllani temporis acerbitatem, Deorū immortalium benignitate subterfugerunt. Deinde, quòd summo studio pop. Ro. à me in Consulatu meo defensi sunt. cùm enim Tribuni plebis

A causis cōmendationis.

Ætiologiæ uariæ.

legem iniquissimam de eorum agris promulgassent, facilè S.P.Q.R. persuasi, ut eos ciueis, quibus fortuna pepercisset, saluos esse uellent. Hanc actionẽ meam C. Cæsar primo suo consulatu in lege Agraria comprobauit, agrumq; Volaterranum, & oppidum omni periculo in perpetuum liberauit: ut mihi dubium non sit, quin is, qui nouas necessitudines adiungat, uetera sua beneficia cõseruari uelit. Quamobrem est tuæ prudentiæ, aut sequi eius autoritatem, cuius sectam, atq; imperium summa cum tua dignitate secutus es: aut certè illi integram omnem causam reseruare. Illud uerò dubitare nõ debes, quin tam graue, tam firmũ, tam honestum municipium tibi tuo summo beneficio in perpetuum obligari † uelis. Sed hæc, quæ scripta sunt suprà, eò spectant, ut te horter, & suadeam. Reliqua sunt, quæ pertinent ad rogandum: ut non solùm tua causa tibi consilium me dare putes, sed etiam quod mihi opus sit, me à te petere, & rogare. Gratissimum igitur mihi feceris, si Volaterranos omnibus rebus integros, incolumeisq; esse uolueris. Eorum ego domicilia, sedes, rem, fortunas, quæ à Dijs immortalibus, & à præstantissimis in nostra republica ciuibus summo S.P.Q.R. studio conseruatæ sunt, tuæ fidei, iustitiæ, bonitatiq; commendo. Si pro meis pristinis opibus facultatẽ mihi res hoc tempore daret, ut ita defendere possem Volaterranos, quemadmodum consueui tueri meos: nullum officium, nullũ deniq; certamen, in quo illis prodesse possem, prætermitterem. Sed quando apud te nihilominus hoc tempore ualere me confido, quàm

Petitio specie consilij proposita.

† obligare liceat.

Repetitio petitionis apta positæ.

A suo exemplo.

quàm ualuerim semper apud omneis: pro nostra summa necessitudine, pariq; inter nos, & mutua beneuolentia abs te peto, ut ita de Volaterranis mereare, ut existiment eum quasi diuino consilio isti negotio præpositum esse, apud quem unum nos eorum perpetui defensores plurimum ualere possemus. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Præfecerat Cæsar Valerium diuidendis agris Volaterranorũ. Itaq; cum in ea regione C. Curtius haberet agrum, nititur Cicero persuadere honestissimis rationibus eidem Valerio, agrum illum Curtij non esse dandum alijs: quod in principio protestatur æquum, & honestum.

M. T. C. Q. Valerio Q. F. Orcæ leg.

Propræt. S. P. D. 277

NOn molestè fero eam necessitudinem, quæ mihi tecum est, notam esse quàm plurimis: neque tamen ob eam causam, quòd tu optimè existimare potes, te impedio, quo minus susceptum negotium pro tua fide, & diligentia ex uoluntate Cæsaris, qui tibi rem magnã, difficilemq; cõmisit, gerere possis. Nam cum multi à me petant multa, quòd de tua erga me uoluntate nõ dubitent, non committo, ut ambitione mea conturbem officium tuum. Caio Curtio ab ineunte ætate familiarissimè sum usus. Eius & Syllani tẽporis iniustissima calamitate dolui: & cùm ijs, qui similem iniuriam acceperant, amissis omnibus fortunis, reditus tamen in patriam uoluntate omnium concedi uideretur, adiutor incolumitatis fui. Is habet in Volaterrano possessionẽ, cum in eam tanquam è naufragio reliquias contulisset. Hoc autem tempore eum Cæsar in Senatum legit: quem ordinẽ ille ista possessione

Exordiũ ab amicitia, tractum cũ correctione. Ita cõmendo amicos, ut nihil iniustũ impetrare cupiam.

A negotio quodã quod Valerius gerere instituerat.

Narratio

ſeßione amiſſa, tueri uix poteſt. Grauißimũ autem eſt, cum ſuperior factus ſit ordine, inferiorem eſſe fortuna: minimeq; cõuenit, ex eo agro, qui Cæſaris iuſſu diuidatur, eum moueri, qui Cæſaris beneficio Senator ſit. Sed mihi minus libet multa de equitate rei ſcribere, ne cauſa potius apud te ualuiſſe uidear, quàm gratia. Quamobrem te maiorẽ in modum rogo, ut C. Curtij rem, meam putes eſſe: quicquid mea cauſa faceres, ut id C. Curtij cauſa cum feceris, meum exiſtimes. Quod ille per me habuerit, id me habere abs te putato. Hoc te uehementer etiam atq; etiam rogo. Vale.

Petitio

ARG. EPIST. SEQ.

Miro quodam artificio utitur Cicero in cõmendatione L. Iulij pro Publio Cuſpio amico ſuo, ita ut uerbis ſuis quodãmodo cogat Valerium præſtare, quod petit. Poſtremo cõmendat etiã nomine Cuſpij Cornelium harũ tabellarium, ſed diuerſa putatur epiſtola.

M. T. C. Q. Valerio Q. F. Orcæ
S. P. D. 278

Exordium ex occaſione quid conuenerit.

SIuales, bene eſt: ego quidem ualeo. Credo te memoria tenere, me & coram P. Cuſpio tecum locutum eſſe, cùm te proſequerer paludatũ: & idem poſtea pluribus uerbis tecum egiſſe, ut quoſcunq; tibi eius neceſſarios commendarem, haberes eos in numero meorũ neceſſariorũ. Id tu pro tua ſumma erga me beneuolentia, perpetuaq; obſeruantia mihi liberaliſſime, atq; humaniſſime recepiſti. Cuſpius homo in omneis ſuos officioſiſſimus, mirificè quoſdã homines ex iſta prouincia tuetur, & diligit, propterea quòd fuit in Aphrica bis, cùm maximis ſocietatis * negotijs præeſſet. Itaq; hoc eius officium

A promiſsis Q. Valerij exorditur.

Narratio

Id eſt, publicanorum.

cium, quod adhibetur erga illos, ego mea facultate, & gratia ſoleo quantũ poſſum adiuuare. Quare Cuſpianorum omniũ cõmendationis cauſam hac tibi epiſtola exponendã putaui. reliquis epiſtolis tantũ faciam, ut non tam apponã eam, quæ mihi tecũ conueni, & ſimul ſignicem de numero eſſe Cuſpij amicorũ. Sed hanc cõmendationem, quam his literis conſignare uolui, ſcito eſſe omniũ * gratißimã. Nam P. Cuſpius ſingulari ſtudio contendit à me, ut tibi q̃ diligentißime L. Iulium cõmendarem. Eius ego ſtudio uix uideor mihi ſatisfacere poſſe, ſi utar uerbis ijs, quibus, cum diligentißimè quid agimus, uti ſolemus. Noua quædam poſtulat: & putat me eius generis artificium quoddam tenere. ei ego pollicitus ſum, me ex intima noſtra * arte deprompturũ mirificum genus cõmendationis. Id quando aſſequi non poſſum, tu relim efficias, ut ille genere mearũ literarũ * incredibili quodam † perfectũ arbitretur. Id facies, ſi omne genus liberalitatis, quod & ab humanitate, & poteſtate tua proficiſci poterit, non modo re, ſed etiam uerbis, uultu denique expreſſeris. quæ quantum in prouincia ualeant, uellem expertus eſſes. Sed tamen ſuſpicor ipſum hominem, quẽ tibi cõmendo, perdignũ eſſe tua amicitia: nec id * ſolũ, quia mihi Cuſpius dicit, credo (tametſi id ſatis eſſe debebat) ſed quia noui eius iudicium in hominibus, & amicis deligendis. Harũ literarum uis quanta fuerit, propediem iudicabo: tibiq;, ut confido, gratias agam. Ego, quæ te uelle, quæq; ad te pertinere arbitrabor, omnia ſtudioſe diligenterq; curabo. Curabo ut ualeas.

A. grauiſsimam.

A perſona Cuſpij.

Rhetorica

A perſona eius quem commendat

Al. incredibile quiddam † profectũ

Al. non ſolũ.

Concluſio

ARG. EPIST. SEQ.

Hæc epistola in quibusdam exemplaribus superiori annectitur, qua, ut dixi Publium Cornelium commendat.

M. T. C. Q. Valerio Q. F. S. P. D. 279

Narratio A causis cõmendationis. PVblius Cornelius, qui tibi has literas reddidit, est mihi à P. Cuspio cõmendatus: cuius causa quantopere cuperem, deberemq; profectò ex me facilè cognouisti. Petitio Vehementer te rogo, ut cures, ut ex hac commendatione mihi Cuspius quàm maximas, quàm primùm quàm sæpissimè gratias agat. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Ager Athelanus uectigalis erat: uectigalibus autem omnibus in Gallia Cisalpina Cluuius præpositus a Cæsare erat: unde cũ Athelani ualde essent oppressi eos penuria pecuniæ, Cicero diligenter commendat dicto Cluuio.

M. T. C. Cluuio S. P. D. 208

Narratio Gallia Cisalpina. CVm in Galliam proficiscens, pro nostra necessitudine, tuaq; summa in me obseruantia ad me domum uenisses, loquutus sum tecum de agro uectigali municipij Athelani, qui esset in Gallia: quantoq; opere eius municipij causa laborarẽ, tibi ostendi. Post tuam autem profectionem, cum & maxima res municipij honestissimi, mihiq; cõiunctissimi, & summum meum officium ageretur, pro tuo animo in me singulari, existimaui me oportere ad te accuratius scribere: etsi non sum nescius, & quæ temporum ratio, & quæ tua potestas sit: tibiq; negotium datum esse à C. Cæsare, nõ iudicium præclare intelligo. Petitio Quare à te tantum peto, quantum & te facere posse, & libenter mea causa facturum esse arbitror. Et primum uelim existimes, quod res est, municipij

pij fortunas omneis in isto uectigali cõsistere: his autem temporibus hoc municipiũ maximis oneribus pressum, summis affectum esse difficultatibus. Hoc etsi commune uidetur esse cum multis: tamen mihi crede singulareis huic municipio calamitates accidisse, quas idcirco non commemoro, ne de miserijs meorum necessariorũ conquerens, homines, quos nolo, uidear offendere. Itaque nisi magnam spem haberem, C. Cæsari nos causam municipij comprobaturos: non erat causa, cur à te hoc tempore aliquid cõtenderem. sed quia confido, mihiq; persuasi, illum & dignitatis municipij, & æquitatis, & etiam uoluntatis erga se habiturum esse rationem: ideò à te non dubitaui contendere, ut hanc causam illi integram conseruares. Quod etsi nihilominus à te peterem, si nihil audiuissem te tale fecisse: tamen maiorẽ spem impetrandi nactus sum, posteà quàm mihi dictum est, hoc idẽ à te Rhegyenses impetrauisse. qui etsi te aliqua necessitudine attingũt: tamen tuus amor in me, sperare me cogit, te, quod tuis necessarijs tribueris, idem esse tributurum meis: præsertim cum ego pro his unis petam: habeam autem, qui simili causa laborent, complureis necessarios. Hoc me non sine causa facere, neque aliqua leui ambitione commotum à te contendere, etsi te existimare arbitror: tamen mihi affirmanti credas uelim, me huic municipio debere plurimum: nullum unquam fuisse tempus neq; honorũ, neq; laborũ meorum, in quo non huius municipij studium in me extiterit singulare. Quapropter à te etiam atque etiam pro nostra summa coniun-

Ex necessitate Athelanorum.

A malis municipijs occupatio.

Petitio seu propositio.

Ab exemplo.

A causa & officio cõmendationis.

Ad petitionem redit.

coniunctione, proq; tua in me perpetua, & maxima be-
Conclusio continens repetitionem propositionis. neuolentia maiorem in modum peto, atq; contendo, ut
ut cum fortunas agi eius municipij intelligas, quod sit
mihi necesitudine, officijs, beneuolentia coniunctissi-
mum, id mihi des. Quod erit huiusmodi, ut si à Cæsare,
quod speramus, impetrauerimus, tuo beneficio nos id
Ab utili. consecutos esse iudicemus: Sin minus, pro eo tamen id
habeamus, quãdo à te data sit opera, ut impetraremus.
Hoc cum mihi gratissimum feceris: tum uiros optimos,
Clausula homines honestissimos, eosdemq; gratissimos, et tua ne-
cessitudine dignissimos, summo beneficio in perpetuum
tibi tuisq; deuinxeris. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Rogatus a P. Sextio cõmendat Cic. M. Rutilio causam C. Albini de quibusdã prædijs, quæ quondam fuerant Laberij: rogatq;, ut ea prædia nõ attingat diuidẽda, licet diuidũdis agris esset præpositus.

M. T. C. M. Rutilio S. P. D. 281

Exordium a iure amicitiæ. A causa commendationis. CVm & mihi conscius essem, quanti te facerem, &
tuam erga me beneuolentiam expertus essem, non
dubitaui à te petere, quod mihi petendum esset. P. Sex-
tium quanti faciam, ipse optimè scio: quanti aũt facere
debeam, & tu, & omnes homines sciunt. Is cum ex alijs
Narratio te mei studiosissimum esse cognosceret, petiuit à me, ut
ad te quàm accuratissimè scriberem de re C. Albini Se-
† familia natoris: cuius ex † filia natus est L. Sextius optimus adole
scens, filius P. Sextij. Hoc idcirco scripsi, ut intelligeres
non solùm me pro P. Sextio laborare debere, sed Sex-
Alia narratio tium etiam pro Albino. Res autem hæc est: À M. Labe-
rio C. Albinus prædia in æstimationẽ accepit: quæ præ-
dia

dia Laberius emerat à Cæsare de bonis Plotianis. ea si
dicam non esse è Repub. diuidi, docere te uidear, non ro
gare. Sed tamen cùm Cæsar Syllanas uenditiones, & as-
Occupatio Non prodest diuidere. signationes ratas esse uelit, quò firmiores existimentur
suæ: si ea prædia diuidẽtur, quæ ipse Cæsar uendidit, quæ
tandem in eius uenditionibus autoritas esse poterit? Sed
hoc quale sit, tu pro tua prudentia considerabis. Ego
te planè rogo, atq; ita ut maiore studio, iustiore de cau-
sa magis ex animo rogare nihil possim, ut Albino par-
cas, prædia Laberiana ne attingas. Magna me affeceris
nõ modò lætitia, sed etiã quodammodo gloria, si P. Sex-
tius homini maximè necessario per me satisfecerit, cùm
ego illi plurimũ debeam. Quod ut facias, te uehementer Petitio
etiam atq; etiã rogo. Maius mihi dare beneficiũ nullum
potes. Id mihi intelliges esses gratissimum Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Publicani exigentes uectigalia, habebant inter se societates in prouincijs. Cum igitur Crassipes, qui & Piso dictus est, gener Ciceronis, quæstor esset in Bithynia, commendat ei Cicero societatem publicanorum Bithyniæ, docens eam constare ex præclaris ciuibus Romanis, sibiq; coniunctissimis.

M. T. C. Crassipedi S. P. D. 282

Exordium A causis cõmendationis. Occupatio Correctio occupationis QVanquam tibi præsens commendaui, ut potui dili-
gentissimè, socios Bithyniæ: teq; cùm mea commen-
datione, tum etiam tua sponte intellexi cupere ei socie-
tati, quibuscunq; rebus posses, cõmendare: tamen cum
ij, quorum res agitur, magni sua interesse arbitraren-
tur, me etiam per literas declarare tibi, qua essem erga
ipsos uoluntate, non dubitaui hæc ad te scribere. Volo
enim te existimare, me, cùm uniuerso ordini publica-
norum

norũ multũ ſemper libentiſſimè tribuerim, idq; pro magnis eius ordinis erga me meritis facere debuerim, tum in primis amicũ eſſe huic Bithynicæ ſocietati: quæ ſocietas ordine, ipſo hominũ genere pars eſt maxima ciuitatis. cõſtat enim ex cæteris ſocietatibus: & caſu permulti ſunt in ea ſocietate ualde mihi familiares, in primisq; is, cuius præcipuũ officiũ agitur hoc tempore, P. Rupilius P. F. Menenius, qui eſt magiſter in ea ſocietate. Quæ cùm ita ſint, maiorẽ in modũ à te peto, Cn. Pupium, qui eſt in operis eius ſocietatis, omnibus tuis officijs, atq; omni liberalitate tueare: curesq; ut eius operæ, quod tibi facile factu eſt, q̃ gratiſſimæ ſint ſocijs: remq;, & utilitatem ſociorũ (cuius rei quantã poteſtatẽ quæſtor habeat, non ſum ignarus) per te quàm maximè defenſam, & auctam uelis. Id cùm mihi gratiſſimũ feceris, tum illud tibi expertus promitto, & ſpondeo te ſocios Bithyniæ, ſi ijs commodaris, memores eſſe, & gratos cogniturũ. Vale.

Petitio Concluſio continens petitionem ſeu propoſitionẽ

ARG. EPIST. SEQ.

M. Terentius Varro profecturus in Galliam quæſtor Bruti, quia ſciebat quanti eſſet habere primos aditus ad prætorem cõmendatos, curauit habere Ciceronis cõmendationem, quem apud Brutum plurimũ ualere ſciebat. Quocirca eum Cicero Bruto hac epiſtola commendat, docens ſe id non abs re facere. 283

M. T. C. Bruto S. P. D.

Exordium eſt occupatio: non erat opus cõmendatione. A cauſis cõmendationis.

CVm ad te tuus Quæſtor M. Varro proficiſceretur commendatione egere eum nõ putabam. Satis enim commendatum tibi eum arbitrabar ab ipſo more maiorum: qui, ut te non fugit, hanc quæſturæ cõiunctionem liberorum neceſſitudini proximam uoluit eſſe. Sed cùm ſibi ita perſuaſiſſet ipſe meas de ſe accuratè ſcriptas literas, maximum apud te pondus habituras, à meq; cõtenderet, ut quàm diligẽtiſſimè ſcriberẽ: malui facere, quod meus familiaris tanti ſua intereſſe arbitraretur. Vt igitur debere me facere hoc intelligas, cùm primũ M. Terentius in forum uenit, ad amicitiam ſe meam contulit. Deinde ut ſe corroborauit, duæ cauſæ acceſſerunt, quæ meam in illum beneuolentiam augerent. Vna, quòd uerſabatur in hoc ſtudio noſtro, quo etiã nunc maximè delectamur, & cum ingenio, ut noſti: nec ſine induſtria. Deinde, quòd maturè ſe cõtulit in ſocietates publicanorum: quod quidem nollem. maximis enim damnis affectus eſt: ſed tamen cauſa communis ordinis mihi cõmendatiſſimi fecit amicitiam noſtram firmiorẽ. Deinde uerſatus in utriſque * ſubſellijs optima & fide, & fama, iam antè hanc cõmutationem Reipublicæ petitioni ſeſe dedit, honoremq; honeſtiſſimum exiſtimauit fructũ laboris ſui. His autem temporibus à me Brunduſium cum literis, et mandatis profectus eſt ad Cæſarem. qua in re & amorẽ eius in ſuſcipiendo negotio perſpexi, & fidem in cõficiendo, ac renuntiãdo. Videor mihi, cùm ſeparatim de probitate eius, & moribus dicturus fuiſſem, ſi prius cauſam, cur eum tantopere diligerẽ, tibi expoſuiſſem, in ipſa cauſa exponenda ſatis etiã de probitate dixiſſe. Sed tamen ſeparatim promitto, in meq; recipio, fore eũ tibi & uoluptati, & uſui. Nam & modeſtum hominem cognoſces, & prudentẽ, & à cupiditate omni remotiſſimũ: præterea magni laboris, ſummæq; induſtriæ. Neque ego hæc polliceri debeo, quæ tibi ipſi, cum bene cognoueris,

Correctio occupationis Narratio Cur M. Varroni amicus factus ſit, & debuerit eũ Bruto commendare.

In prætorijs, iudicijs & centumuiralibus.

Epilogus quidam.

Ab utili. A laude Varronis. Tranſitio ad laudem morum Terentij

Occupatio Correctio occupationis ex gnome.

gnoueris, iudicanda sunt: sed tamen in omnibus nouis cõiunctionibus interest, qualis primus aditus sit, & qua cõmendatione quasi amicitiæ fores aperiantur. Quod ego his literis efficere uolui: etsi id ipsa per se necessitudo quæsturæ effecisse debet: sed tamẽ nihilo infirmius illud hoc addito. Cura igitur, si me tanti facis, quanti & Varro existimat, & ipse sentio, ut quàm primũ intelligam hanc meam cõmendationem tantum illi utilitatis attulisse, quantũ & ipse sperârit, nec ego dubitarim. Vale.

Conclusio petitionem continens.

ARG. EPIST. SEQ.

Arpinates municipes Ciceronis habebant in Gallia Cisalpina, quantum ad Italos, uectigalia, quibus publica sustinebant negotia: quo circa Brutum rogat, ut in eis recipiendis faueat.

M. T. C. Bruto S. P. D. 284

Narratio A more tuendi suos municipes.

QVia semper animaduerti studiose te operam dare, ut ne quid meorum tibi esset ignotum: propterea nõ dubito, quin scias, non solum cuius municipij sim, sed etiam, quàm diligẽter soleam meos municipes Arpinates tueri. Quorum quidem omnia commoda, omnes q; facultates, quibus & sacra cõficere, & sarta tecta ædium sacrarum, locorumq; communium tueri possint: constant in his uectigalibus, quæ habent in prouincia Gallia. Ad ea uisenda, pecuniasq;, quæ à colonis debentur, exigendas, totamq; rem & cognoscendam, & administrandam, legatos Equites Romanos misimus Q. Suffidium Q. F. M. Faucium. M. F. Q. Mamercum Q. F. Petito à te maiorem in modum, pro nostra necessitudine, ut ea res tibi curæ sit, operamq; des, ut per te quàm cõmodissimè negotium municipij administretur, q; primum q; conficiatur:

Petitio

A necessitate uel officio.

conficiatur: ipsosq; quorum nomina scripsi, ut quàm honorificentissimè pro tua natura, & quàm liberalissimè tractes. Bonos uiros ad tuam necessitudinem adiunxeris: municipium q; gratissimum beneficio tuo deuinxeris: mihi uerò eò etiam gratius feceris, quò cum semper tueri municipes meos consueui, tum hic annus præcipuè ad meam curam, officium q; pertinet. Nam constituendi municipij causa hoc anno ædilem filium meum fieri uolui, & fratris filium, & M. Cæsium hominem mihi maximè necessarium (is enim magistratus in nostro municipio, nec alius ullus creari solet) Quos cohonestaris, in primis q; me, si respublica municipij, tuo studio & diligẽtia bene administrata erit. Quod ut facias, te uehementer etiam atq; etiam rogo.

Cõclusio

ARG. EPIST. SEQ.

Qu. Suffidius prodita Arpinatium causa ad Brutum legatus, tribunus militũ fuerat, cũ Cicero in Cilicia imperaret, quocirca hunc singulariter commendat eidem Bruto, rogans ut sic eius legationẽ sua ope iuuet, ut inde laudẽ consequatur Suffidius, & ipse gratiam.

M. T. C. Bruto S. P. D.

Propositio ex comparatione

ALia epistola communiter commendaui tibi legatos Arpinatum, ut potui diligentissimè: hac separatim Qu. Suffidium, quo cum mihi omnes necessitudines sunt diligentius commendo: non ut aliquid de illa commendatione diminuam, sed ut ad hanc addam. Nam & prius ignus est M. Cæsij mei maximè & familiaris, & necessarij, et fuit in Cilicia mecum tribunus militum: quo in munere ita se tractauit, ut accepisse ab eo beneficium uiderer, non dedisse. Est præterea, quod apud te ualet plurimum, à nostris studijs nõ abhorrens. Quare uelim

A causis cõmendationis

Rationes

Petitio

Repetitio propositiõis. Ratio.

eum quàm liberalißimè complectare: operamq; des, ut in ea legatione, quam ſuſcepit cõtra ſuum commodum, ſecutus autoritatem meam, quàm maximè eius excellat. induſtria. Vult enim, id quod optimo cuiq; natura tributum eſt, quàm maximam laudem tuam à nobis, qui eum impulimus, tum à municipio conſequi: quod ei continget, ſi hac mea commendatione tuum erga ſe ſtudium erit conſecutus. Vale.

Concluſio

ARG. EPIST. SEQ.

Paucis, ſed efficacibus uerbis commendat Cicero ipſi Bruto Lucenſem ciuem: quem & moribus, & uirtute, & fortuna, quæ multum allicere ſolet, ornatum dicit.

M. T. C. Bruto S. P. D. 286

Narratio.

LVcius Caſtronius Pætus longè princeps municipij Lucenſis, eſt honeſtus, grauis, plenus officij, bonus planè uir, & cùm uirtutibus, tum etiam fortuna, ſi quid hoc ad rem pertinet, ornatus: meus autem eſt familiariſſimus, ſic prorſus, ut noſtri ordinis obſeruet neminẽ diligentius. Quare & ut meum amicum, & ut tua dignum amicitia tibi commendo. Cui quibuſcunq; rebus commodaueris, tibi profectò iucundum, mihi certè erit gratum. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Cornelius quidam debebat pecuniam Lucio Titioni Strabonis in Gallia, cui præerat Brutus: cumq; conuenißet ipſe Strabo debitorem ſuum ſub Volcatio prætore urbano, Volcatius cauſam remiſerat in Galliam ad debitum recuperandum, quo cũ Strabo mitteret libertum ſuum, Cicero eum diligenter commendat Bruto, ut illum adiuuet in illa pecunia exigenda.

M. T. C.

M. T. C. Bruto S. P. D. 287

Narratio. A cauſis commendationis

LVcio Titione Strabone equite Romano in primis honeſto, & ornato familiariſſimè utor. Omnia mihi cũ eo intercedunt iura ſummæ neceſſitudinis. Huic in tua prouincia pecuniam debet P. Cornelius. Ea res à Volcatio, qui Romæ ius dicit, reiecta in Galliam eſt. Peto à te hoc diligẽtius, quàm ſi mea res eſſet, quò eſt honeſtius de amicorum pecunia laborare, quàm de ſua, ut negocium conficiendum cures, ipſe ſuſcipias, tranſigas, operamq; des, quoad tibi æquum, & rectum uidebitur, ut quàm commodißima conditione libertus Strabonis, qui eius rei cauſa miſſus eſt, negocium conficiat, ad nummoſq; perueniat. Id & mihi gratißimum erit: et tu ipſe L. Titionem cognoſces amicitia tua dignißimũ. Quod ut tibi curæ ſit, ut omnia ſolent eſſe, quæ me uelle ſcis, te uehementer etiam atq; etiam rogo. Vale.

Petitio.

ARG. EPIST. SEQ.

Cæſari Imperatori iam rerum potito poſt mortem Pompeij cõmendat Cicero Præcilium adoleſcentem quendam nobiliſſimum, quem & eius cauſa, & etiam patris optimi uiri, & ſibi amiciſſimi a ſe amari dicit.

M. T. C. C. Cæſari Imper. S. P. D.

Propoſitio. A cauſis commendationis. Ingreſsiuncula.

PRæcilium tibi commendo unicè, tui neceſſarij, mei familiariſſimi, uiri optimi filium: quem cum adoleſcentem ipſum propter eius modeſtiam, humanitatem, animũ, et amorem erga me ſingularem mirificè diligo: tũ patrem eius, re doctus intellexi, & didici mihi fuiſſe ſemper amiciſſimum. En hic ille eſt, de illis maximè, qui

Id est, Sed meũ nunquã animũ in pectoribꝰ persuasit, sic nubes texit nigra.

irridere, atq; obiurgare me soliti sunt, quòd me non tecum, præsertim cum abs te honorificentißimè inuitarer, coniungerẽ. Ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσιν ἔπειθες, ὡς νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα. audiebam enim nostros proceres clamitanteis, ἄλκιμον ἔμμεναι ὅς τις σε νῦ γε γόνῳ εὖ εἴπῃ. Sed tamen idem me consolatur: & iam hominem perustum, etiamnum gloria uoluntincendere: atq; ita loquũtur: ἀλλ' ἄγε πῶς μέμονας; ὃ λίην γε κακῶς ἀπολέσθαι. ἀλλὰ μέγα βέξας τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι. Sed me minus iam mouent, ut uides. Itaq; ab Homeri magniloquentia confero me ad uera præcepta Εὐριπίδου. μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. quẽ uersum senex Præcilius laudat egregiè, & ait posse eundem & ἔμπροσθεν, & ὄπισθεν uidere, & tamen nihilo minus αὐτὸν ἀρκεῖν, καὶ ἑτεροῖον ἔμμεναι ἄλλων. Sed ut redeam ad id, unde cœpi: uehementer mihi gratum feceris, si hunc adolescentem humanitate tua, quæ est singularis, compreIdest, Strenuus esto, quo te posteritas quoq; laudet.

Id est, Verũ age quid properas. non decet inglorium perire, sed magnũ quid cũ feceris. quod uel a posteris audiatur.

Id est, Euripidis.

Id est, Sapientem eum odi qui sibi ipse nõ est sapiẽs.

Id est, Simul a fronte, & a tergo.

Id est, semper strenue gerere, & præstãtem esse alijs.

hẽderis: ad id, quod ipsorum Præciliorum causa te uelle arbitror, addideris cumulum commendationis meæ. Genere nouo sum literarum ad te usus, ut intelligeres non uulgarem esse commendationem. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Apollonius P. Crassi libertus, cum res gestas Cæsaris monimẽtis literarum Græcarũ mandare cuperet, ut id Cæsari gratius accideret, per testimonium Ciceronis literas commendatitias, ad Cæsarem optauit, quas nunc exhibet Cicero.

M.T.C.

M. T. C. C. Cæsari Imp.
S. P. D. 289

Narratio A cautis cõmendationis.

PVblium Crassum ex omni nobilitate adolescentem dilexi plurimum: & ex eo, cum ab ineunte eius ætate bene sperauissem, tum optimè existimare cœpi ex ijs iudicijs, quæ de eo feceram, cognitis. Eius libertum Apollonium iam tum equidem, cum ille uiueret, & magni faciebam, & probabã. Erat enim & studiosus Crassi, & ad eius optima studia uehementer aptus. itaq; ab eo admodum diligebatur. Post mortem autem Crassi, eò mihi etiam dignior uisus est, quem in fidem, atq; amicitiam meã reciperem, quòd eos à se obseruandos, et colendos putabat, quos ille dilexisset, & quibus charus fuisset. Itaq; & ad me in Ciliciam uenit, multisq; in rebus mihi magno usui fuit & fides eius, & prudentia: & ut opinor tibi in Alexandrino bello, quantum studio, et fidelitate consequi potuit, non defuit: Quod cùm sperarem te quoq; ita existimare, in Hispaniam ad te maximè ille quidem suo consilio, sed etiam me autore, est profectus. Cui ego commendationem non sum pollicitus, non quin eam ualituram apud te arbitrarer: sed neq; mihi egere commendatione uidebatur, qui & in bello tecũ fuisset, & propter memoriam Crassi de tuis unus esset: & si uti commendationibus uellet, etiam per alios eum uidebã id consequi posse. Testimoniũ meũ de eo iudicij, quod & ipse magni æstimabat, & ego apud te ualere eram expertus, ei libenter dedi. Doctũ igitur hominem cognoui, & studijs optimis deditũ, idq; à puero. nã domi

Propositio nõ commentationem, sed testimonium do per procatalepsin

Ratio propositionis

meæ cum Diodoro Stoico, homine, meo iudicio, eruditissimo, multum à puero fuit. Nunc autem incensus studio rerum tuarum, eas literis Græcis mandare cupiebat. posse arbitror, ualet ingenio: habet usum: iam prídem in eo genere studij, literarumq; uersatur: satisfacere immortalitati laudum tuarũ mirabiliter cupit. Habes opinionis meæ testimonium: sed tu hoc facilius multò pro tua singulari prudentia iudicabis. Et tamẽ quod negaueram, commendo tibi eum. Quicquid ei commodaueris, erit mihi maiorem in modum gratum. Vale.

Correctio propositiõis.

ARG. EPIST. SEQ.

Seruius Sulpitius Græciæ præerat, igitur cũ Patris urbe Achaię in Peloponneso M. Curius multa negotia haberet, cõmendat eum Seruio ut amicum sibi, & Attico iucundissimum, rogans ut si quando pro eo quicquam efficere uoluit, & hac commendatione faciat cumulatius, & libentius.

M. T. C. Ser. Sulpitio S. P. D. 290

Narratio.

MArcus Curius, qui Patris negotiatur, multis, & magnis de causis à me diligitur. Nam & amicitia peruetus mihi cum eo est, ut primum in forum ueni, instituta: & Patris cum aliquoties antea, tum proximè hoc miserrimo bello, domus eius tota mihi patuit: quasi ouerus fuisset, tam essem usus, quàm mea. Maximum autẽ mihi uinculum cum eo est quasi sanctioris cuiusdam necessitudinis, quòd est Attici nostri familiarissimus, cũq; unum præter cæteros obseruat, ac diligit. Quem si tu iam fortè cognouisti, puto me hoc quod facio, facere sererius. Ea enim est humanitate, & obseruantia, ut eũ tibi iam ipsum per se commendatum putem. Quod tamen si ita est, magnopere à te quæso, ut ad eam uoluntatẽ, si quam

Propositio seu petitio directiua, siue est notus, siue ignotus.

quam in illum ante has meas literas cõtulisti, quàm maximus postea commendatione nostra cumulus accedat. Sin autem propter uerecundiam suam minus se tibi obtulit: aut eum nondum satis habes cognitũ: aut quæ causa est, cur maioris commendationis indigeat: sic tibi eũ commendo, ut neq; maiore studio quenquam, neq; iustioribus de causis commendare possim. Faciamq; id, quod debent facere ij, qui religiose, & sine ambitione cõmendant. spondebo enim tibi, uel potius spondeo, in meq; recipio, eos esse M. Curij mores, eamq; tum probitatem, tum etiam humanitatem, ut eum & amicitia tua, & tã accurata commendatione, si tibi sit cognitus, dignũ sis existimaturus. Mihi certè gratissimum feceris, si intellexero has literas tantum, quantum scribens confidebam, apud te pondus habuisse. Vale.

Ratio petitionis.

ARG. EPIST. SEQ.

Pompeius Atticus in Epiro negotia habebat, cui Seruius tunc præerat, ita cum Seruius id intelligens, ultro scripserit ad Atticum se paratum esse ipsum iuuare quibuscunq; rationibus posset, ostendit Cicero has Seruij liberalissimas literas sibi gratissimas esse, nec minus Attico, quem tamen ei commendatiorem facit.

M. T. C. Ser. Sulpitio S. P. D. 291

Propositio.

NOn concedam, ut Attico nostro, quem elatum lætitia uidi, iucundiores tuæ suauissimæ ad eum, & humanissimæ scriptæ literæ fuerint, quàm mihi. Nam etsi utriq; nostrum propè æquè gratæ erant: tamen ego admirabar magis, te, quasi rogatus, aut certè admonitus, liberaliter Attico respondisses (quod tamẽ dubiũ nobis, quin ita futurũ fuerit, non erat) ultro ad eum scripsisse, eiq; nec opinanti uoluntatem tuam tantum per literas

Literæ meæ fuerũt nobis gratæ.

Confirmatio

Mihi magis quã Attico gratæ fuerũt.

Correctio

detuliſſe. De quo non modò rogare te, ut eò ſtudioſius mea quoq; cauſa facias, non debeo (nihil enim cumulatius fieri poteſt, quàm polliceris) ſed ne gratias quidem agere, quòd tu & ipſius cauſa, & tua ſponte feceris. Illud tamen dicam, mihi id, quod feciſti, eſſe gratiſſimũ. Tale enim tuum iudiciũ de homine eo, quem ego unicè diligo, non poteſt mihi non ſummè eſſe iucundũ. Quod cùm ita ſit, eſſe gratum neceſſe eſt. Sed tamen quando mihi pro cõiunctione noſtra uel peccare apud te in ſcribendo licet: utrunq; eorum, quæ negaui mihi facienda eſſe, faciam. Nam & ad id, quod Attici cauſa te oſtendiſti eſſe facturum, tantum uelim addas, quantum ex noſtro amore acceſſionis fieri poteſt. Et quod modò uerebar tibi gratias agere, nunc planè ago: teq; ita exiſtimare uolo, quibuſcunque officijs in Epiroticis, reliquisq; rebus Atticum obſtrinxeris, iiſdem me tibi obligatum fore. Vale.

Occupatio, quia utro fecisti & Attico & mihi, non licet agere gratias, ago tamen

Repetitio correctionis

ARG. EPIST. SEQ.

Lyſo ciuis Patrenſis Ciceroni ueteri hoſpitio, & conſuetudine coniunctus, in diſſenſione ciuili Pompeianas partes ſecutus erat: quocirca licet putet Seruium eidem fauturum, tamen quia omnia erant in poteſtate Cæſaris, aliquantum uerebatur, hunc Cicero diligenter commendat in præſenti epiſtola.

M. T. C. Seruio Sulpitio S. P. D. 292

Narratio Commentationes exegetiere deliberatiuo collatiõe

CVm Lyſone Patrenſi eſt mihi quidem hoſpitium uetus: quam ego neceſſitudinem ſanctè colendam puto: ſed ea cauſa etiam cum alijs compluribus: familiaritas tanta nullo cum hoſpite, & ea cùm officijs eius multis, tum etiam conſuetudine quotidiana ſic eſt aucta, ut nihil ſit familiaritate noſtra coniunctius. Is cùm Romæ annum

annum propè ita fuiſſet, ut mecum uiueret, etſi eramus in magna ſpe te meis literis, commendationeq; diligentiſſimè facturum id, quod feciſti, ut eius rem, & fortunas abſentis tuerêre: tamen quòd in unius poteſtate erant omnia, & quòd Lyſo fuerat in noſtra cauſa, noſtrisq; præſidijs, quotidie aliquid timebamus. Effectum tamẽ eſt & ipſius ſplendore, & noſtro, reliquorũq; hoſpitum ſtudio, ut omnia, quæ uellemus, à Cæſare impetrarentur: quod intelliges ex ijs literis, quas Cæſar ad te dedit. Nunc non modo non remittimus tibi aliquid ex noſtra commendatione, quaſi adepti iam omnia: ſed eo uehementius à te contendimus, ut Lyſonem in fidem, neceſſitudinemq; tuam recipias. Cuius dubia fortuna timidius tecum agebamus, uerentes nequid accideret eiuſmodi, ut ne tu quidem mederi poſſes. Explorata uerò eius incolumitate, omnia à te ſtudia ſumma cura peto. Quæ ne ſingula enumerem, totam tibi domum commendo. In his adoleſcentem filium eius, quem C. Memmius Gemellus cliens meus, cum in calamitate exilij ſui Patrenſis ciuis factus eſſet, Patrenſium legibus adoptauit: ut eius ipſius hæreditatis ius, cauſamq; tueare. Caput illud eſt, ut Lyſonem, quem ego uirum optimum, gratiſſimumq; cognoui, recipias in neceſſitudinem tuã. Quod ſi feceris, non dubito, quin poſtea in eo diligendo, cæterisq; commendando, idem quod ego, ſis iudicij, & uoluntatis habiturus. Quod cum fieri uehementer ſtudeo, tum etiam illud uereor, ne ſi minus cumulatè uideberis feciſſe aliquid eius cauſa, me ille negligenter

Petitio ex collatiõe amplificata: antea cõmendaui in dubia fortuna Lyſonis nunc fortaſsis minus opus uidetur ei commendatione, ego tamen cõmendo

scripsisse de se putet, non te oblitum mei. Quanti enim me faceres, cum ex sermonibus quotidianis meis, tũ ex †feceris epistolis etiam tuis potuit cognoscere. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Commendat Asclaponem medicum bene de suis, ut inquit, meritum.

M. T. C. Seruio Sulpitio S. P. D. 293

Narratio Asclapone Patrensi medico utor ualde familiariter: eiusq; tum consuetudo mihi iucunda fuit, tum etiam ars, quam sum expertus in ualetudine meorum. In qua mihi tum ipsa scientia, tum etiam fidelitate, beneuolentiaq; satisfecit. Hunc igitur tibi commendo: & à te peto, ut des operam, ut intelligat diligenter me scripsisse de sese, meamq; commendationẽ usui magno sibi fuisse. Petitio. Erit id mihi uehementer gratum. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Commendat diligenter, & accuratis uerbis Marcum Aemilium Auianum, & domum eius, & præcipue Hammonium libertũ eius ob præclara utriusq; merita.

M. T. C. Seruio Sulpitio S. P. D. 294

Narratio Marcus Aemilius Auianus ab ineunte adolescentia me obseruauit, semperq; dilexit: uir cum bonus, tũ perhumanus, & in omni genere officij diligendus. Quẽ si arbitrarer esse Sicyone, & nisi audirem, ibi eum etiã nunc, ubi ego reliqui, Cibyræ commorari, nihil esset me cesse plura me ad te de eo scribere. Perficeret enim ipse profectò suis moribus, suaq; humanitate, ut sine cuiusquam cõmendatione diligeretur abs te nõ minus, quàm & à me, & à cæteris suis familiaribus. Sed cum illũ abesse putem, cõmendo tibi maiorem in modũ domũ eius, quæ

quæ est Sicyone, remq; familiarem, maximè Caiũ Auianum Hammonium libertum eius: quẽ quidem tibi etiã suo nomine cõmendo. Nam cũ propterea mihi est probatus, quòd est in patronum suum officio, & fide singu- Ratio petitionis ex meritis lari: tum etiam in me ipsum magna officia contulit: mihi molestissimis tẽporibus ita fideliter, beneuoleq; præstò fuit, ut si à me manumissus ẽsset. Itaq; peto à te, ut eũ Hammonium, & in patroni eius negotio sic tueare, ut eius procuratorem, quem tibi commẽdo, & ipsum suo nomine diligas, habeasq; in numero tuorum. hominem Repetitio petitionis, seu conclusio. pudentem, & officiosum cognosces, & dignum, qui à te diligatur. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Vrbane commendat Titium Manlium & negotia eius Seruio Sulpitio amico communi, & homini docto, ac probo.

M. T. C. Ser. Sulpitio S. P. D. 295

Narratio Titum Manlium, qui negotiatur Thespijs, uehementer diligo. Nam & semper me coluit, diligentissimeq; obseruauit, & à studijs nostris non abhorret. Accedit eò, quòd Varro Muræna magnopere eius causa uult omnia: qui ita existimauit, etsi suis literis, quibus tibi Manlium commendabat, ualde confideret: tamen mea commendatione aliquid accessionis fore. Me quidem cum Manlij familiaritas, tum Varronis studium commouit, ut ad te quàm accuratissimè scriberẽ. Gra- Petitio. tissimum igitur mihi feceris, si huic commendationi meæ tantum tribueris, quantum cui tribuisti plurimũ: Ratio. id est, si Titum Manlium quàm maximè, quibuscunque rebus honestè, ac pro tua dignitate poteris, iuueris,

atque

atque ornaueris. Ex ipsius præterea gratißimis, & humanißimis moribus confirmo tibi eum te, quem soles fructum à bonorum uirorum officijs expectare, esse capturum. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Commendat Ser. Sulpitio Lucium Cosinium Lucij Cosinij amici, & tribulis sui, id est, eius quidem cũ de eadẽ tribu erat, libertum, perinde ac si proprius esset.

M. T. C. Seruio Sulpitio S. P. D. 296

Narratio. LVcio Cosinio amico, & tribuli tuo ualde familiariter utor. Nam & inter nosmetipsos uetus usus intercedit: & Atticus noster maiorem etiam mihi cum Cosinio consuetudinem fecit. Itaq; tota Cosinij domus me diligit, in primisq; Libertus eius L. Cosinius Anchialus homo & patrono, & patroni necessarijs, quo in numero ego sum, probatißimus. Hunc tibi ita commendo, ut si meus libertus esset, eodemq; apud me loco esset, quo & est apud patronum suum, maiore studio commendare non possem. Quare pergratum mihi feceris, si eum in amicitiam tuam receperis: atq; eum, quod sine molestia tua fiat, si qua in re opus ei fuerit, iuueris. Id & mihi uehementer gratum erit, & posteà tibi iucundũ. Hominem enim summa probitate, humanitate, obseruantiáq; cognosces. Vale.

Petitio.

ARG. EPIST. SEQ.

Seruius suspectũ habuerat Lysonẽ, quod audierat contra dignitatem suã Romæ locutum, quam suspicionẽ pro cõmendatione Ciceronis deposuerat, quod factũ sibi gratißimũ nunc dicit Cicero.

M. T. C. Seruio Sulpitio S. P. D. 297

CVm antea capiebam ex officio meo uoluptatẽ, quòd memineram, quàm tibi diligenter Lysonem hospitem & familiarem meum commendassem: tum uerò posteà, quàm ex literis eius cognoui, tibi eum falsò suspectũ fuisse, uehementißimè lætatus sum, me tam diligentem in eo commendando fuisse. Ita enim scripsit ad me, sibi meam commendationẽ maximo adiumento fuisse, quòd ad te delatum diceret, sese contra dignitatem tuam Romæ de te loqui solitum esse. † De quo etsi pro tua facilitate, & humanitate purgatum se tibi scribit esse: tamẽ primùm ut debeo, tibi gratias ago, cũ tantũ literæ meæ potuerunt, ut his lectis omnem offensionem suspicionis, quam habueras de Lysone, deponeres. deinde credas mihi affirmanti uelim, me hoc non pro Lysone magis, quàm pro omnibus scribere, hominem esse neminẽ, qui unquam mentionem tui sine tua summa laude fecerit. † Lyso uerò cum mecum propè quotidie esset, unaq; ui ueret: non solum quia me libenter audire arbitrabatur, sed quia libentius ipse loquebatur, omnia mihi tua & facta, & dicta laudabat. Quapropter etsi à te ita tractatur, ut iam non desideret commendationem meam, isq; se literis meis omnia consecutum putet: tamen à te peto maiorem in modum, ut eum etiam atq; etiam tuis officijs, liberalitate complectare. Scriberem ad te, qualis uir esset, ut superioribus literis feceram, nisi eũ iam per seipsum satis tibi esse notum arbitrarer. Vale.

Gratias agit quod Lysonem receperit in gratiã

Exordiũ pathos

Gaudebã antea, nunc magis gaudeo

Confirmatio

Propositio

ago gratias

A testimonio

Repetitio cõmendationis.

ARG. EPIST. SEQ.

Laudat Hagessareti Larissæi gratitudinem, & beneuolentiam, atq; ita eum Sulpitio facit commendatiorem.

M. T. C. Ser. Sulpitio S. P. D. 298

HAgessaretus Larissæus magnis meis beneficijs ornatus

Narratio.

tus in Consulatu meo, memor, & gratus fuit: meq; po-
stea diligentissimè coluit. Eum tibi magnopere cõmen-
do, ut & hospitem, & familiarem meum, & gratũ ho-
minem, & utrum bonum, & principem ciuitatis suæ, et
tua necessitudine dignissimum. Per gratum mihi feceris,
si dederis operam, ut is intelligat hanc meam comme-
dationem magnum apud te pondus habuisse. Vale.

ARG. EPIST. SEQV.

M. Mindius Mescinij quæstoris Ciceronis frater, Helide perie-
rat: quocirca cum Mescinius fratris hæreditatem peteret, Oppiam
uxorem Mindij aduersariam habuit: contra quam hic Mescinium
commendat.

M. T. C. Seruio Sulpitio S. D. P. 299

Narratio. LVcius Mescinius ea mecum necessitudine coniunctus
est, quòd mihi quæstor fuit. Sed hanc causam, quam
ego, ut à maioribus accepi, semper grauem duxi, fecit
uirtute, & humanitate sua iustiorem. Itaq; eo sic utor,
Amplificatio ex causis ut nec familiarius ullo, nec libentius. Is quanquam con-
fidere uidebatur et sua causa, quæ honestè posses, liben-
ter esse facturum: magnum tamen esse sperauit apud te
meas quoq; literas pondus habituras. Id cum ipse ita iu-
dicabat, tum pro familiari consuetudine sæpe ex me au-
dierat, quàm suauis esset inter nos, & quanto conium-
ctio. Peto igitur à te, tanto scilicet studio, quanto intelli-
gis debere me petere pro homine tam mihi necessario,
& tam familiari: ut eius negotia, quæ sunt in Achaia,
Elidi. ex eo quòd hæres est M. Myndio fratri suo, qui Elide
negotiatus est, explices, & expedias tum iure, & po-
testate, quam habes, tum etiam autoritate, & consilio
tuo.

tuo. Sic enim præscripsimus ijs, quibus ea negotia man-
dauimus, ut omnibus in rebus, quæ in aliquam contro-
uersiam uocarentur, te arbitro, & quod commodo tuo
fieri posset, te disceptatore uterẽtur. Id ut honoris mei Repetitio pe-
causa suscipias, uehementer te etiam atq; etiam rogo. titionis.
Illud præterea, si non alienum à tua dignitate putabis Modus in pe-
esse, feceris mihi pergratum: si qui difficiliores erunt, titione præ-
ut rem sine controuersia confici nolint, si eos, quando scriptus.
cum senatore res est, Romam reieceris. Quod quò mi-
nore dubitatione facere possis, literas ad te à M. Le- Ratio petitio
pido consule, non quæ te aliquid iuberent (neque enim nis.
id tuæ dignitatis esse arbitramur) sed quodammodo
quasi commendatitias sumpsimus. Scriberem, quàm id
beneficium bene apud Mescinium positurus esses, nisi
& te scire confiderem, & mihi peterem. Sic enim ue-
lum existimes, non minus me de illius re laborare, quàm
ipsum de sua. Sed cum illum studeo quàm facilimè ad su-
um peruenire: tum illud laboro, ut non minimum hac
mea commendatione se consecutum arbitretur. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Agit Seruio gratias, quod C. Auianum Ammonium liberalissi-
me tractarat, & suo, id est, Ciceronis nomine, atq; respectu, & pa-
troni ipsius Auiani. Ostenditq; quantum sibi id gratum & iucundũ
fuerit, & rursus tam patronum, quam libertum, & utriusq; negotia
eidem Seruio Sulpitio commendat.

M. T. C. Seruio Sulpitio

S. P. D. 300

Licet eodem exemplo sæpius tibi huius generis literas
mittam, cùm gratias agam, quòd meas cõmendatio- Eucharisticee
nes tam diligenter obserues, quod feci in alijs, & faciã, Exordiũ est.

ut

ut uideo, sæpius: sed tamen non parcam operæ, & ut
† uos soletis in formulis, sic ego in epistolis de eadem re
alio modo. Caius Auianus igitur Ammonius incredibi-
leis mihi gratias per literas egit & suo, & Aemilij Aui-
ani patroni sui nomine, nec liberalius, nec honorifice
tius tractari potuisse, nec se præsentè, nec rem familia-
rem absentis patroni sui. Id mihi cum iucundum est eo-
rum causa, quos ego tibi summa necessitudine, & sum-
ma coniunctione adductus commendaueram, quòd M.
Aemilius unus est ex meis familiarissimis, atq; intimis,
maximè necessarius homo, et magnis meis beneficijs de
uinctus, & propè omniũ, qui mihi aliquid debere uide-
tur, gratissimus: tũ multò iucundius, te esse in me tali uo
luntate, ut plus prosis amicis meis, quàm ego præsens
fortasse prodessem: credo, quòd magis ego dubitarem,
quid illorũ causa facerẽ, quàm tu quid mea. Sed hoc non
dubito, quin existimes mihi esse gratũ. Illud te rogo, ut
illos quoq; gratos homines esse putes. quod ita esse tibi
promitto, atq; confirmo. Quare uelim, quicquid habẽt
negotij, des operã, quod cõmodo tuo fiat, ut te obti-
nente Achaiam, conficiant. Ego cũ tuo Seruio iucun-
dissimè, coniunctissimeq; uiuo: magnamq; cũ ex inge-
nio eius, singulariq; studio, tũ ex uirtute, & probitate
uoluptatem capio. Vale.

† uos in ue-
stris

Occupatio
Cogor eodẽ
modo multa
scribere, sed
excuso me
uestro exem-
plo, sic solent
Iurisconsulti.

ARG. EPIST. SEQ.

Exposuerat Lucius Mescinius Ciceroni, literas eius profecto commendatitias ad Seruium Sulpitium, tantum sibi profuisse, ut statim illis lectis, Seruius omnia pollicitus sit & maiora effecerit, quã pollicitus fuerit: quamobrem Cicero gratias agit: petens tamen, ut beneficium in eundem augeat.

M. T. C

Petitio addita gratiarũ actioni

M. T. C. Ser. Sulpitio S. P. D. 301

ETsi libenter petere à te soleo, si quid opus est meorũ
cuipiam: tamen multò libentius gratias tibi ago, cum
feceris aliquid commendatione mea: quod semper facis.
Incredibile est enim, quas mihi gratias omnes agant, e-
tiam mediocriter à me tibi cõmendati. quæ omnia mihi
grata: sed de Lucio Mescinio gratissimum. Sic enim est
mecum locutus, te, ut meas literas legere, statim procu-
ratoribus suis pollicitum esse omnia: multò uerò plura,
& maiora fecisse. Id igitur (puto enim etiam atq; etiam
mihi dicendum esse) uelim existimes mihi te fecisse gra-
tissimum. Quod equidem hòc uehementius lætor, quòd
ex ipso Mescinio te uideo magnam capturum uolupta-
tem. Est enim in eo cum uirtus, & probitas, & summũ
officium, summaq; obseruantia: tum studia illa nostra,
quibus antea delectabamur, nunc etiam uiuimus. Quod
reliquũ est, uelim augeas tua in eum beneficia omnibus
rebus, quæ te erunt dignæ. Sed duo, quæ te nominatim
rogo: Primùm, ut si quid satisdandum erit, amplius eo
nomine non peti, cures, ut satisdetur fide mea. Deinde,
cùm ferè cõsistat hæreditas in ijs rebus, quas † auertit Op
pia, quæ uxor Mindij fuit: adiuues, ineasq; rationem,
quemadmodum ea mulier Romam perducatur. quod si
putarit illa fore, ut opinio nostra est, negotium conficie
mus. Hoc ut assequamur, te uehementer etiã atq; etiam
rogo. Illud, quod suprà scripsi, id in me recipio, te ea,
quæ fecisti Mescinij causa, quæq; feceris, ita bene collo-
caturum, ut ipse indices homini te gratissimo, iucundis-

Exordiũ ab officio, quod grata sit diligentia Sulpitij in iuuandis his, qui commendati sunt a Cicerone: & est comparatio. Omnia tua officia sũt mihi grata, sed maxime illa quæ sunt collocata in Mescinium Amplificatio Etiã tua causa lætor, quia magnum fructũ capies ex Mescinio.

† euertit

Ratio petitionis.

simoq; benigne feciſſe. Volo enim ad id, quod mea cauſa feciſti, hoc etiã accedere. Nec Lacedæmonios dubitare arbitror, quin ipſi ſua maiorumq; ſuorum autoritate ſatis commendati ſint fidei, & iuſtitiæ tuæ: & ego, qui te optimè nouiſſem, non dubitaui, quin tibi notiſſima & iura, & merita populorum eſſent. Itaq; cùm à me peteret Philippus Lacedæmonius, ut tibi ciuitatem commendarem: etſi memineram me ei ciuitati omnia debere: tamen reſpondi, commendatione Lacedæmonios apud te non egere. Itaq; ſic uelim exiſtimes, me omneis Achaiæ ciuitates arbitrari pro horum temporũ perturbatione felices, quòd tu his præſis: eundemq; me ita iudicare, te, quòd unus optimè noſſes non noſtra ſolùm, ſed etiã Græciæ monimenta omnia, tua ſponte amicum Lacedæmonijs, & eſſe, & fore. Quare tantum à te peto, ut cum facies Lacedæmoniorum cauſa, quæ tua fides, amplitudo, iuſtitia poſtulat: his, ſi tibi uidebitur, ſignifices te non moleſtè ferre, quòd intelligas ea, quæ facias, mihi quoq; grata eſſe. Pertinet enim ad officium meum, eos exiſtimare, curæ mihi ſuas res eſſe. Hoc te uehementer etiam atq; etiam rogo. Vale.

Aliud negocium: Commendat Lacedæmonios, ſed per apodioxin: Non commendo, quum ſua nobilitate ſint commendati

Amplificatio a doctrina.

ARG. EPIST. SEQ.

Hac epiſtola docemur, quam difficile ſit aliquid ab eo poſtulare, quem læſeris: in qua poſtulatione ſæpe longa opus eſt inſinuatione: qua utitur Cice. qua cauſam Capitonis in hæreditate adeunda, quam ſine fauore Cæſaris impetrare non potuerat, Planco Cæſaris familiari commendat.

Exordium captat beneuolentiam a uetuſtate & cauſis amicitiæ.

M. T. C. Cn. Planco S. P. D. 302

NOn dubito, quin ſcias in his neceſſarijs, qui tibi à patre relicti ſunt, me tibi eſſe uel coniunctiſſimũ, non his modò cauſis, quæ ſpeciem habent magnæ cõiunctionis, ſed ijs etiam quæ familiaritate, et cõſuetudine tenentur: quam ſcis mihi iucundiſſimam cũ patre tuo & ſummam fuiſſe. Ab his initijs noſter in te amor profectus auxit paternam neceſſitudinẽ, et eò magis, quòd intellexi, ut primùm per ætatem iudicium facere potueris, quanti quiſq; tibi faciendus eſſet, me à te in primis cœptum eſſe obſeruari, coli, diligi. Accedebat non mediocre uinculũ cum ſtudiorũ, quod ipſum eſt per ſe graue: tum eorum ſtudiorũ, earumq; artiũ, quæ per ſe ipſæ eos, qui uoluntate eadẽ ſunt, etiam familiaritate deuinciunt. Expectare te arbitror, hæc tã longè repetita principia quò ſpectent. Id primùm ergo habeto, non ſine magna, iuſtaq; cauſa hanc à me commemorationem eſſe factam. Caio Atteio Capitone utor familiariſſimè. Notæ tibi ſunt uarietates meorũ temporum: in omni genere & honorũ, & laborum meorũ, & animus, & opera, & autoritas, & gratia, etiam res familiaris C. Capitonis præſtò fuit, & paruit & tẽporibus, & fortunæ meæ. Huius propinquus fuit T. Antiſtius: qui cùm fortè quæſtor Macedoniã obtineret, neq; ei ſucceſſum eſſet, Põpeius in eam prouinciam cũ exercitu uenit: facere Antiſtius nihil potuit. Nam ſi potuiſſet, nihil ei fuiſſet antiquius, quàm ad Capitonẽ, quem ut parentem diligebat, reuerti: præſertim cum ſciret, quanti is Cæſarem faceret, ſemperq; feciſſet. Sed oppreſſus tantum attigit negotij, quantum recuſare non potuit. Cum ſignaretur argentũ Apolloniæ, nõ poſſum dicere eum præfuiſſe, neq; poſſum negare eum af-

Amplificatio a genere ſtudiorum.

Narratio

fuisse, sed non plus duobus, aut tribus mensibus. Deinde abfuit à castris: fugit omne negotium. hoc mihi, ut testi, uelim credas: meam enim ille mœstitiam in illo bello uidebat, mecũ omnia cõmunicabat. Itaq; abdidit se in intimã Macedoniam, quò potuit longissimè à castris, non modò ut nõ præesset ulli negotio, sed etiam ut ne interesset quidem. Is post prælium se ad hominẽ necessarium Aulum Plancium in Bithyniam contulit. Ibi eum Cæsar cùm uidisset, nihil asperè, nihil acerbè dixit. Romã iussit uenire. Ille in morbum continuò incidit: ex quo nõ conualuit. Aeger Corcyrã uenit: ibi est mortuus. Testamento, quod Romæ Paulo & Marcello consulibus fecerat, hæres ex parte dimidia, et tertia est Capito: in sextante sunt ij, quorũ pars sine ulla cuiusquam querela publica

Petitio potest esse: ea est ad XXX. HS. Sed de hoc Cæsar uiderit. te mi Plance, pro paterna necessitudine, pro nostro amore, pro studijs, & omni cursu nostro totius uitæ similimo, rogo, & à te ita peto, ut maiore cura, maiore studio nullo possim, ut hanc rẽ suscipias, meã putes esse: enitare, cõtendas, efficias, ut mea cõmendatione, tuo studio, Cæsaris beneficio hæreditatem propinqui sui C. Capito obtineat. Omnia quæ potuissem in hac summa gratia tua, ac potentia à te impetrare, ultro te ad me detulisse putabo, si hãc rem impetrauero. Illud fore tibi adiumento spero, cuius ipse Cæsar esse optimus iudex po-

Amplificatio test: semper Cæsarem Capito & dilexit, & coluit. Sed

Maximi faciam hoc beneficium. ipse huius rei testis est: noui * hominis memoriam. Itaq; te nihil doceo: tantũ tibi sumito pro Capitone apud Cæsarem,

sarem, quantum ipse meminisse senties. Ego quod in me ipso experiri potui, ad te deferam: in eo quantũ sit ponderis, tu uidebis. Quam partem in republica, causamq; defenderim, per quos homines, ordinesq; steterim, quibusq; munitus fuerim, nõ ignoras. Hoc mihi uelim credas: si quid fecerim hoc ipso in bello minus ex Cæsaris uoluntate, quod intellexerim scire ipsum Cæsarem, me inuitissimum feciss̃e: id feci aliorũ consilio, hortatu, autoritate: quòd fuerim moderatior, tẽperatiorq;, quàm in ea parte quisquam, id me feciss̃e maximè autoritate Capitonis, cuius similes si reliquos necessarios habuissem, reipublicæ fortasse nõnihil, mihi certè plurimũ profuissem. Hanc rẽ mi Plance, si effẽceris, meã de tua erga me beneuolentia spem cõfirmaueris, ipsumq; Capitonẽ gratissimũ, officiosissimũ, optimũ uirũ, ad tuam necessitudinem, tuo summo beneficio adiunxeris. Vale.

A facili.

Ab æquo, quia Capito fuit in bello ciuili atq; etiam moderate agendi autor.

ARG. EPIST. SEQ.

Commendat Acilio proconsuli in Sicilia Manlium quendam ad obtinendam hæreditatem fratris Catinæ defuncti.

M. T. C. Acilio Proc. S. P. D. 303

LVcius Manlius est Susis: is fuit Catinensis: sed est unà cũ reliquis Neapolitanis ciuis Romanus factus, Decurioq; Neapoli. erat enim adscriptus in id municipiũ antè ciuitatem socijs, & Latinis datam. Eius frater Catinæ nuper mortuus est. nullam omnino arbitramur de ea hæreditate controuersiam eum habiturum: & est hodie in bonis. sed quandò habet præterea negotia uetera in Sicilia sua, & hanc hæreditatem fraternam, omnia eius tibi commendo, in primisq; ipsum uirũ optimum,

Narratio

Petitio

mihiq; familiarissimum, his studijs literarum, doctrinaq; præditum, quibus ego maximè delector. Peto igitur abs te, ut eum, siue aderit, siue non uenerit in Siciliã, in meis intimis, maximeq; necessarijs scias esse: itaq; tractes, ut intelligat meam commendationem sibi magno adiumento fuisse. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Eidem proconsuli in Sicilia commendat C. Flauium equitem Romanum necessarium Cnei Pisonis.

M. T. C. Acilio Proc. S. P D. 304

Narratio

CAio Flauio honesto, & ornato equite Romano utor ualde familiariter. Fuit enim generi mei C. Pisonis perneccssarius: meq; diligentissimè obseruat & ipse, & L. Flauus frater eius. Quapropter uelim honoris mei causa, quibus rebus honestè, et pro tua dignitate poteris, quàm honorificẽtissimè, & q̃ liberalissimè Caium Flauium tractes. Id mihi sic erit gratum, ut gratius esse nihil possit. Sed præterea tibi affirmo, neq; id ambitione adductus facio, sed tum familiaritate, & necessitudine, tum etiam ueritate: te ex Caij Flauij officio, & obseruãtia, & præterea splendore, atq; inter suos gratia, magnam uoluptatem esse capturum. Vale.

Petitio

Ratio petionis.

Commendat hospites suos Halesinos, quos hoc loco nominat.

M. T. C. Acilio Proc. S. P. D. 305

Narratio

IN Halesina ciuitate tam lauta, quàm nobili cõiunctissimos habeo & hospitio, & familiaritate M. & C. Clodios, Archagathũ, & Philonem. sed uereor, ne, quia cõplureis tibi præcipuè commendo, exæquare uidear ambitione quadam commendationes meas: quanquam à te quidem

quidem cumulatè satisfit & mihi, & meis omnibus. Sed uelim sic existimes, hanc familiam, & hos mihi maximè esse coniunctos uetustate, officijs, beneuolentia. Quamobrem peto à te maiorem in modũ, ut his omnibus in rebus, quantum tua dignitas, fidesq; patietur, commodes. Id si feceris, erit mihi uehementissime gratum. Vale.

Occupatio: uereor ne in tot commendationibus parum habitura sit auctoritatis mea cõmendatio.

ARG. EPIST. SEQ.

Commendat Ocilium, & negotia eius per treis libertos eius, quos & nominat, curanda, paucis quidem, sed electis uerbis.

M. T. C. Acilio Proc. S. P. D. 306

CNeo Otacilio Nasone utor familiarissimè, ita prorsus, ut illius ordinis nullo familiarius. Nam & humanitate eius, & probitate in consuetudine quotidiana magnopere delector. Nihil iam opus est expectare te, quibus eum uerbis tibi commendem, quo sic utor, ut scripsi. Habet is in prouincia tua, negotia, quæ procurant liberti Hilarius, Antigonus, Demostratus: quos tibi, negotiaq; omnia Nasonis nõ secus cõmendo, ac si mea essent. Gratissimum mihi feceris, si intellexero hanc cõmendationem magnum apud te pondus habuisse. Vale.

Narratio

Petitio

ARG. EPIST. SEQ.

Non minus accurrate commendat Lysonem Lysonis Lilybetani filium, ac domum, & negotia eius.

M. T. C. Acilio Proc. S. P. D. 307

AVitum mihi hospitium est cum Lysone Lysonis filio Lilybætano, ualdeq; ab eo obseruor, cognouiq; dignum & patre, & auo. Est enim nobilissima familia. Quapropter commendo tibi maiorem in modũ rem, domumq; eius. Magnoq; opere abs te peto, cures, ut is intelligat meam cõmendationem maximo sibi apud te &

Narratio Lysonem hospitij gratia commendat

Petitio

adiumento, & ornamento fuisse. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Auianum Philoxenum hospitem suum, & in Nouocomenses relatum a Cæsare, commendat.

M. T. C. Acilio Pronc. S. P. D. 308

Narratio Commendat C. Auianum Siculum iure hospitij.

CAius Auianus Philoxenus antiquus est hospes meus, & præter hospitium, ualde etiam familiaris: quem Cæsar meo beneficio in Nouocomenseis retulit. Nomen autem Auiani consecutus est, quòd homine nullo plus est usus, quàm Flacco Auiano, meo, quemadmodum te scire arbitror, familiarissimo. Quæ ego omnia collegi, ut intelligeres non uulgarem esse commendationem hanc meam. Peto igitur abs te, ut omnibus rebus, quod

Petitio

sine molestia tua facere possis, ei commodes, habeasq; in numero tuorum: perficiasq;, ut intelligat has literas meas magno sibi usui fuisse. Erit id mihi maiorem in modum gratum. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Demetrium Megam Acilio commendat, & ut eum in numero ciuium Romanorum habeat, petit.

M. T. C. Acilio Proc. S. P. D. 309

Commendat Demetrium Siculum, sed ciuem Rom. effectum. Narratio

CVm Demetrio Mega mihi uetustum hospitium est, familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nulla. Ei Dolabella rogatu meo ciuitatem à Cæsare impetrauit. qua in re ego interfui. Itaq; nunc P. Cornelius uocatur. Cumq; propter quosdam sordidos homines, qui Cæsaris beneficia uendebant, tabulam, in qua nomina ciuitate donatorum incisa essent, iussisset reuelli: eidem Dolabellæ, me audiente, Cæsar dixit, nihil esse, quod de Mega uereretur: beneficiũ suum in eo manere. Hoc te scire uolui,

uolui, ut eum in ciuium Romanorum numero haberes. Cæterisq; in rebus tibi eum ita cõmendo, ut maiore studio neminem commendarim. Gratissimum mihi feceris, si eum ita tractaris, ut intelligat meam cõmendationem magno sibi ornamento fuisse. Vale.

Petitio

Hippiæ causam ut defendat, Acilium rogat.

M. T. C. Acilio Proc. S. P. D. 310

HIppiam Philoxeni filium Calatinum, hospitem, & necessarium meum tibi commendo maiorem in modum. Eius bona, quemadmodum ad me delata res est, publicè possidentur alieno nomine contra leges Calatinorum. Id si ita est, etiam sine mea cõmendatione ab æquitate tua res ipsa impetrare debet, ut ei subuenias. Quoquo modo res autem se habet, peto à te, ut honoris mei causa eum expedias, tantumq; ei commodes & in hac re, & in cæteris, quantum tua fides, dignitasq; patietur. Id mihi uehementer gratum erit. Vale.

Narratio Commendat Hippiam amicũ, cuius bona usurpabantur:

Petitio

Bruti res Acilio commendat.

M. T. C. Acilio Proc. S. P. D. 311

LVcius Brutus eques Romanus, adolescens omnibus rebus ornatus, in meis familiarissimis est, meq; obseruat diligentissimè. cuius cum patre magna mihi fuit amicitia iam inde à quæstura mea Siciliensi. Omnino nunc ipse Brutus Romæ mecũ est: sed tamen domum eius, & rem familiarẽ, & procuratores tibi sic cõmendo, ut maiore studio cõmendare non possim. Gratissimũ mihi feceris, si curaris, ut intelligat Brutus, id quod ei recepi, hanc meã cõmendationẽ sibi magno adiumento fuisse.

Narratio Commendat Lucium Brutum Equitem diligẽtissime

Petitio

Titurnium familiaritatis ergo diligenter commendat.

M. T. C. Acilio Proc. S. P. D. 312

Narratio

CVm familia Titurnia necessitudo mihi intercedit uetus: ex qua reliquus est M. Titurnius Rufus, qui mihi omni diligentia, atq; officio est tuendus. Est igitur in tua potestate, ut ille in me satis sibi præsidij putet esse.

Petitio

Quapropter eum tibi commendo maiorem in modum: & abs te peto, efficias, ut is commendationem hanc intelligat sibi magno adiumento fuisse. Erit id mihi uehementer gratum. Vale.

Aurelios filios Lucij necessitudinis gratia ualde commendat.

M T. C. Anchario Qu. F. Proc. S. P. D. 313

Narratio Commendat Lucium, & Caium Aurelios, ab ingenij excellentia. Circũductio.

LVcium & Caium Aurelios Lucij filios, quibus & ipsis, & patre eorum uiro optimo familiarissimè utor, commendo tibi maiorem in modum, adolescentes omnibus optimis artibus ornatos, meos perneccssarios, tua amicitia dignissimos. Si ulla mea apud te commendatio ualuit, quòd scio multas plurimum ualuisse: hæc ut ualeat, rogo. Quòd si eos honorificè liberaliterq; tractaris: & tibi gratissimos, optimosq; adolescenteis adiunxeris, & mihi gratissimum feceris. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Gratum sibi dicit, quod C. Culeolus Luceium, ad quem libro quinto scripsit illam epistolam, Coram me tecum, &c. liberaliter tractauerat.

M. T. C. Cureolo S. P. D. 314

Eucharistice cum petitione gratiarum actio.

QVæ feceris Lucij Luceij causa, scire te planè uolo, te homini gratissimo commodasse: & cum ipsi, quæ feceris, pergrata sunt, tum Pompeius, quotiescunq; me uidet, uidet autem sæpissimè, gratias tibi agit singulares. Addo etiam illud, quod tibi iucundissimũ esse certò scio, me ipsum ex tua erga Luceium benignitate, maxima uoluptate affici. Quod superest, quanquàm mihi non est dubium, quin cum antea nostra causa, nunc iam etiam tuæ constantiæ gratia, mansurus sis in eadem ista liberalitate: tamen abs te uehementer etiam atq; etiam peto, ut ea, quæ initio ostendisti, deindeq; feceris, etiam ad exitum augeri, & cumulari per te uelis. Id & Luceio, & Pompeio ualde gratũ fore, teq; apud eos præclarè positurum confirmo, & spondeo. De republica deq; his negotijs, cogitationibusq; nostris perscripseram ad te diligenter paucis antè diebus, eaq; literas dederam pueris tuis. Vale.

Narratio, ago gratias.

Petitio

M. T. C. L. Culeolo Proc. S. P. D. 315

L. Luceium commendat Eucharistice cũ petitione gratiarũ actio

LVcius Luceius meus familiarissimus, homo omnium gratissimus, mirificas tibi apud me gratias egit, cum diceret omnia te & accumulatissimè, & liberalissimè procuratoribus suis pollicitũ esse. Cum oratio tua tam ei grata fuerit, quàm gratam rem ipsam existimas fore, cum, ut spero quæ pollicitus es, feceris? Omnino Byllliones ostenderunt sese Luceio Pompeij arbitratu satisfacturos: sed uehementer opus est nobis & uoluntatem, & autoritatem, & imperium tuum accedere. Quod ut facias, te etiam atq; etiam rogo. Illudq; mihi gratissimum est, quòd ita sciunt Luceij procuratores, & ita Luceius ipse ex literis tuis, quas ad eũ misisti, intellexit, hominis

Petitio

hominis nullius apud te autoritatem, aut gratiam uale-re plus, quàm meam. Id ut re experiatur, iterum, & sæ-pius te rogo. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Commendat Gallo proconsuli Ciliciæ L. Oppium curatorem negotiorum Lucij Egnatij, rogatq; ut & ipsum Oppium præsen-tem commendatum habeat, & Egnatij absentis negotium tueatur.

M. T. C. Q. Gallo S. P. D. 316

Commenda-tio.

Exordium: captat bene-uolentiam ex negocij mag-nitudine.

ETsi plurimis rebus spero fore, ut perspiciam, quod tamen iampridem perspicio, me à te amari: tamen nunc ea causa tibi datur, in qua facile declarare possis tuam erga me beneuolentiam. Lucius Oppius Marci fi lius Philomeli negotiatur, homo mihi familiaris: eum tibi unicè cõmendo: eoq; magis, quòd cùm ipsum diligo, tum quòd negotia procurat Lucij Egnatij Rufi: quo ego uno equite Romano familiarissimè utor, & qui cùm cõ suetudine quotidiana, tum officijs plurimis, maximisq;

Petitio mihi coniunctus est. Oppium igitur præsentem, ut dili-gas, Egnatij absentis rem ut tueare, æquè à te peto, ac si mea negotia essent. Velim memoriæ tuæ causa des lite-rarum aliquid, quæ tibi in prouincia reddantur: sed ita conscribas, ut tum, cùm eas leges, facilè recordari possis huius meæ commendationis diligentiam. Hoc te uehe-menter etiam atq; etiam rogo. Vale.

Eiusdem argumenti cum superiore.

M. T. C. Q. Gallo S. P. D. 317

Commendat rursus eundẽ

Petitio figu-rata occupa-

ETsi ex tuis, & ex Lucij Oppij familiarissimi mei lite-ris cognoui te memorem commendationis meæ fuis-se, idq; pro tua summa erga me beneuolentia, proq; no-stra

stra necessitudine minimè sum admiratus: tamen etiam atq; etiam tibi Lucium Oppium præsentem, & Lucij Egnatij mei familiarissimi absentis negotia commendo. Tanta mihi cum eo necessitudo est, familiaritasq;, ut si mea res esset, non magis laborarem. Quapropter mihi gratissimũ feceris, si curaris, ut is intelligat me à te tan-tum amari, quantũ ipse existimo. hoc mihi gratius face-re nihil potes: Idq; ut facias, uehementer te rogo. Vale.

tione, rogo tamen si non rogatus om-nia facis.

Ratio cõmen dationis.

Anchilaum Egnatij seruum propter dominum commendat.

M. T. C. Apuleio Proquæstori S. P. D. 318

LVcio Egnatio uno equite Romano uel familiarissi-mè utor. Eius Anchilaum seruum, negotiaq;, quæ ha bet in Asia, tibi commendo, non minore studio, quàm si rem meam commendarem. Sic enim existimes uelim, mihi cum eo non modò quotidianam consuetudinẽ sum-mam intercedere, sed etiam officia magna, & mutua no stra inter nos esse. Quamobrem etiam atq; etiam à te peto, ut cures, ut is intelligat me ad se satis diligẽter scri psisse. Nam de tua erga me uoluntate non dubitat. Id ut facias, te etiam atq; etiam rogo. Vale.

Narratio

Petitio

M. T. C. Apuleio Proquæstori S. P. D. 319

LVcius Nostius Zoilus est cohæres meus, hæres autem patroni sui: ea re utrunq; scripsi, ut & mihi cum illo causam amicitiæ scires esse, & hominem probum exi-stimares, qui patroni iudicio ornatus esset. Eum tibi igitur

Nostium eo-hæredem suũ Apuleio cõ-mendat.

igitur sic cõmendo, ut unũ ex nostra domo. Valde mihi gratum erit, si curaris, ut intelligat hanc meam cõmendationem sibi apud te magno adiumento fuisse. Vale.

M. T. C. Silio S. P. D. 320

Obliqua cõmendatio Egnatij.

QVid ego tibi commendem eum, quem tu ipse diligis? Sed tamen, ut scires eum non à me diligi solùm, uerũ etiam amari, ob eam rem tibi hæc scribo. Omnium tuorum officiorum, quæ & multa & magna sunt, mihi gratissimum fuerit, si ita tractaris Egnatium, ut sentiat & se à me, & me à te amari. Hoc te uehementer etiam atq; etiam rogo. Illa nostra scilicet ceciderunt. Vtamur igitur uulgari consolatione. Quid si hoc melius? Sed hæc corám. Tu fac, quod facis, ut me ames, teq; amari à me scias. Vale.

M. T. C. Sextilio Rufo Quæstori S. P. D. 321

Paphios Rufo commendat.

OMneis tibi commendo Cyprios, sed magis Paphios: quibus tu quæcunq; commodaris, erunt mihi gratissima. Eoq; facio libentius, ut eos tibi commendem, quòd & tuæ laudi, cuius ego fautor sum, conducere arbitror, cum primùm in eam insulam Quæstor ueneris, ea te instituere, quæ sequãtur alij: quæ, ut spero, facilius consequêre, si & Publij Lentuli necessarij tui legem, & ea, quæ à me constituta sunt, sequi uolueris. Quam rem tibi confido magnæ laudi fore. Vale.

M. T. C. Curio Proc. S. D. 322

Qvintũ Pompeiũ diligentissime fami-

QVintus Pompeius Sexti filius multis, & ueteribus causis necessitudinis mihi coniunctus est. Is cum antea

tea meis commendationibus & rem, & gratiam, & autoritatem suam tueri consueuerit, nunc profectò te prouinciam obtinente meis literis assequi debet, ut nemini se intelligat cõmendatiorem unquã fuisse. Quamobrem à te maiorem in modũ peto, ut cum omneis meos æquè, ac tuos obseruare pro tua necessitudine debeas, hunc in primis ita in tuam fidem recipias, ut ipse intelligat, nullam rem sibi maiori usui, aut ornamento, quàm meam commendationem esse potuisse. Vale.

liaritatis nomine cõmendat.

M. T. C. Aristo Proc. S. D. 323

M. Curium de meliore nota Aristo commendat.

SVmpsi hoc mihi pro tua in me obseruantia, quam penitus perspexi, quandiu Brundusij fuimus, ut ad te familiariter, & quasi pro meo iure scriberem, si qua res esset, de qua ualde laborarem. M. Curius, qui Patris negotiatur, ita mihi familiaris est, ut nihil possit esse coniunctius. Multa illius in me officia: multa in illum mea quoque: &, quod maximũ est, summus inter nos amor, & mutuus. Quæ cum ita sint, si ullam in amicitia mea spem habes: si ea, quæ in me officia, & studia Brundusij contulisti, iis mihi etiam gratiora efficere, quanquam sunt gratissima: si me à tuis omnibus amari uides, hoc mihi da, atq; largire, ut M. Curium sartum & tectum, ut aiunt, ab omni incommodo, detrimento, molestia syncerũ, integrumq; conserues. Et ipse spondeo, & omnes hoc tibi tui pro me recipiẽt, ex mea amicitia, & ex tuo in me officio maximum te fructũ, summamq; uoluptatem esse capturum. Vale.

M. T. C.

M. T. C. P. Cæsio S. P. D. 324

Publij Messenij causam agit.

PVblium Messenium equitem Romanum, omnibus rebus ornatum, meumq; perfamiliarem tibi commendo ea commendatione, quæ potest esse diligentissima. Peto à te & pro nostra, & pro paterna amicitia, ut eum in tuã fidem recipias, eiusq; rem, famamq; tueare. Virum bonum, tuaq; amicitia dignum tibi adiunxeris, mihiq; gratissimum feceris. Vale.

M. T. C. Regi S. P. D. 325

Pro A. Licinio, ad regem scribit.

AVlus Licinius Aristoteles Melitensis, antiquissimus est hospes meus, & præterea coniunctus magno usu familiaritatis. Hæc cum ita sint, non dubito, quin tibi satis commendatus sit. Etenim ex multis cognosco meam cõmendationem plurimum apud te ualere. Hunc ego à Cæsare liberaui. Frequens enim fuerat nobiscum: atque etiã diutius in causa est, quàm nos, cõmoratus: quò melius te de eo existimaturum arbitror. Fac igitur mi Rex ut intelligat has sibi literas plurimum profuisse. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Commendat Genucilium, hominem quauis commendatione dignissimum.

M. T. C. Q. Thermo Pronc. S. P. D. 326

Commendatio.

VCio Genucilio Curuo iampridem familiarissimè utor, optimo uiro, & homine gratissimo. Eum tibi peNarratio nitus cõmendo, atq; trado. Primùm, ut omnibus in rebus ei te cõmodes, quoad fides tua, dignitasq; patietur: patietur aũt in omnibus: nihil enim abs te unquã, quod sit alienum tuis, aut etiã suis moribus, postulabit. Præcipuè aũt tibi cõmendo negotia eius, quæ sunt in Hellesponto: primùm,

primùm, ut obtineat id iuris in agris, quod ei Patriana ciuitas decreuit, & dedit, & quod semper obtinuit sine ulla controuersia. deinde, si quid habebit cũ aliquo Hellespõtino cõtrouersiæ ut in illã διοίκησιν reijcias. Sed non mihi uideor, cum tibi totum hominem diligentissimè commẽdarim, singulas ad te eius causas perscribere debere. Summa illa sit, quicquid officij, beneficij, honoris in Genucilium conferes, id te existimabo in meipsum, atq; in rem meam contulisse. Vale. Id est, iurisdictionem. Præcisio. Agit gratias.

ARG. EPIST. SEQ.

Primum ostendit sibi gratũ esse, quod fecerat Thermus pro M. Marcilio: deinde rogat, ut det operam, ne socrus Marcelli rea fiat.

M. T. C. Q. Thermo Propr. S. D. 327

Propositio.

CVm mihi multa grata sunt, quæ tu adductus mea cõmendatione feceris: tum in primis, quòd M. Marcilium amici, atq; interpretis mei filium liberalissimè tractaueris. Venit enim Laodiceam, et tibi apud me, mihiq; propter te gratias maximas egit. Quare, quod reliquũ est, à te peto, quandò apud gratos homines beneficium ponis, ut eò libentius his commodes: operãq; des, quoad fides tua patietur, ut socrus adolescentis rea ne fiat. Ego cum antea studiosè commendabã Marcilium, tum multò nunc studiosius, quòd in longa apparitione, singulare, & propè incredibilem patris Marcilij fidem, abstinentiam, modestiamq; cognoui. Vale. Gratias ago quod liberaliter tractasti M. Marcilij. Adiecta petitio, & noua commendatio, iterũ eundem tibi commendo.

ARG. EPIST. SEQ.

Diligentissimè commendat Thermo M. Anneij legati sui negotia, de quo dicit locutum esse Thermo, cum esset Ephesi.

M. T. C. Q. Thermo Propr. S. D. 328

ETsi mihi uideor intellexisse, cum tecum Ephesi de re

Exordium a causa scribendi, scilicet ab officio quia inimicitia est mihi cum Anneio.

σημεῖον

Marci Anneij legati mei locutus sum, te ipsius causa uehementer omnia uelle: tamen & M. Anneium tanti facio, ut mihi nihil putem prætermittendum, quod illius intersit: & me à te tanti fieri puto, ut nõ dubitem, quin ad tuam uoluntatem magnus cumulus accedat commendationis meæ. Nam cum iam diu diligerem M. Anneium, deq; eo sic existimarem, ut res declarat quòd ultro ei detulerim legationem, cùm multis iam petentibus denegassem: tum uerò posteà quàm mecum in bello atq; in re militari fuit, tantam in eo uirtutem, prudentiam, fidem, tantamq; erga me beneuolentiam cognoui, ut hominem neminem pluris faciam. Eum cum Sardinis habere controuersiam scis: causam tibi exposuimus Ephesi: quam tu tamen coram facilius, meliusq; cognosces. De reliquo mihi mehercule diu dubium fuit, quid ad te potissimum scriberem. Ius enim, quemadmodum dicis, clarum, & magna cum tua laude notum est. Nobis autem in hac causa nihil aliud opus est, nisi te ius instituto tuo dicere. Sed tamen cùm me non fugiat, quanta sit in Prætore autoritas, præsertim ista integritate, grauitate, clementia, qua te esse inter omneis constat: peto abs te pro nostra coniunctissima necessitudine, plurimisq; officijs paribus, ac mutuis, ut uoluntate, autoritate, studio tuo perficias, ut M. Anneius intelligat te, & sibi amicum esse, quod non dubitat. Sæpe enim mecum locutus est: & multò amiciorem his meis literis esse factum. In tuo toto imperio, atque prouincia nihil est, quod mihi gratius facere possis. Iam, apud ipsum gratissimum

Ætiologia, quod sit ei amicus cũ laude Anneij.

Narratio cũ apodioxi.

Petitio a priuata amicitia.

Nihil gratius mihi illo.

tissimum hominem, atque optimum uirum, quàm bene positurus sis studium tuum, atq; officium, dubitare te non existimo. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Negocium Cluuij Puteolani commendat Thermo, ut dicat ipsum Cluuium de eo dispensare, nisi id confecerit Thermo prouinciam obtinente. Exponit autem, quid sit in eo negocio, & quid agendum putet.

M. T. C. Q. Thermo Propr. S. D. 329

Exordium ab officio.

CAius Cluuius Puteolanus ualde me obseruat, ualdeq; est mihi familiaris. Is ita sibi persuadet: quod in tua prouincia negocij habet, nisi te prouinciam obtinente meis commendationibus confecerit, id se in perditis, & desperatis habiturum. Nunc quando mihi ab amico officiosissimo tantum oneris imponitur, ego quoque tibi imponam pro tuis in me summis officijs: ita tamen, ut tibi nolim molestus esse. Milasij, & Alabandenses pecuniam Cluuio debent. Dixerat mihi Euthydemus, cùm Ephesi essem, se curaturum, ut Ecdici Mylasij Romam mitterentur. Id factum non est. Legatos audio missos esse: sed malo Ecdicos, ut aliquid confici possit. Quare peto à te, ut eos, & Alabandenses iubeas Ecdicos Romam mittere. Præterea Philotes Alabardensis συνδικὰς Cluuio dedit: hæ commissæ sunt. Cures uelim, ut aut de hypothecis decedat, easq; procuratoribus Cluuij tradat: aut pecuniam soluat. Præterea Heracleotæ, & Bargyletæ, qui itẽ debẽt, aut pecuniam soluant, aut fructibus suis satisfaciãt. Caunij præterea debent, sed aiũt se depositam pecuniam habuisse. Id uelim

Propositio

Narratio.

Vindices. Petitiones multæ.

Id est, pignora. Negociorum gestorũ, L. debitor, si periculũ erat ne prædia in publicum committerentur.

cognoscas: & si intellexeris eos neq; ex edicto, neq; ex decreto depositam habuisse, des operam, ut usuræ Cluuio, instituto tuo conseruentur. His de rebus eò magis laboro, quòd agitur res Cn. Pompeij etiam nostri necessarij: & quòd is magis etiam mihi laborare uidetur, quàm ipse Cluuius: cui satisfactum esse à nobis ualde uolo. His de rebus uehementer te etiam atque etiam rogo. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Primum rogat Cicero Thermum, ut ad se remittat M. Anneiũ legatum, priusquam proficiscatur in Ciliciam, deinde commendat eius negocium.

M. T. C. Q. Thermo Prop. S. D. 330

Petitoria est epistola, & cõmẽdatoria M. Annei legati.

QVòd magis quotidie ex literis, nuncijsq; bellum magnum esse in Syria cognosco, eò uehementius à te pro nostra necessitudine contendo, ut mihi M. Anneiũ legatum primo quoq; tempore remittas. Nam eius opera, consilio, scientia rei militaris uel maximè intelligo me, & Rempub. adiuuari posse. Quòd nisi tanta res esset, ut eius ageretur: nec ipse adduci potuisset, ut à me discederet: neq; ego, ut eum à me dimitterem. Ego in Ciliciam proficisci cogito circiter Calẽdas Maij. Ante eam diem Anneius ad me redeat oportet. Illud, quod tecum & coràm, & per literas diligentissimè egi, id & nunc etiam, atq; etiam rogo, curæ sit tibi, ut suum negociũ, quod habet cum populo Sardiano, pro causæ ueritate, & pro sua dignitate conficiat. Intellexi ex tua oratione, cũ tecum Ephesi locutus sum, te ipsius M. Anneij causa omnia uelle. Sed tamen sic uelim existimes, te mihi nihil gratius

Hoc est Parthicum

Finitis iurisdictionib⁹ Asiaticis prope finem anni. iuerat enim in prouinciam pridie Calen. Sext.

gratius facere posse, quàm si intellexero per te illum, ipsum negocium ex sententia cõfecisse. Itaq; † quàm primùm ut efficias, te etiam atq; etiam rogo. Vale. † Idq;

Lucij Custodij causam Rufo commendat.

M. T. C. Titio L. F. Rufo Pr. Vrbano S. 331

LVcius Custidius est tribûlis, & municeps, & familiaris meus. Is causam habet, quam causam ad te defert. Commendo tibi hominem, sicuti tua fides, & meus pudor postulat: tantùm, ut facileis aditus ad te habeat: quæ postulabit æqua, ut iubente te impetret: sentiatq; meã sibi amicitiam, etiam cùm longissimè absim, prodesse in primis apud te. Vale. Al. Iubente te in Cilicia.

M. Fabij curam suscipit hac epistola.

M. T. C. C. Curtio Peduceano Prætori S. D. 332

MArcum Fabium unicè diligo, summáq; mihi cum eo consuetudo, & familiaritas est peruetus. In eius cõtrouersijs quid decernas, à te non peto (seruabis, ut tua fides & dignitas postulat, edictum, & institutum tuũ) sed ut quàm facilimos ad te aditus habeat: quæ erunt æqua, ut iubente te impetret: ut meam amicitiam sibi, etiam cum procul absim, prodesse sentiat, præsertim apud te. Hoc te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale. Epist. 25. lib.

ARG. EPIST. SEQ.

Lucij Reguli familiarissimi sui libertum Tryphonem commendat Cicero diligentissime propter eius in se beneficia.

M. T. C. C. Munatio C. F. S. D.

LVcius Liuineius Trypho est omnino L. Reguli familiarissimũ

L. Liuineum & illius & patroni causa officio se cõmendat.

miliarißimi mei libertus. cuius calamitas etiam officiosiorem me facit in illum: nam beneuolentior, quàm semper fui, esse non possum. Sed ego libertum eius per seipsum diligo. Summa enim eius erga me officia extiterunt his nostris temporibus, quibus facilimè bonã benè uolentiam hominum, & fidem perspicere potui. Eũ tibi ita commendo, ut homines grati, & memores beneméritos de se commendare debent. Pergratum mihi feceris, si ille intellexerit, se quòd pro salute mea multa pericula adierit, sæpe hyeme summa nauigârit, pro tua erga me beneuolentia gratum etiam tibi fecisse.

ARG. EPIST. SEQ.

Commendat Titum Pinnium ciuem Romanum: cui Niceenses grandem debebant pecuniam, rogans prætorem, ut eam curet persoluendam.

M. T. C. P. Silio Propr. S. D. 334

Petita prætore, ut Niceenses Pinnij filio pecuniam quam debent soluant: & ut hoc procuret rogat.

TIto Pinnio familiarißimè me usum esse, scire te arbitror: quod quidẽ ille testamento declarauit, qui me tum tutorem, tum etiam secundum hæredem instituerit. Eius filio mirè studioso, & erudito, & modesto pecuniam Niceenses grandem debent ad HS. octogies: et, ut audio, in primis uolunt ei soluere. Pergratum igitur mihi feceris, quandò non modo reliqui tutores, qui sciunt, quanti me facias, sed etiã puer ipse sibi persuasit, te omnia mea causa facturũ esse: si dederis operã, quoad tua fides, dignitasq; patietur, ut quàm primùm pecunia Pinnio soluatur Niceensium nomine. Vale.

Al, C. Pinnio Al, quamplurimũ pecuniæ

ARG. EPIST. SEQ.

Agit gratias Silio, quod Attolij commendationem acceperit: & deinde Qu. fratrem commendat.

M. T. C.

M. T. C. P. Silio Propr. S. D. 335

Primum gratias agit cum narratione beneficiorũ a coniunctione: deinde amorem suum pollicetur.

ET in Attilij negotio te amaui: cum enim serò uenissem, tamen honestum equitem Romanum beneficio tuo conseruaui: & mehercule semper sic in animo habui, te in meo ære esse propter Lamiæ nostri coniunctionem, & singularem necessitudinem. Itaq; primũ tibi ago gratias, quòd me omni molestia liberas: deinde impudentia prosequor: sed idem sarciam. Te enim semper sic colam, & tuebor, ut quem diligentißimè. Quintum fratrem meum, si me diligis, eo numero cura ut habeas, quo me. Ita magnum beneficium tuum magno cumulo auxeris. Vale.

Propositio: ago grattas. Promissio officij.

ARG. EPIST. SEQ.

Caij Lenij negotium & suo & Qu. Fratris nomine Silio cõmendat.

M. T. C. P. Silio Propr. S. D. 336

Commendatio generis suasorij Sic affectãter Lenium commendat, ut in eius commendatione dicat sibi uerba deesse.

NOn putaui fieri posse, ut mihi uerba deessent: sed tamen in C. Lenio commendando desunt. Itaque rem tibi exponam paucis uerbis: sed tamen ut plenè perspicere possis uoluntatem meam. Incredibile est, quanti faciamus & ego, & frater meus, qui mihi charißimus est, C. Lenium: id fit cùm plurimis eius officijs, tum summa eius probitate, & singulari modestia. Ego enim à me inuitißimus dimisi, tùm propter familiaritatem, & consuetudinis suauitatem: tum quòd consilio eius fideli, ac etiam bono libenter utebar. Sed uereor, ne iam mihi superesse uerba putes, quæ dixerã desutura. Cõmendo tibi hominẽ, sicut intelligis me, de quo ea suprà scripserim, debere commendare. À teq; uehementer etiam

Petitio.

atq; etiam peto, ut, quod habet in tua prouincia negotij, expedias: quod tibi uidebitur rectum esse, ipsi dicas. Hominem facilimum, liberalißimumq; cognoscs. Itaq; te rogo, ut eum solutum, liberum, confectis eius negotijs per te quàm primum ad me remittas. Id mihi, fratriq; meo gratißimum feceris. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Commendat, & laudat plurimum gratitudinẽ Neronis cuiusdam, non quidem illius tyranni, qui longe post Ciceronem fuit, sed alterius, faciens per hoc eundem commendatiorem.

M. T. C. P. Silio Propr. S. D. 337

Exordiũ ab officio seu gratitudine.

NEro meus mirificas apud me tibi gratias egit, prorsus incredibiles, ut nullum honorem sibi haberi potuisse diceret, qui à te prætermissus esset. Magnum fructum ex ipso capies: nihil est enim illo adolescente gratius. Sed mehercule mihi quoq; gratißimum feci. Pluris enim ex omni nobilitate neminem facio. Itaq; si ea feceris, quæ ille per me tecum agi uoluit, gratißimũ mihi feceris. Primùm de Pausania Alabandensi, sustentes rem, dum Nero ueniat. uehementer enim eius causa cupere eum intellexi. Itaq; hoc ualde te rogo. Deinde Nisæos, quos Nero in primis habet necessarios, diligentißimeq; tuetur, ac defendit, habeas tibi cõmendatißimos: ut intelligat illa ciuitas, sibi in Neronis patrocinio summum esse præsidium. Strabonem Seruilium tibi sæpe cõmendaui: nunc eò facio id impensius, quòd eius causam Nero suscepit. Tantum à te petimus, ut agas eam rem, nec relinquas hominem innocentem ad alicuius tui dißimilis quæstum. Id tum gratum mihi erit: tum etiam exi-

Propositio seu petitio. Narratio.

stimabo te humanitate tua esse usum. Summa huius epistolæ hæc est, ut ornes omnibus rebus Neronẽ, sicut instituisti, atq; fecisti. Magnum theatrum habet ista prouincia, non ut hæc nostra, adolescentis nobilis, ingenioßi, abstinentis, commendationem, atq; gloriam. Quare si te fautore usus erit, sicut & profectò utetur, & usus est, amplißimè clientelas acceptas à maioribus confirmare poterit, & beneficijs suis obligare. Hoc in genere si eum adiuueris eo studio, quo ostendisti: apud ipsum præclarißimè posueris: sed mihi etiam gratißimum feceris. Vale.

Amplificatio a dignitate Neronis.

Clausula ab utili.

ARG. EPIST. SEQ.

Pub. Terentium magistrum rationum societatis suæ, Silio diligenter commendat.

M. T. C. P. Silio Propr. S. D. 338

CVm P. Terentio Hispone, qui operas in scriptura pro magistro dat, mihi summa familiaritas, consuetudoq; est: multaq; & magna inter nos officia paria, & mutua intercedunt. Eius summa existimatio agitur in eo, ut pactiones cum ciuitatibus reliquis conficiat. Non me præterit, nos eam rem Ephesi expertos esse, neq; ab Ephesijs ullo modo impetrare potuisse. Sed quando, quemadmodum omnes existimant, & ego intelligo, tua cùm summa integritate, tum singulari humanitate, & mansuetudine consecutus es, ut libentißimis Græcis nutu, quod uelis, consequare: peto à te maiorem in modũ, ut honoris mei causa hac laude Hisponem affici uelis. Prætereà cum socijs scripturæ mihi summa necessitudo est, non solum ob eam causam, quòd ea societas uniuersa in

Cõmendatio generis suasorij.

Petitio ac propositio.

A Ciceronis persona mihi sunt amici.

ſa in mea fide eſt, ſed etiam, quòd pleriſq; ſocijs familiarißimè utor. Ita & Hiſponem meum per me ornaris, et ſocietatem mihi coniunctiorem feceris: tuq; ipſe & ex eius obſeruantia gratißimi hominis, & ex ſociorũ gratia hominum ampliſſimorũ, maximum fructum capies, & me ſummo beneficio afficeris. Sic enim uelim exiſtimes, ex tota tua prouincia, omniq; iſto imperio nihil eſſe, quod mihi gratius facere poſſis. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Commendat A. Cæcinnam, qui prius in Aſia negotiatus fuerat, cui præerat Seruilius: reliquerat autem in ea negotiatione multa, quæ conſequi non poterat: & poſtea, quia contra Cæſarem ſcripſerat, ut libro ſexto uiſum eſt, exilio damnatus fuerat.

M. T. C. P. Seruilio S. D. 339

Exordium. Occupatio, cur commendas mihi cliẽtem.

Petitio.

ALium Cæcinnam maximè proprium clientem familiæ ueſtræ non commendarem tibi, cum ſcirem quanta in tuos, qua clementia in calamitoſos ſoleres eſſe: niſi me & patris eius, quo ſum familiariſſimè uſus, memoria, & huius fortuna ita moueret, ut hominis, omnibus mecum ſtudijs, officijſq; coniunctiſſimi mouere debebat. À te hoc omni contentione peto, ſic, ut maiora, maiore animi labore petere nõ poſſim: ut ad ea, quæ tua ſponte ſine cuiuſquam cõmendatione faceres in hominem tantum, & talem, calamitoſum, aliquem afferant cumulum meæ literæ, quò ſtudioſius eum, quibuſcunq; rebus poſſis, iuues. Quòd ſi Romæ fuiſſes, etiã ſalutem Auli Cæcinnæ eſſemus (ut opinio mea fert) per te conſecuti. De qua tamen magnam ſpem habemus, fretis clementia collegæ tui. Nunc quando iuſtitiam tuam ſecutus, tutiſſimum ſibi portum prouinciam iſtam duxit eſſe: etiam atq; etiam rogo te, atq; oro, ut eum & in reliquijs ueteris negotiationis colligendis iuues, & cæteris rebus tegas, atq; tueare. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

Repetitio petitionis.

Andronem familiarem ſuum commendat ſtudioſe Seruilio.

M. T. C. P. Seruilio S. D. 340

Narratio. Id eſt, tres iuriſdictiones, dioeceſes.

EX prouincia mea Cilicienſi, cui ſcis τρεῖς διοικήσεις Aſiaticas attributas fuiſſe, nullo ſum familiarius uſus, quàm Androne Arthemonis filio Laodicenſi: eũq; habui in ea ciuitate tum hoſpitem, tum uehementer ad meæ uitæ rationem, & conſuetudinem accommodatũ. Quem quidẽ multò etiam pluris poſteà quàm diſceſſi, facere cœpi, quòd multis rebus expertus ſum gratũ hominem, meiq; memorem. Itaq; eum Romæ libentißimè uidi. Non te enim fugit, qui plurimis in iſta prouincia benignè feciſti, quàm multi grati reperiantur. Hæc propterea ſcripſi, ut me non ſine cauſa laborare intelligeres, & ut tu ipſe eum dignum hoſpitio tuo iudicares. Feceris igitur mihi gratißimum, ſi ei declararis, quãti me facias: id eſt, ſi receperis eum in fidem tuam, & quibuſcũq; rebus honeſtè, ac ſine moleſtia tua poteris, adiuueris. Hoc mihi uehementer erit gratum. Idq; ut facias, te etiam atq; etiam rogo. Vale.

Plinius lib. 5 cap. 28. & 29. meminit

Petitio.

ARG. EPIST. SEQ.

Cum proficiſceretur Seruilius in Aſiã Prætor, ſcripſerat ad Ciceronẽ omnẽ nauigationem ſuam, Cicero eius literas ſibi gratas fuiſſe reſpondet. Non eſt cõmendatoria epiſtola, ſed reſponſoria, ad literas Seruilij. Petit autẽ, ut certior fiat ab eo de rebus prouinciæ. Deinde cauſam dicit, cur minus ſæpe de republica ſcripturus ſit. Poſtremo officium ſuum illi pollicetur.

M. T. C.

M. T. C. P. Seruilio Isaurico Proc. collegæ S. D. 341

εὐχαριστικὴ

Propositio. Ago gratias.

GRatæ mihi uehementer tuæ literæ fuerunt: ex quibus cognoui cursus nauigationum tuarum. Significabas enim memoriam tuam nostræ necessitudinis: quæ mihi nihil poterat esse iucundius. Quod reliquum est, multò etiam erit gratius, si ad me de Republica, id est, de statu prouinciæ, de institutis tuis familiariter scribes.

Petitio, ut idē officiū præstet

Quæ quanquam ex multis pro tua claritate audiam, tamen libentissimè ex tuis literis cognoscam. Ego ad te, de Reipublicæ summa quid sentiam, non sæpe scribā propter periculum eiusmodi literarum. Quid agatur autem, scribam sæpius. Sperare tamen uideor, Cæsari collegæ nostro fore curæ, & esse, ut habeamus aliquā rempublicam, cuius consilijs magni referebat te interesse. Sed tibi utilius est, id est, gloriosius, Asiæ præesse, & istam partē Reipublicæ male affectam tueri: mihi quoque idem, quod tibi, & laudi tuæ profuturum est, optatius debet esse. Ego, quæ ad tuam dignitatem pertinere arbitrabor, summo studio, diligentiaq; curabo: in primisq; tuebor omni obseruantia clarissimum uirum patrem tuum: quod & pro uetustate necessitudinis, & pro beneficijs uestris, & pro dignitate ipsius facere debeo. Vale.

Defert similia facta.

ARG. EPIST. SEQ.

Curtium Mithrem libertum Posthumij familiarissimi sui Ciceroni commendat Seruilio, ut in quadam controuersia, quam habebat cum Colophonio de fundo quodam, eum adiuuet.

M. T. C.

M. T. C. P. Seruilio collegæ S. D. 342

Narratio.

CAius Curtius Mithres est ille quidem, ut scis, libertus Posthumij familiarissimi mei: sed me colit, & obseruat æquè, atq; illum ipsum patronum suum. Apud eum ego sic Ephesi fui, quotiescunq; fui, tanquā domi meæ. Multaq; acciderunt, in quibus & beneuolentiā eius erga me experirer, & fidē. Itaq; si quid aut mihi, aut meorum cuipiam in Asia opus est, ad hunc scribere consueui: huius cum opera & fide, tum domo & re uti, tanquam mea. Hæc ad te eò pluribus scripsi, ut intelligeres, me non uulgariter, nec ambitiosè, sed ut pro homine intimo, ac mihi per necessario scribere. Peto igitur à te, ut in ea controuersia, quam habet de fundo cum quodam Colophonio, & in cæteris rebus, quantū fides tua patietur, quantumq; tuo commodo poteris, tantum ei honoris mei causa commodes: etsi, ut eius modestiam cognoui, grauis tibi nulla in re erit. Si & mea cōmendatione, & sua probitate assecutus erit, uti de se benè existimes: omnia se adeptum arbitrabitur. Vt igitur eū recipias in fidem, habeasq; in numero tuorum, te uehementer etiam atq; etiam rogo. Ego quæ te uelle, quæq; ad te pertinere arbitrabor, omnia studiosè, diligenterq; curabo. Vale.

Petitio.

ARG. EPIST. SEQ.

Excusans uenuste multitudinem commendatorum a se, cōmendat adhuc T. Appij libertum.

M. T. C. Serui. Sulpitio collegæ S. D. 343

Exordium ab causa, seu occupatio commendationis.

QVia non est obscura tua in me beneuolentia, sic fit, ut multi per me tibi uelint commendari. Ego autem

tribuo

Narratio

tribuo nonnunquam in uulgus: sed plerunq; necessarijs, ut in hoc tẽpore. Nam cum Tito Appio Balbo mihi sum ma familiaritas, necessitudo q; est. Eius libertum Titum Appium Menandrum, hominem frugi, & modestũ, & patrono, & nobis uehementer probatum, tibi commendo maiorem in modum. Vehementer mihi gratum feceris, si quibuscunq; rebus, sine tua molestia poteris, ei cõ

Petitio

modaris. Quod ut facias, te uehementer etiam atq; etiã rogo. Vale.

T. Augusium comitem exilij ualde commendat.

M. T. C. P. Seruilio collegæ S. D. 344

Exordiũ ab occasione cõmendationũ. Narratio

MVltos tibi cõmendem necesse est, quando omnibus nota nostra necessitudo est, tuaq; in me beneuolentia. Sed tametsi omnium causa, quos cõmendo, uelle debeo: tamen cum omnibus non eadem mihi causa est. Titus Augusius & comes meus fuit illo miserrimo tẽpore, & omnium itinerum, nauigationum, laborum, periculorum meorum socius. Neq; hoc tempore discessisset à me, nisi ego ei permisissem. Quare sic eum tibi cõmendo, ut unũ de meis domesticis, & maximè necessarijs.

Petitio

Pergratũ mihi feceris, si eum ita tractaris, ut intelligat hanc commendationem sibi magno usui, atq; adiumento fuisse. Vale.

Cereliæ necessariæ negotia Seruilio rursus commendat. 245

M. T. C. P. Seruilio collegæ S. D.

Narratio

CEreliæ necessariæ meæ rem, nomina, possessiones Asiaticas cõmẽdaui tibi præsens in hortis tuis, quàm pot n

potui diligentissimè: tuq; mihi pro tua consuetudine, pro tuis in me perpetuis, maximisq; officijs omnia te facturũ liberalissimè recepisti. Meminisse te id spero: scio enim solere. Sed tamen Cereliæ procuratores scripserunt, te propter magnitudinẽ prouinciæ, multitudinẽq; negotiorum etiam atq; etiam esse commonefaciendum. Peto igitur, ut memineris te omnia, quæ tua fides pate- Petitio.
retur, mihi cumulatè recepisse. Equidem existimo te habere magnam facultatem (sed hoc est tui consilij, & iudicij) ex eo senatusconsulto, quod in hæredes C. Venonij factum est, Cereliæ commodandi. id senatusconsultum tu interpretabere pro tua sapientia. Scio enim eius ordinis autoritatem semper apud te magni fuisse. Quod reliquum est, sic uelim existimes, quibuscunq; rebus Cereliæ benignè feceris, mihi te gratissimum esse facturum. Vale.

Gratulatoria est epistola, & commendatoria, & petitoria.

M. T. C. Q. Philippo Proconſ. S. D. 346

Deprecatoria: exordiũ a gratulatiõe. Narratio.

GRatulor tibi, quòd ex prouincia saluum te, ad tuos recepisti incolumi fama, & republica. Quòd si Romæ te uidissem, coràm gratias egissem, quòd tibi L. Egnatius familiarissimus meus absens, L. Oppius præsens curæ fuisset. Cum Antipatro Derbete mihi non solùm hospitiũ, uerumetiam summa familiaritas intercedit. Ei te uehemẽter succensuisse audiui, & molestè tuli. De re nihil possum iudicare, nisi illud mihi certè persuadeo, te talem uirũ nihil temerè fecisse. À te autẽ pro ue- Deprecatio.
tere nostra necessitudine etiam atq; etiã peto, ut eius filios,

filios, qui in tua potestate sunt, mihi potissimum condones: nisi quid existimas in ea re uiolari existimationem tuam. Quod ego si arbitrarer, nunquàm te rogarē: mihiq; tua fama multò antiquior esset, quàm illa necessitudo est. Sed mihi ita persuadeo (potest fieri, ut fallar) eā rem laudi tibi potius, quàm uituperationi fore. Quid fieri possit, & quid mea causa facere possis (nam quin uelis, non dubito) uelim, si tibi graue non erit, certiorē me facias. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Commendatio eorundem, quos præcedente epistola commendat.

M. T. C. Q. Philippo Proconsuli S. D. 347

Narratio. Eidē Philippo commendat rursus eūdem.

ETsi non dubito pro tua in me obseruantia, proq; nostra necessitudine, quin commendationem meā memoria teneas: tamen etiam atq; etiam eundē tibi L. Oppium familiarem meum præsentem, & L. Egnatij familiarissimi mei absentis negotia commendo. Tanta mihi cū eo necessitudo est, familiaritasq; ut, si mea res esset, non magis laborarem. Quapropter gratissimum mihi feceris, si curaris, ut is intelligat me à te tantum amari, quantū ipse existimo. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Idq; ut facias, te uehementer rogo. Vale.

Petitio.

C. Auianum Flaccum iterum commendat.

M. T. C. T. Titio Titi F. Legato S. D. 348

Exordiū ex causa repetitæ commendationis.

ETsi non dubito, quin apud te mea commendatio prima satis ualeat: tamen obsequor homini familiarissimo

mo C. Auiano Flacco: cuius causa omnia tum cupio, tum mehercule etiam debeo. De quo & præsens tecum egi diligenter, cū tu mihi humanissimè respondisti: & scripsi ad te accuratè anteà: sed putat interesse sua, me ad te quàm sæpissimè scribere. Quare uelim mihi ignoscas, si illius uoluntati obtemperans, minus uidebor meminisse constantiæ tuæ. À te idem illud peto, ut de loco, quo deportet frumentum, & de tempore, Auiano commodes. quorum utrunq; per eundem me obtinuit triennium, dum Pompeius isti negotio præfuit. Summa est, in quo mihi gratissimum facere possis, si curaris, ut Auianus, quando se à me amari putat, me à te amari sciat. Erit id mihi pergratum. Vale.

Hæc epistola imitatione digna est ad excusandam importunitatē eiusdem commendationis quam se facere Cicero fatetur.

Petitio

ARG. EPIST. SEQ.

Quatuoruiris, & decurionibus, qui magistratus a numero dicti sunt, cōmendat Valgiū Hippianū, ut in agro empto illi auxilientur.

M. T. C. Quatuoruiris, & Decurionibus S. D. 349

Exordium a suo officio, unde causam scribendi colligit.

TAntæ mihi cum Q. Hippio causæ necessitudinis sunt, ut nihil possit esse coniunctius, quàm nos inter nos sumus. Quod nisi ita esset, uterer mea cōsuetudine, ut uobis nulla in re molestus essem. Etenim uos mihi optimi testes estis, quanquàm mihi persuasum esset, nihil esse, quod à uobis impetrare non possem, nunquàm me tamen grauem uobis esse uoluisse. Vehementer igitur uos etiam atq; etiam rogo, ut honoris mei causa liberalissimè C. Valgium Hippianum tractetis, remq; cum eo conficiatis, ut quam possessionem habet in agro Fregellano, à uobis emptam, eam liberam, & immunem habere

Petitio

bere posſit. Id si à uobis impetraro, summo me beneficio uestro affectum arbitrabor. Valete.

ARG. EPIST. SEQ.

Scribit, ne deesset honori ipsius Sulpitij, libenter affuisse in Senatu, & ei supplicationem decreuisse. Deinde commendat ei M. Bollanum uterem amicum suum.

M. T. C. P. Sulpitio Imp. S. D. 350

Tres epistolæ partes, quas diuersæ epistolæ Narratio

CVm his temporibus nõ sanè in Senatum uentitarem, tamen ut tuas literas legi, non existimaui me saluo iure nostræ ueteris amicitiæ, multorumq; inter nos officiorum facere posse, ut honori tuo deessem. Itaq; affui, supplicationemq; tibi libenter decreui: nec reliquo tempore ullo aut rei, aut existimationi, aut dignitati tuæ deero. Atq; ut hoc tui necessarij sciant, hoc me animo erga te esse, uelim facias eos per literas certiores, ut si quid tibi opus sit, ne dubitent mihi iure suo denuntiare. M. Bollanum uirum bonum, & fortem & omnibus rebus ornatũ, meumq; uterem amicum, tibi magnopere commendo. Per gratum mihi feceris, si curaris, ut is intelligat hanc commendationem sibi magno adiumento fuisse. Ipsumq; uirũ optimum, gratissimumq; cognosces. Promitto tibi, te ex eius amicitia magnã uoluptatẽ esse capturum. Propterea à te peto maiorem in modũ pro nostra amicitia, & pro tuo perpetuo in me studio, ut in hac re etiã elabores. Dionysius seruus meus, qui meam bibliothecam multorum nummorum tractauit, cũ multos libros surripuisset, nec se impune laturũ putaret, aufugit. Is est in prouincia tua. Eum & M. Bollanus familiaris meus, & multi alij Narrone uiderunt. Sed cum se à me

Cõmendatio

Alia narratio

à me manumissum esse diceret, crediderunt. Hunc tu si mihi restituendum curaris, non possum dicere, q̃ mihi gratum futurum sit. Res ipsa parua, sed animi mei dolor magnus est. Vbi sit, & quid fieri posſit, Bollanus te docebit. Ego si hominem per te recuperaro, summo me à te beneficio affectum arbitrabor. Vale.

Petitio

ARG. EPIST. SEQ.

Allienum proconsulem Græciæ rogat, ut recipiat in amicitiam Democritum Sicyonium: deinde ut si dignus uideatur, rogat eum conseruet, & diligat.

M. T. C. Allieno Proc. S. P. D. 351

DEmocritus Sicyonius non solum hospes meus est, sed etiam, quod non multis contigit, Græcis præsertim, ualde familiaris. Est enim in eo summa probitas, summa uirtus, summa in hospites liberalitas, & obseruantia: meq; præ cæteris & colit, & obseruat, & diligit. Eum tu non modò suorum ciuium, uerumetiam penè Achaiæ principem cognosces. Huic ego tantũmodo aditum ad tuam cognitionem patefacio, & innuo. Cognitum, per te ipsum, quæ tua natura est, dignum tua amicitia, atq; hospitio iudicabis. Peto igitur à te, ut his literis lectis recipias eum in tuam fidem: polliceare omnia te facturum mea causa. De reliquo, si, id quod confido, fore dignum eum tua amicitia, hospitioq; cognoueris: peto, ut eum complectare, diligas, in tuis habeas. Erit id mihi maiorem in modum gratum. Vale.

Cõmendatio Narratio

Petitio

ARG. EPIST. SEQ.

Auianum Flaccum, quem supra Titio cõmendauit Cicero, cõmendat nunc Allieno Procon. Græciæ, cõmendans etiam eiusdem liberos, & fratrem Marcum Auianum: unde hic liber fere cõmendatiuus

dativus est, sed tanta varietate, ut torrentem Ciceroniane facundie nemo satis miretur.

M. T. C. Allieno Proconsuli S. D. 352

Narratio ET te scire arbitror, quanti fecerim C. Auianum Flaccum: & ego ex ipso audieram optimo, & gratissimo homine, quàm à te liberaliter esset tractatus. Eius filios dignissimos illo patre, meosq; necessarios, quos ego unice diligo, commendo tibi sic, ut maiore studio nullos commendare possim. C. Auianus in Sicilia est. Marcus est nobiscum. Vt illius dignitatem præsentis ornes, rem

Petitio utriusq; defendas, te rogo. Hoc mihi gratius in ista provincia facere nihil potes. Idq; ut facias, te uehementer etiam atq; etiam rogo. Vale.

ANNOTATIONES AC Castigationes in 13. librum Epist. Famil. Ciceronis.

In Epist. 1.

S.Cor. OMnia communia sunt) Al. omnia sunt.
Ab eo dissentio) ut Academicus ab Epicureo.
Suorum defensorum) Al. fociorum defensorem.
Philonem) Academicum, Epist. 8. lib. 9.
Cognouimus) Al. cognorimus. Alij legunt, cognouissemus.
Illa delectant) Epicurea.
Non quo sit ex istis) Iocans tamen sæpe Cicero illum Epicureum appellat.

In Epist. 2.

Remigrare) Alias emigrare. demigrare fortasse esset magis proprium.

In Epist. 5.

Impedio Al. impedij. Al. impediri uelim.

In Epist. 6.

Idem postea) Al. item postea.

Reddidit

Reddidit) Al. dedit.
Non dubito) Exordium, captat beneuolentiam a uetustate & causis amicitiæ.
Accedebat non mediocre uinculum) Amplificatio a genere studiorum.
Caio Atteio) Narratio.

In Epist. 9.

Menenius) Al. Men. quas literas quidã ita separant M.E.N. & interpretantur, Meus est necessarius.

In Epist. 10.

Bruto) M. Bruto. Epist. 6. lib. 6.
Delectamur) Alij legunt, delectatur.
In utriusq; subsellijs) in maioribus & in minoribus causis.
R.P. petitioni sese) Alij legunt R.P. sese.

In Epist. 12.

Deminuam) Al. comminuam
Et hanc addam) Al. hanc accedam.

In Epist. 16.

Tum optime) Al. tum per me
Diodoro) Al. Diodoto, Epist. 4. lib. 9.

In Epist. 17.

Seruio Sulpitio) Epist. 6. lib. 6.
L. Curius) Epist. 29. lib. 7.
Patris) quæ urbs est in Peloponeso, Plin. lib. 4. cap. 4. & 5.

In Epist. 18.

Quasi rogatus) Al. quam si rogatus

In Epist. 19.

Studia summa) Al. summo studio, summaq;
C. Memmius) Epist. 1. huius lib. eundem enim existimans esse

In Epist. 29.

Cn. Planco) Al. L. Planco: ut sit idem, ad quem libro decimo epistolæ sunt scriptæ post Cæsaris mortem.
Ad hominem necessarium A. Plancũ) Alij legunt, A. Plantium
Hæres ex parte dimidia, & tertia est Capito) semisse, & triente: hoc est, dextante
In sextante sunt ij) reliqua assis parte
Quod intellexerim) Al. intellexi
Quo fuerim) Al. quod fui.

In Epist. 30.

L. Manlius est Susis) Alias, L. Mantius est Sosis
Doctrinaq; Al. doctrinæq;

In Epist. 43.

Qu. Gallo Epist. 27. lib. 7. Al. Qu. Gallio, Epist. 4. lib. 8.
Philomeli Epist. 8. lib. 3.

In Epist. 48.

Sextilio Rufo Al. C. Sextilio Rufo
Quum primus Al. quum primum: quod magis placet, ne Sextilius primus Quæst. in Cyp. ũ missus uideatur, quum tot Proconss. eam prouinciam prius administrassent.

In Epist. 52.

Regi Alij credunt Romanum quendam regem uocatum, alij Deiotarum Armeniæ minoris regem intelligi uolunt, quibus assentior.

In Epist. 56

C. Cluuius Al. C. Liuius, ubiq;
Mylasij, & Alabandenses Al. Mylasei, et Alabandeis modo græco: de quibus, & de Heracleotis, Bargyletis et Caunijs, Plinius lib. 5. cap. 28. & 29

In Epist. 58

Titio Al. C. Titio. Al. T. Titio
Iubente te Al. Iubente te

In Epist. 59

C. Curtio Al. C. Curio
M. Fabium Epist. 25. lib. 9
Iubente Al. Iubente

In Epist. 61

Quam primum pecunia Al. quam plurimum pecuniæ

In Epist. 73

Romæ te uidissem coram Al. Romæ fuissem, te uidissem, coramq;

In Epist. 77

P. Sulpitio P. Vatinio, ex his quæ hic, & in epist. 9. & 10. lib. 5. sunt scripta legendum esse cognoscitur.

M. T.

M. T. CICERONIS EPISTOLARVM FAMILIARIVM LIBER XIIII.

ARG. EPIST. SEQ.

Huius decimiquarti libri epistolæ uno fere sunt argumento ad Terentiã uxorẽ Ciceronis, ab ipso scriptæ & missæ, quo tẽpore erat in exilio. Sed in hac prima dolet, & ingemiscit, quod sua culpa Terentia in tãtas miserias cõiecta sit, & simul liberi sui. Ostẽdit deinde quibus spem reditus habeat, & demũ obsecrat, ne illã uendat.

M. T. C. Terentiæ, & Tulliæ, & Ciceroni suis S. . D. 353

IT literis multorũ, & sermone omnium perfertur ad me incredibilem tuã uirtutem, & fortitudinẽ esse: teq; nec animi, nec corporis laboribus defatigari. Me miserum, te ista uirtute, fide, probitate, humanitate in tantas ærũnas propter me incidisse? Tulliolamq; nostram, ex quo patre tantas uoluptates capiebat, ex eo tantos percipere luctus? Nam quid ego de Cicerone dicam? qui cũ primùm sapere cœpit, acerbissimos dolores, miseriasq; percepit. Quæ si, ut tu scribis, fato facta putarẽ, ferrẽ paulò facilius: sed omnia sunt mea culpa cõmissa, qui ab ijs me amari putabam, qui inuidebant: eos non sequebar, qui petebãt. Quòd si nostris consilijs usi essemus, neq; apud nos tantùm ualuisset sermo aut stultorũ amicorũ, aut improborũ: beatissimi uiueremus. nũc quãdo sperare nos amici iubẽt, dabo operã, ne mea ualetudo tuo labori desit. Res quãta sit, intelligo

Exordium: captat beneuolentiam a laude
Lamentatoria epistola, iuxta narratoria, & dissuasoria
Narratiuncula
Querela pathetica
Pathos
Pathos: auget ex causa indignitatem
mea culpa sunt cõtracta

quantoq; fuerit facilius manere domi, quàm redire. Sed tamen si omnes tribunos pleb. habemus, si Lentulum tam studiosum, quàm uidetur, si uerò etiã Pompeium, & Cæsarem, non est desperandum. De familia, quomodo placuisse amicis scribis, faciemus. De loco nunc quidem iam abijt pestilentia: sed quandiu fuit, me non attigit. Plancus homo officiosissimus me cupit esse secũ: & adhuc retinet. Ego uolebam loco magis deserto esse in Epiro, quo neq; Hyspo ueniret, nec milites: sed adhuc Plancus me retinet: sperat posse fieri, ut mecum in Italiam decedat. Quem ego diem si uidero, & si in uestrum complexum uenero, ac si & uos, & me ipsum recuperaro: satis magnum mihi fructum uidebor percepisse & uestræ pietatis, & meæ. Pisonis humanitas, uirtus, amor in omneis nos tantus est, ut nihil suprà possit esse. Vtinam ea res ei uoluptati sit: gloriæ quidem uideo fore. De Q. fratre nihil ego te accusaui: sed uos, cum præsertim tam pauci sitis, uolui esse quàm coniunctissimos. Quibus me uoluisti agere gratias, egi, & me à te certiorem factum esse scripsi. Quòd ad me mea Terentia scribis, te uicum uendituram: quid obsecro te (me miserum) quid futurum est? Etsi nos premet eadem fortuna, quid puero misero fiet? Non queo reliqua scribere (tanta uis lachrymarũ est) ne te in eundem fletum adducam. Tantùm scribo, si erunt in officio amici, pecunia non deerit: si non erunt, tu efficere tua pecunia non poteris. Per fortunas miseras nostras uide, ne puerũ perditum perdamus. Cui si aliquid erit: ne egeat, mediocri uirtute

Ostendit, in quib⁹ habeat spẽ sui in patriam reditus Narratiuncula.

Pathos

Dissuadet Terentiæ, ne uillam diuendat

Pathos

Obtestatio

uirte opus est, & mediocri fortuna, ut cætera cõsequatur. Fac ualeas, & ad me tabellarios mittas, ut sciã quid agatur, et uos quid agatis. Mihi omnino iam breuis expectatio est. Tulliolæ, & Ciceroni salutem dic. Valete. Datum ante diem VI. Calend. Decemb. Dyrrhachij. Dyrrhachium ueni, quòd & libera ciuitas est, & in me officiosa, & proxima Italiæ. Sed si offendet me loci celebritas, aliò me conferam, & ad te scribam.

Conclusio

Narratio

ARG. EPIST. SEQ.

Excusat se de breuitate literarum, cum ad omnes alios, tum uero ad uxorem suam, ad quam dicitse nõ posse scribere sine multis lachrymis: deinde dicit se dolere, quod intellexit eam a quibusdã uexatam esse, cum id fiat culpa sua. Postremo suadet, ne sumptum in ædificando faciat: monetq; ut ualetudinem curet.

M. T. C. Teren. & Tull. & Ciceroni suis

S. P. D. 354

NOli putare me ad quenquam longiores epistolas scribere, nisi si quis ad me plura scripsit, cui puto rescribi oportere. Nec enim habeo, quod scribam: nec hoc tempore quicquam difficilius facio. Ad te uerò, & ad nostram Tulliolam nõ queo sine plurimis lachrymis scribere. Vos enim uideo esse miserrimas, quas ego beatissimas semper esse uolui: idq; præstare debui: & nisi tam timidi fuissemus, præstitissem. Pisonem nostrum merito eius amo plurimum. Eum, ut potui, per literas cohortatus sum, gratiasq; egi, ut debui. In nouis trib. pleb. intelligo spem te habere. id erit firmum, si Pompeij uoluntas erit: sed Crassum tamen metuo. A te quidẽ omnia fieri fortissimè, & amantissimè uideo, nec miror: sed mœreo casum eiusmodi, ut tantis tuis miserijs meæ miseriæ

Exordium, Comparatio, quod nulli lõgiores epistolas scribat. Commendatoria est, & dissuasoria epistola. Excusat in exordio breuitatem literarum. Ad uaria respondet. Querela est pathetica

Narratio

seriæ subleuẽtur. Nam ad me. P. Valerius homo officiosus scripsit, id quod ego maximo cũ fletu legi, quemadmodum à Vestæ ad tabula à Valeriã ducta esses. Hem mea lux, meũ desideriũ, unde omnes opem petere solebant, te nunc mea Terẽtia sic uexari, sic iacêre in lachrymis, et sordibus: idq; fieri mea culpa, qui cæteros seruaui, ut nos periremus? Quòd de domo scribis: hoc est, de area: ego uerò tum mihi deniq; uidebor restitutus, si illa erit nobis restituta. Verũ hæc non sunt in nostra manu. Illud doleo quæ impensa faciẽda est in eius parte, miserã, et despoliatã uenire. Quòd si conficitur negotiũ, omnia consequemur: sin eadem nos fortuna premet, etiam ne reliquias tuas misera proijcies? Obsecro te mea uita, quod ad sumptũ attinet, sine alios, qui possunt, si modò uolunt, sustinere: & ualetudinem istam infirmam, si me amas, noli uexare. Nam mihi ante oculos, dies noctesq; uersaris. Omneis laboreis te excipere uideo: timeo, †ne sustineas: sed uideo in te esse omnia. Quare ut id, quod speras, & quod agis cõsequamur, serui ualetudini. Ego ad quos scribam, nescio, nisi aut ad eos, qui ad me scribunt: aut ad eos, de quibus ad me uos aliquid scribitis. Longius, quoniam uobis ita placet, non discedam: sed uelim quàm sæpissimè literas mittatis, præsertim si quid est firmius, quod speremus. Valete mea desideria, ualete. Datum ad III. Non. Octob. Thessalonicæ.

Amplificatio indignitatis

† ut Dissuadet Terentiæ sumptum in ædificando

ARG. EPIST. SEQ.

Iterum sibi dolori esse scribit, quod culpa sua sit causa doloris uxori, & liberis: & quod ignaue discesserit, cum potuerit remanere in patria, si uoluisset se inimicis opponere. Dicitq; se facile uitam tutari, cum etiam hostes ipsum sic uiuere uelint. Certior autem fieri uult quid pro se egerint.

M. T. C. Terentiæ & Tulliolæ & Cic. suis S. . D. 355

Accepi ab Aristocrito treis epistolas, quas ego lachrymis propè deleui. Conficior enim mœrore, mea Terentia: nec me meæ miseriæ magis excruciant, quàm tuæ, uestræq;. Ego autẽ hoc miserior sum, quàm tu, quæ es miserrima, quòd ipsa calamitas communis est utriusque nostrum: sed culpa mea propria est. Meum fuit officium uel legatione uitare periculum, uel diligentia, & copijs resistere, uel cadere fortiter: hoc miserius, turpius, indignius nobis nihil fuit. Quare cùm dolore conficior, tum etiam pudore. Pudet enim me uxori meæ optimæ, suauißimis liberis uirtutẽ, & diligentiam non præstitisse. Nam mihi ante oculos dies noctesq; uersatur squallor uester et mœror, & infirmitas ualetudinis tuæ: spes aũt salutis pertenuis ostenditur. Inimici sunt multi: inuidi penè omnes. Eijcere nos magnum fuit, excludere facile est. Sed tamen quandiu uos eritis in spe, non deficiam, ne omnia mea culpa cecidisse uideantur. Vt tutò sim, quòd laboras, id mihi nunc facilimũ est: quem etiam inimici uolũt uiuere in tantis miserijs. Ego tamen faciã, quæ præcipis. Amicis quibus uoluisti, egi gratias: & eas literas Desippo dedi: meq; de eorum officio scripsi à te certiorem esse factum. Pisonem nostrũ mirifico esse studio in nos, & officio, & ego perspicio, & omnes prædicant. Dij faxint, ut tali genero mihi præsenti tecum simul,

A querela exordiuntur Exordium Collatio, mea calamitas maior, quia coniuncta cũ culpa Expositio culpæ

Pathos

Ad uaria respondet.

simul, & cum liberis nostris frui liceat. Nunc spes reliqua est in nouis Trib. pleb. & in primis quidem diebus. Nam si inueterarit, actum est. Eare ad te statim Aristocritum misi, ut ad me continuò initia rerũ, & rationem totius negotij posset scribere: etsi Dessippo quoq; ita imperaui, statim ut recurreret: & ad fratrem misi, ut crebro tabellarios mitteret. nam ego eo nomine sum Dyrrhachij hoc tẽpore, ut q̃ celerrimè, quid agatur, audiã: & sim tuto. Ciuitas enim hæc semper à me defensa est. Cum inimici nostri uenire dicẽtur, tum in Epirum ibo. Quòd scribis, si uelim, te ad me uenturã: ego uerò cum sciam magnã partem istius oneris abs te sustineri, te istic esse uolo. Si perficitis, quod agitis, me ad uos uenire oportet: sin aũt, sed nihil est opus reliqua scribere. Ex primis aut ad summũ secundis literis tuis constituere poterimus, quid nobis faciendum sit. Tu modò ad me uelim omnia diligentissimè perscribas: etsi magis iam rem, q̃ literas, debeo expectare. Cura ut ualeas, & ita tibi persuadeas, mihi te charius nihil esse, nec unquàm fuisse. Vale mea Terentia, quam ego uidere uideor: itaq; debilitor lachrymis. Prìdie Calend. Decemb. Dyrrhachij.

ARG. EPIST. SEQ.

Scribit ad Terentiam, licet inferat mentionem liberorũ, ostendens quanto dolore cõficiatur, cum ad suos scribere cogatur. Deinde exponit, ubi sit, & quo iturus, docens ad Terentiam ad se uenire uelit, & alia quædam.

M. T. C. Terentiæ & Tulliolæ & Cic. suis S. P. D. 356

Exordium Excusatio silentij.

EGo minus sæpe ad uos do literas, quàm possum, propterea

propterea quòd cum omnia mihi tempora sunt misera, tum uerò cum aut scribo ad uos, aut uestras lego, conficior lachrymis sic, ut ferre nõ possim. Quòd utinam minus uitæ cupidis fuissem: certè nihil, aut non multum in uita mali uidissemus. Quòd si nos ad aliquam alicuius commodi aliquando recuperandi spem fortuna reseruauit: minus est erratum à nobis. sin hæc mala fixa sunt: ego uerò te quàm primum mea uita cupio uidere, & in tuo complexu emori: quando neq; dij, quos tu castissimè coluisti: neq; homines, quos ego seruaui semper, nobis gratiã retulerũt. Nos Brũdusij apud M. Lemniũ Flaccũ dies XIII. fuimus, uirum optimum, qui periculum fortunarũ & capitis sui pro mea salute neglexit: neq; legis improbissimæ pœna deductus est, quò minus hospitij, & amicitiæ †ius officium q̃ præstaret. Huic utinã aliquando gratiã referre possimus. Habebimus quidem semper. Brundusio profecti sumus ad V. Cal. Maij: per Macedoniam Zyzicũ petebamus. O me perditũ. O me afflictũ: quid nunc rogem te, ut uenias, mulierẽ ægram, & corpore, & animo confectã? non rogem? sine te igitur sim? Opinor, sic agã: si est spes nostri reditus, eam confirmes, & rem adiuues: sin, ut ego metuo, transactũ est: quoquo modo potes, ad me fac uenias. Vnum hoc scito: si te habebo, non mihi uidebor planè perijsse. Sed quid de Tulliola mea fiet? iam id uos uidete: mihi deest consilium. Sed certè quoquo modo res se habebit, illius misellæ & matrimonio & famæ seruiendũ est. Quid Cicero meus, quid aget? Iste uerò sit in sinu semper, & cõplexu meo.

Responsoria ad uaria iuxta epistolã Terentiæ. Excusat uarietatem.

Votum

Ostendit, ubi sit. Narratio

† eius

Ad uaria respondet.

Non

Non queo iam plura scribere: impedit mœror. Tu quid egeris, nescio: utrum aliquid teneas, an, quod metuo, plane sis spoliata. Pisonem, ut scribis, spero fore semper nostrum. De familia liberata nihil est, quod te moueat. Primum tuis ita promissum est, te facturam esse, ut quisq; esset meritus. Est autem in officio adhuc Orpheus: præterea magnopere nemo cæterorum seruorum. Et causa est, ut si res à nobis abesset, liberi nostri essent, si obtinere potuissent: sin ad nos pertinerent, seruirent, præterquàm oppidò pauci. Sed hæc minora sunt. Tu quòd me hortaris, ut animo sim magno, & spem habeam recuperandæ salutis: id uelim sit eiusmodi, ut rectè sperare possimus. nunc miser quãdo tuas iam literas accipiã? quis ad me perferet? quas ego expectassem Brundusij, si esset licitum per nautas, qui tempestatẽ prætermittere noluerunt. Quod reliquũ est, sustenta te mea Terentia, ut potes. honestissimè uiximus: floruimus. non uitium nostrum, sed uirtus nostra nos afflixit: peccatũ est nullum, nisi quòd non unà animã cum ornamentis amisimus. Sed si hoc fuit liberis nostris gratius, nos uiuere: cætera, quanq; ferenda non sunt, feramus. Atq; ego qui te confirmo, ipse me nõ possum. Clodiũ Philetærũ, quòd ualetudine impediebatur oculorũ, remisi, hominẽ fidelẽ. Sallustius officio uincet omneis. Pescennius est perbeneuolus nobis: quem semper spero tui fore obseruantem. Sicca dixerat se mecũ fore: sed Brũdusio discessit. Cura, quoad potes, ut ualeas: & sic existimes uehementius me tua miseria, quàm mea cõmoueri. Mea Terẽtia fidissima, atq; optima

uxor, & mea charissima filiola, & spes reliqua nostra Cicero, ualete. Pridie Calen. Maij, Brundusio.

ARG. EPIST. SEQ.

Scribit se nauigasse Athenas aduersis uentis, cũ haberet secum Ciceronem filium. deinde significat se accepisse literas ab uxore: & postremo orat, ut sibi obuiam ueniat quam longissime ualeat, docens: quid agere debeat de hæreditate quadam.

M. T. C. Terentiæ & Tulliæ Cic. suis S. P. D. 357

SI tu & Tullia lux nostra ualetis, ego & suauissimus Cicero ualemus. Pridie Idus Octobris Athenas uenimus, cùm sanè aduersis uentis usi essemus, tardeq;, et incõmodè nauigassemus. De naui exeuntibus nobis Achaius cum literis præstò fuit uno & uigesimo die, sanè strenuè. Accepi tuas literas, quibus intellexi te uereri, ne superiores mihi redditæ non essent. Omnes sunt redditæ: diligentissimeq; à te perscripta omnia: idq; mihi gratissimũ fuit. Neq; sum admiratus hanc epistolam, quam Achaius attulit, breuem fuisse. iam enim me ipsum expectas, siue nos ipsos, qui quidem quàm primum ad uos uenire cupimus: etsi in quam Remp. uenimus, intelligo. cognoui enim ex multorũ amicorum literis, quas attulit Achaius, ad arma rem spectare: ut mihi, cũ uenero, dissimulare non liceat, quid sentiã. Sed quando subeunda fortuna est, eò citius dabimus operã, ut ueniamus, quò facilius de tota re deliberemus. Tu uelim, quod commodo ualetudinis tuæ fiat, q̃ longissimè poteris, obuiam nobis †properes. De hæreditate Prætiana, quæ quidẽ mihi magno dolori est (ualde enim illũ amaui) hoc uelim cures: si

Narratio

† prodeas

Consiliũ dat Terentiæ de hæreditate Prætiana.

si auctio ante meum aduentum fiet, ut Pomponius: aut, si is minus poterit, Camillus nostrum negotium curet. Nos cum uenerimus, reliqua per nos agemus. Sin tu iam Roma profecta eris, tamen curabis, ut hoc ita fiat. Nos si dij nos adiuuabunt, circiter Idus Nouemb. in Italia speramus fore. Vos mea suauissima, & optatissima Terētia, et Tulliola, si nos amatis, curate ut ualeatis. Athenis, ad XV. Calend. Nouemb.

ARG. EPIST. SEQ.

Mixtum est epistolium. nam & excusat se quod raro scribat, & de prædij uenditione ait se cognouisse, & petit ut satisfaciat cuidam, & Pollucem seruum ad se mitti cupit.

M. T. C. Terentiæ S. P. D. 358

Cur raro scribat. NEc sæpe est, cui literas demus: nec rem habemus ullam, quā scribere uelimus. Ex tuis literis, quas proximè accepi, cognoui prædium nullum uenire potuisse. Al. uideatis. Hortatio Al. scitis. Quare uideas uelim, quomodo satis fiat ei, cui scis me satisfieri uelle. Quòd nostra tibi gratias agit, id ego non miror te mereri, ut ea tibi merito tuo gratias agere Id est seruum a pedibus. possit. Pollucem, si adhuc non est profectus, quàm primū fac extrudas. Cura, ut ualeas. Idibus Quintil. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Exponit uxori, quomodo eiecta bile sanatus sit, & hortatur ut bono animo sint. Postremo ostendit, ubi commode degere possit.

M. T. C. Terentiæ S. P. D. 359

A narratione OMneis molestias, & solicitudines, quibus & te miserrimam habui, id quod mihi molestissimum est, Tulliolamq;, quæ nobis nostra uita dulcior est, deposui, & eieci. Quid causæ autem fuerit, postridie intellexi, Id est, bilem puram seu meram. quàm à uobis discessi. χολὴν ἄκρατον noctu eieci statim.

statim. Ita sum leuatus, ut Deus mihi aliquis medicinam fecisse uidetur. Cui quidem tu Deo, quemadmodum soles, piè & castè satisfacias, id est, Apollini, & Aesculapio. Nauim spero nos ualde bonam habere: in eam simulatq; conscendi, hæc scripsi. Deinde conscribam ad nostros familiareis multas epistolas, quibus te, & Tulliolā nostram diligentissimè commendabo. Cohortarer uos, quò animo fortiore essetis, nisi uos fortiores cognoscerem, quàm quenquam uirum. Et tamen eiusmodi spero negotia esse, ut & uos istic commodissimè sperem esse, & me aliquando cum similibus nostri Rempub. defensurum. Tu primùm ualetudinem tuam uelim cures: deinde, tibi si uidebitur, uillis ijs utare, quæ longissimè aberunt à militibus. Fundo Arpinati benè poteris uti cū familia urbana, si annona carior fuerit. Cicero bellissimus tibi salutem plurimam dicit. etiam atq; etiā. Vale. Datum III. Idus Iulij. †uidentur

Adhortatio per præcisionem Obliqua hortatio Al. quod animo

Al. 7.

ARG. EPIST. SEQ.

Rogat ut ualetudinem curet, & gaudere se dicit, quod de Cæsaris literis certior factus sit.

M. T. C. Terentiæ S. D. P. 360

Monet ut ualetudinem curet SI uales, benè est: ego quidem ualeo. Valetudinē tuam uelim cures diligentissimè. Nam mihi & scriptū, & nunciatum est, te in febrim subitò incidisse. Quòd celeriter me fecisti de Cæsaris literis certiorem, fecisti mihi gratum. Item posthac, si quid opus erit, si quid acciderit noui, facies ut sciam. Cura ut ualeas. Vale. Datum IIII. Non. Iunias.

Ostendit se inertem esse animi.

M. T. C. Terentiæ S. P. D. 361

Dolet quod Dolabella minus ualebat.

AD cæteras meas miserias accessit dolor è Dolabellæ ualetudine, & Tulliæ. omnino de omnibus rebus nec quid consilij capiam, nec quid faciam, scio. tu uelim tuã, & Tulliæ ualetudinem cures. Vale.

Excusat se cur clarius & longius non scribat.

M. T. C. Terentiæ S. P. D. 362

Monet ut ad se literas mittat

QVid fieri placeret, scripsi ad Pomponiũ serius, quàm oportuit. Cum eo si locuta eris, intelliges quid fieri uelim. Apertius scribi, quando ad illum scripseram, necesse non fuit. De ea re, & de cæteris rebus quàm primum uelim nobis literas mittas. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. Septimo Idus Quintil.

Dolere se dicit de Tulliæ fortuna.

M. T. C. Terentiæ S. P. D. 363

Tulliam ad se uenisse dicit, & aliã quædã

SIuales, benè est: ego ualeo. Tullia nostra uenit ad me Pridie Idus Iunij, cuius summa uirtute, & singulari humanitate, grauiore etiam sum dolore affectus, nostra factũ esse negligentia, ut longè alia in fortuna esset, atq; eius pietas, ac dignitas postulabat. Nobis erat in animo, Ciceronem ad Cæsarem mittere, & cum eo Cn. Sallustium. Si profectus erit, faciam te certiorẽ. Valetudinẽ tuam diligenter cura. Vale XIIII. Calend. Quintil.

Nunciatoria & dehortatoria est.

M. T. C. Terentiæ S. P. D. 364

Improbat cõsiliũ suum, & rogat Terentiã, ut sibi adsumento sit.

QVòd nos in Italiam saluos uenisse gaudes, perpetuò gaudeas uelim. Sed perturbati dolore animi, magnisq; iniurijs, metuo ne id consilij ceperimus, quod non facilè explicare possimus. Quare quantũ potes, adiuua. Quid

Quid aũt possis, mihi in mentẽ non uenit. In uiam quòd te des hoc tempore, nihil est: & longum est iter, & non tutum: & non uideo quid prodesse possis, si ueneris. Vale. Datum pridie Nonas Nouemb. Brundusij.

M. T. C. Terentiæ S. P. D. 365

Consiliũ dat uxori Scribit quid agat in tumultu bellico

QVòd scripsi ad te proximis literis de nuncio remittendo, quæ sit istius uis hoc tempore, & quæ concitatio multitudinis, ignoro. Si metuendus iratus est, quies tamen ab illo nascetur fortasse. Totum iudicabis, quale sit: & quod in miserrimis rebus minimè miserum putabis, id facies. Vale. Septimo Idus Quintil.

ARG. EPIST. SEQ.

Venturo Cæsare Romam, dicit uxorem posse ex amicis discere, quid facere debeat, ostendit tamen, quid sentiat, utpote id, quod aliæ mulieres eius similes, hoc est, quarum mariti in simili sint conditione. Omnes autem amatoriæ sunt epistolæ.

Tullius Terentiæ, & pater Tulliolæ, duabus animis suis: & Cicero Matri optimæ, & suauissimæ Sorori S. P. D. 366

Narratoria est epistola. Exponit consilium suum Cicero

SIuos ualetis, nos ualemus. Vestrum iam cõsilium est, nõ solum meum, quid sit uobis faciendũ. Si ille Romã modestè uenturus est, rectè in præsentia domi esse potestis. sin homo amens diripiendam urbem daturus est, uereor, ut Dolabella ipse satis uobis prodesse possit. Etiã illud metuo, ne iam inter cludamini, ut cum uelitis exire, non liceat. Reliquũ est, quod ipsæ optimè cõsiderabitis, uestri similes fœminæ sint ne Romæ. Si enim nõ sunt, uidendum est, ut honestè uos esse positis. Quomodocunq; nunc res se habet, modò ut hæc uobis loca tenere

Al. quoquo modo, quidẽ nunc

Campaniæ epist. 16. li. 2.

liceat, bellißimè uel mecũ, uel in noſtris prædijs eſſe po
teritis. Etiam illud uerendum eſt, ne breui tempore fa-
mes in urbe ſit. His de rebus uelim cũ Pomponio, cũ Ca-
millo, cum quibus uobis uidebitur, conſideretis: ad ſum-
mam, animo forti ſitis. Labienus rem meliorẽ fecit. Ad-
iuuat etiã Piſo, quòd ab urbe diſcedit, & ſceleris condẽ
nat generum ſuum. Vos meæ charißimæ animæ quàm
ſæpißimè ad me ſcribite, & uos quid agatis, & quid
iſtic agatur. Quintus † pater, & filius, & Rufus uobis
ſalutẽ dicunt. Valete VIII. Cale. Quintil. Minturnis.

L. Piſo Cæſaris ſocer

† frater

ARG. EPIST. SEQ.

Dicit de mittendo filio conſilium mutaſſe, & noui nihil habere, ſed quæ fieri uelit, e Sicca accipi poſſe.

M. T. C. Terentiæ ſuæ S. P. D. 367

SI uales, benè eſt: ego ualeo. Conſtitueramus, ut ad te
antea ſcripſeram, obuiã Ciceronem Cæſari mittere:
ſed mutauimus conſiliũ, quia de illius aduentu nihil au-
diebamus. De cæteris rebus etſi nihil erat noui, tamen
quid uelimus, & quid hoc tempore putemus opus eſſe,
ex Sicca poteris cognoſcere. Tulliam adhuc mecum te-
neo. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. XII.
Calend. Quintil.

ARG. EPIST. SEQ.

Literas ab uxore expectat, & a dolore quem Volumnia acce perat, eam explicat.

M. T. C. Terentiæ ſuæ S. P. D. 363

SI uales, benè eſt: ego ualeo. Etſi eiuſmodi tẽpora no-
ſtra ſunt, ut nihil habeam, quod aut à te literarum ex-
pectem, aut ipſe ad te ſcribam: tamẽ neſcio quomodo et
ipſe ueſtras literas expecto, & ſcribo ad uos, cùm ha-
beo,

beo, qui ferat. Volũnia debuit in te officioſior eſſe quàm
fuit, & idipſum, quod fecit, potuit diligentius facere, &
cautius: quanquàm alia ſunt, quæ magis curemus, ma-
gisq; doleamus. Quæ me ita conficiunt, ut ij uoluerũt,
qui me de mea ſententia detruſerunt. Cura ut ualeas.

ARG. EPIST. SEQU.

Dicit ſe nihil habere, quod ſcribat ad uxorem, eamq; poſſe intelligere ex Lepta, & Trebatio, quomodo ipſe ſit affectus.

M. T. C. Terentiæ S. D. 369

SI quid haberem, quod ad te ſcriberem, facerem id &
pluribus uerbis, & ſæpius. Nunc quæ ſunt negotia, ui
des. Ego autem quomodo ſim affectus, ex Lepta, & Tre
batio poteris cognoſcere. Tu fac, ut tuam, et Tulliæ ua-
letudinem cures. Vale.

Excuſatoria, cur nihil ſcribat

ARG. EPIST. SEQ.

Eodem fere eſt argumento, quo illa ſuperior, quæ incipit: Veſtrum iam conſilium, niſi quod in fine monet Terentiam, ut curet domi facienda propugnacula, ſi quam uim militum immittere intellexerit.

M. T. C. Terentiæ, & Tulliolæ ſuis S. D. 370

COnſiderandum uobis etiam atq; etiam animæ meæ
diligenter puto, quid faciatis, Romæne ſitis, an me-
cum in aliquo tuto loco. Id nõ ſolùm meum conſiliũ eſt,
ſed etiam ueſtrum. Mihi ueniũt in mentem hæc: Romæ
uos eſſe tutò poſſe per Dolabellam: eamq; rem poſſe no
bis adiumento eſſe, ſi qua uis, aut ſi quæ rapinæ fieri cœ
perint. Sed rurſus illud me mouet, quòd uideo omnes bo
nos abeſſe Roma, & eos mulieres ſuas ſecum habere.
Hæc autem regio, in qua ego ſum, noſtrorum eſt tũ op-
pidorum, tum etiam prædiorum: ut & multũ eſſe me-

Monitoria eſt epiſtola.

Id eſt Campania.

cum, & cum abieritis, commodè etiam in nostris prædijs esse positis. Mihi non planè satis constat adhuc, utrũ sit melius. Vos uidete quid aliæ faciant isto loco fœminæ: & ne, cum uelitis, exire non liceat. id uelim diligenter etiam atq; etiam uobiscum, & cum amicis consideretis. Domus ut propugnacula, & præsidium habeat, Philotimo dicetis. Et uelim tabellarios instituatis certos, ut quotidie aliquas à uobis literas accipiam. Maximè autem date operam, ut ualeatis, si nos uultis ualere. Octauo Calend. Febr. Formijs.

Al. Feb. Formijs

M. T. C. Terentiæ S. D. 371

Nunciatoria est epistola Tulliæ ualetudinem sibi dolere, & se propius uenturum dicit.

IN maximis meis doloribus excruciat me ualetudo Tulliæ nostræ. De qua nihil est quod ad te plura scribam, tibi enim æquè magnæ curæ esse certò scio. Quòd me propius uultis accedere, uideo ita esse faciendum: etiam antè fecissem: sed me multa impedierunt, quæ nunc quidem expedita sunt. Sed à Pomponio expecto literas, quas ad me quàm primùm perferendas cures uelim. Da operam, ut ualeas.

M. T. Cicero Terentiæ S. P. D. 372

Monitoria, ut balneum paret Al. 5. Calen. Hortatur, ut ualetudinem curet

IN Tusculanum nos uenturos putamus aut Nonis, aut postridie. ibi fac, ut sint omnia parata. Plures enim fortasse nobiscum erunt, & ut arbitror, diutius ibi commorabimur. Labrum si in balneo non est, fac ut sit. item cætera, quæ sunt ad uictum, & ualetudinem necessaria. Vale. IIII. Calend. Octob. de † Venusino.

† de Venusio

M. T. C.

M. T. Cicero Terentiæ S. P. D. 373

Nunciatoria.

SI uales, bene est: ego ualeo. Da operam, ut conualescas: quod opus erit, ut res, tempusq; postulat, prouideas, atq; administres: & ad me de omnibus rebus, quàm sæpissimè literas mittas. Vale.

M. T. C. Terentiæ S. P. D. 374

Nunciatoria & petitoria.

SI uales, bene est: ego ualeo. Nos quotidie tabellarios uestros expectamus: qui si uenerint, fortasse erimus certiores, quid nobis faciendum sit, faciemusq; te statim certiorem. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. Calendis Septemb.

M. T. C. Terentiæ S. P. D. 375

Nunciatoria.

SI uales, bene est: ego ualeo. Redditæ mihi iam tandẽ sunt à Cæsare literæ satis liberales: & ipse opinione celerius uenturus esse dicitur. Cui utrum obuiam procedam, an hîc eum expectem, cum constituero, faciam te certiorem. Tabellarios mihi uelim quàm primùm remittas. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. Pridie Idus Sext.

M. T. C. Terentiæ S. P. D. 376

SI uales, bene est: ego ualeo. Nos neq; de Cæsaris aduentu, neq; de literis, quas Philotimus habere dicitur, quicquam adhuc certi habemus. Si quid erit certi, faciam te statim certiorem. Valetudinem tuam fac ut cures. Vale. III. Idus Sextileis.

ANNOTATIONES AC Castigationes in decimumquartũ librũ Epist. Famil. Ciceronis.

In Epist. 1.

B.Rut. Terentiæ & Tulliæ & Ciceroni, suis) Vni Terentiæ, ex sensu, inscribi oportuit
Voluptates capiebat) ante exilium
Ab ijs me amari) Catone, Hortensio, & alijs
Eos non sequebar) Pompeium, Cæsarem, & Crassum
De familia) Epist. 4. huius libri
Pisonis) generi
Ante diem 6. Calend.) Al. ad 6. Calend.

In Epist. 2.

Crassum tamen metuo) Epist. 8. lib. 1.
A Vestæ) Al. a Vesta
Si illa) Al. si uilla
Ne sustineas) Al. ut sustineas

In Epist. 3.

Legatione) a Cæsare præsertim oblata
Resistere) aduersarijs & Clodio in primis

In Epist. 4.

A nobis, sin hæc) Al. a nobis, si hæc
Quos ego seruaui) Al. quibus ego seruaui
M. Lemnium) Al. M. Ennium: sed M. Lenium legere oportet ex oratione pro Cn. Plancio, in qua ita legimus. In hortos, &c.
Ad 5. Calend.) Si ad 11. Cal. legatur, nihil erit contrarium, quia tamen in omnibus libris sic legitur
Spes Cennius) Al. Pescenius

In Epist. 6.

Terentiæ suæ) Al. suis
Videas) Al. uideatis
Scis) Al. scitis
Pollucem) seruum a pedibus.

In Epist. 14.

Quomodocunq; nunc) Al. quoquo modo quidem nunc
Hæc nobis loca) Campaniæ Epist. 16. lib. 2
Rufus) fortasse epist. 20. lib. 5.

M. T.

M. T. CICERONIS EPISTOLARVM FAMILIARIVM LIBER XV.

ARG. EPIST. SEQ.

Argumentũ condependet cum epistolis in secundo, & tertio libris habitis, ubi de proconsulatu suo in Cilicia plenius scripsit. In hac autem dicit, quibus rebus adductus sit scribere Romã de transitu Parthorum: & quam uarij fuerint de ijs rumores: deinde quid e erit perspecto transitu Parthorum: contra quos cum opus sit maiore exercitu, rogat, ut ad se mittatur tantus, quanto opus sit ad maximum bellum conficiẽdum, cum nulla sit spes in prouincialibus, nec in socijs, excepto Deiotaro.

M. T. C. M. F. Proconſ. S. P. D. Coſſ. Præt. Trib. Pleb. Senatui P. Q. R. 377

SI uos B. V. B. E. E. Q. V. Etsi nõ dubiẽ mihi nunciabatur Parthos transisse Euphratem cum omnibus ferè suis copijs: tamen quòd arbitrabar à M. Bibulo proconsule certiora de his rebus ad uos scribi posse, statuebam mihi non necesse esse publicè scribere ea, quæ de alterius prouincia nunciarentur. Posteà uerò quàm certissimis autoribus, legatis, nũtijs, literis sum certior factus: uel quòd tanta res erat, uel quòd nondum audieramus Bibulum in Syriam uenisse, uel quia administratio huius belli mihi cum Bibulo penè est communis: quæ ad me delata essent, scribenda ad uos putaui. Regis Antiochi Cõmageni legati primi mihi nuntiarunt Parthorum magnas copias Euphra

Ab occasionib⁹ scribẽdi Nunciatoria & petitoria epistola est. Exponit eñ quam uarij sint rumores timoresq; de Parthorũ aduentu. Deinde a senatũ maiorem exercitum petit

Plin. lib. 5. cap. 12.

P 5 tem

tem transire cœpisse. Quo nuncio allato, cum esset non nulli, qui ei regi minorem fidem habendam putarent, statui expectandum esse, si quid certius afferretur. Ad XIII. Calendas Octobris cum exercitum in Ciliciam ducerem, in finibus Lycaoniæ è Cappadocia mihi literæ redditæ sunt à Tarchondimoto, qui fidelissimus socius trans Taurum, amicissimusq; populi Rom. existimatur: Pacorum † Orodis regis Parthorum filium cum permagno equitatu Parthico transisse Euphratem, & castra posuisse Tybe, magnumq; tumultum esse in prouincia Syria excitatum. Eodem die ab Iamblicho Phylarcho Arabũ, quem homines opinantur bene sentire, amicumq; esse Reipublicæ nostræ, literæ de eisdem rebus mihi redditæ sunt. His rebus allatis, etsi intelligebam socios infirmè animatos esse, & nouarum rerum expectatione suspensos: sperabam tamen eos, ad quos iã accesseram, quiq; nostram consuetudinem, integritatemq; perspexerãt, amiciores populo Rom. esse factos: Ciliciam autem firmiorem fore, si † equitatus nostri particeps facta esset. Et ob eam causam, & ut opprimerentur ij, qui ex Cilicum gente in armis essent, & ut hostis, qui esset in Syria, sciret exercitum populi Rom. non modo non cedere his nuntijs allatis, sed etiam propius accedere: exercitum ad Taurum instituí ducere. Sed si quid apud uos autoritas mea ponderis habet, in ijs præsertim rebus, quas uos audistis, ego penè cerno: magnopere uos & hortor, & moneo, ut his prouincijs seriùs uos quidẽ, quàm decuit, sed aliquando tamẽ consulatis.

Hunc Plutarchus non semel Herodẽ uocat

Sãpsicerami filio

† æquitatis nostræ

Nos

Nos quemadmodum instructos, & quibus præsidijs munitos ad tanti belli opinionem miseritis, non estis ignari. quod ego negocium non stultitia obcæcatus, sed uerecundia deterritus non recusaui. Neq; enim unquam ullum periculum tantum putaui, quod subterfugere malem, quàm uestræ autoritati obtemperare. Hoc autem tempore res sese sic habet, ut nisi exercitum tantum, quantum ad maximum bellum mittere soletis, maturè in has prouincias miseritis, summum periculum sit, ne amittendæ sint omnes hæ prouinciæ, quibus uectigalia populi Romani continentur. Quamobrem autem in hoc prouinciali delectu spem habeatis aliquam, causa nulla est: neq; multi sunt: & diffugiunt, qui sunt, metu oblato. Et quod genus hoc militum sit, iudicauit uir fortissimus M. Bibulus in Asia: qui, cũ uos ei permisissetis, delectum habere noluerit. Nam sociorum auxilia propter acerbitatem, atq; iniurias imperij nostri, aut ita imbecilla sunt, ut non multum nos iuuare possint: aut ita alienata à nobis, ut neq; expectandum ab ijs, neq; committendum ijs quicquam esse uideatur. Regis Deiotari & uoluntatem, & copias, quantæcunq; sunt, nostras esse duco. Cappadocia est inanis. Reliqui reges tyrãnique neq; opibus satis firmi, nec uoluntate sunt. Mihi in hac paucitate militum animus certè non deerit: spero ne consilium quidem. Quid casurum sit, incertum est. Vtinam saluti nostræ consulere possimus: dignitati certè consulemus. Valete.

ARG.

ARG. EPIST. SEQ.

Facit certiorem Senatum, populumq; Rom. quid egerit cũ primum in Asiam uenit imperator in Ciliciam proficiscẽs: deinde quẽ admodum præsidiis sui exercitus liberauerit Ariobarzanem regem Cappadociæ ab insidijs, quæ illi parabantur, cum salus illius regis fuerit sibi commendata. postremo eiusdem regis ingenium, fidem, & beneuolentiam erga Senatum, populumq; Romanum perspexisse affirmat, quibus dicit illum meruisse, ut populo Romano sit charus.

M. T. C. M. F. Proconſ. S. P. D. Coſſ. Præt. Trib. pl. Senatui, P. Q. R. 378

A narratione quæ ad calcẽ usq; epistolæ porro se tendit, & tota est de rebus a se in Cilicia gestis.

SI V. B. V. B. E. E. Q. V. Cùm pridie Cal. Sext. in prouinciam uenissem, neq; maturius propter itinerum, et nauigationum difficultatem uenire potuissem: maximè conuenire officio meo, Reiq; publicæ conducere putaui, parare ea, quæ ad exercitum, quæq; ad rem militarem pertinerent. Quæ cum essent à me cura magis, & diligentia, quàm facultate, & copia constituta: nuntijq;, & literæ de bello à Parthis in prouinciã Syriã illato quotidie ferè afferrentur, iter mihi faciendũ per Lycaoniam, & per Isauros, & per Cappadociam arbitratus sum. erat enim magna suspicio Parthos, si ex Syria egredi, atq; irrumpere in † eam prouinciã conarentur, iter eos per Cappadociam, quòd ea maximè pateret, esse facturos. Itaq; cum exercitu per Cappadociæ partem eam, quæ cum Cilicia continens est, iter feci: castraq; ad Cybistra, quod oppidum est ad montem Taurum, locaui: ut Artuasdes rex Armenius, quocunq; animo esset, sciret non procul à suis finibus exercitum populi Rom. esse: & Deiotarum fidelissimum regem, atq; amicissimum Reipublicæ nostræ, maximè coniunctum haberem

† meam

haberem, hominem, cuius & consilio, & opibus adiuuari posset Respub. Quo cùm in loco castra haberem, equitatumq; in Ciliciam misissem, ut & meus aduẽtus ijs ciuitatibus, quæ in ea parte essent, nunciatus, firmiores animos hominum faceret: & ego maturè, quid ageretur in Syria, scire possem: tẽpus eius tridui, quod in his castris morabar, in magno officio, & necessario mihi ponendũ putaui. Cũ enim uestra autoritas interceßisset, ut ego regẽ Ariobarzanem, Euseben, & Philorrhomæum tuerer, eiusq; regis salutẽ, † incolumitatem, regnumq; defenderẽ: regi, regnoq; præsidio essem: adiunxissetisq; salutem eius regis Populo senatuiq; Romano magnæ curæ esse, quod nullo unquã de rege decretũ esset à nostro ordine: existimaui me iudicium uestrũ, ad regem deferre debere, eiq; præsidium meũ, & fidem, et diligentiam polliceri: ut quando salus ipsius, & incolumitas regni mihi commendata esset à uobis, diceret, si quid uellet. Quæ cùm essem in consilio meo cũ rege locutus, initio ille orationis suæ uobis maximas, ut debuit, deinde etiam mihi gratias egit: quòd ei permagnũ, & perhonorificum uidebatur, S. P. Q. R. tantæ curæ esse salutem suam: meq; tantam diligentiam adhibere, ut & mea fides, & commendationis uestræ autoritas perspici posset. Atq; ille primò, quod mihi maximæ lætitiæ fuit, ita mecũ locutus est, ut nullas insidias neq; uitæ suæ, neq; regno diceret se aut intelligere fieri, aut etiã suspicari. Cùm ei ego gratulatus essem, idq; me gaudere dixissem, cohortatus ut recordaretur casum illum interitus paterni,

† & incolumitatem regni defend. Id est pium, et amicũ Romanis. græce autem rectius scriberetur

paterni,& uigilanter se tueretur, atq; admonitu senatus consuleret saluti suæ: tum à me discessit in oppidum Cybistra. Postero autem die cum Ariarate fratre suo, et cũ paternis amicis maioribus natu ad me in castra uenit: perturbatusq;, & flens, cùm idem & frater faceret, & amici, meam fidem, & uestram commendationẽ implorare cœpit. Cùm admirarer, quid accidisset noui: dixit ad se indicia manifestarũ insidiarum esse delata: quæ essent ante aduentum meũ occultata, quòd ij, qui ea patefacere possent, propter metum reticuissent: eo autem tempore spe mei præsidij complureis ea, quæ scirent, audacter ad se detulisse: in his amantissimũ sui summa pietate præditum fratrem dicere ea, quæ is me quoq; audiente dicebat, se solicitatum esse, ut regnare uellet: id uiuo fratre suo accidere non potuisse: se tamen ante tempus illud eam rem nunquam in medium propter periculi metum protulisse. Quæ cùm esset locutus: monui regem, ut omnem diligentiam ad se conseruandum adhiberet: amicosq; in patris eius fide, atq; iudicio probatos hortatus sum, regis sui uitam, docti casu acerbissimo patris eius, omni cura, custodiaq; defenderent. Cùm rex à me equitatum, cohortesq; de exercitu meo postularet: etsi intelligebam uestro senatusconsulto non modò posse me id facere, sed etiam debere: tamen cùm Respu. postularet propter quotidianos ex Syria nuncios, ut quàm primùm exercitum ad Ciliciæ fines adducerem: cumq; mihi rex patefactis iam insidijs non egere exercitu populi Roma. sed posse se suis opibus defendere uideretur: illum cohortatus sum, ut in sua uita conseruanda primùm regnare disceret: à quibus perspexisset sibi insidias paratas, in eos uteretur iure regio: pœna afficeret eos, quos necesse esset: reliquos metu liberaret: præsidio exercitus mei ad eorum, qui in culpa essent, timorẽ potius, quàm ad contentionem uteretur. Fore aũt, ut omnes, quando senatusconsultum nossent, intelligerent me regi, si opus esset, ex autoritate uestra præsidio esse futurũ. Ita confirmato illo, ex eo loco castra moui, & iter in Ciliciam facere instituí: cùm hac opinione è Cappadocia discederẽ, ut consilio uestro, casu incredibili, ac penè diuino Regem, quem uos honorificentissimè appellassetis nullo postulante, quemq; meæ fidei commendassetis, & cuius salutem magnæ uobis curæ esse decreuissetis, meus aduentus præsentibus insidijs liberaret. Quod ad uos à me scribi non alienum putaui, ut intelligeretis ex ijs, quæ penè acciderunt, uos multò antè, ne ea accederent, prouidisse: eoq; uos studiosius fecisse certiores, quòd in rege Ariobarzane ea mihi signa uideor uirtutis, ingenij, fidei, beneuolentiæq; erga uos perspexisse, ut nõ sine causa tantam curam, diligentiamq; in eius uos salutem uideamini contulisse. Vale.

Al. in patris eius. Fuit, quũ ego suspicatus sum legendũ esse, imperijs eius

ARG. EPIST. SEQ.

Scribit ad M. Catonem quid ex legatis Antiochi intellexerit de Parthis, qui Euphratem transire ferebantur: atq; alia multa super eodem negotio.

M. T. C. Proconsul. M. Catoni S. D. 379

CVm ad me legati missi ab Antiocho Cõmageno uenissent in castra ad Iconium † ad III. Non. Septẽb. III. ijq;

† ante diem

Narratio de rebus Parthorum, quam sequitur excusatio, cur de iis rebus nihil ad Senatũ scripserit. Nunciatoria epistola

ijq; mihi nunciassent, regis Parthorum filium quo cum esset nupta regis Armeniorum soror, ad Euphratem cum maximis Parthorum copijs, multorumq; præterea gentiũ magna manu uenisse, Euphratemq; iam transire cœpisse: dicique Armenium regem in Cappadociã impetum esse facturum: putaui pro nostra necessitudine me hoc ad te scribere oportere. Publicè propter duas causas nihil scripsi: quòd & ipsum Commagenum legati dicebant ad senatum statim nuncios, literasq; misisse: & existimabam M. Bibulum proconsulem, qui circiter Idus Sextiles ab Epheso in Syriam nauibus profectus erat, quòd secundos uentos habuisset, iam in prouinciã suam peruenisse: cuius literis omnia certiora perlatum iri ad senatum putabam. Mihi, ut in huiusmodi re, tantoq; bello, maximæ curæ est, ut quæ copijs, & opibus tenere uix possumus, ea mansuetudine, & continentia nostra, sociorum fidelitate teneamus. Tu uelim, ut cõsueſti, nos absentes diligas, & defendas. Vale.

A narratione Quum hanc epistolã scripsit Cicero, nondũ Imp. fuerat appellatus, ut id nomen omitti debeat Cur publice nihil scripserit.

Conclusio

ARG. EPIST. SEQ.

Scripta in superioribus epistolis ad consules, senatumq;, nunc Catoni exponit, & simul quo consilio, & qua arte res maximas aduersus Parthos gesserit, & quæ oppida ceperit quæ Catonis oratione ornata uelit, ad argumentum autem facit epistola secundo lib. in cœpta, Tu uide, &c.

M. T. C. Imp. M. Catoni S. D. 380

Exponit primum hac epistola, res a se in Cilicia gestas & confectas, inde petit a Catone

SVmma tua autoritas fecit, meumq; perpetuum de tua singulari uirtute iudiciũ, ut magni mea interesse putarem, & res eas quas gessissem, tibi notas esse, & non ignorari à te, qua æquitate, & continentia tuerer socios, prouinciamq; administrarẽ. His enim à te cognitis, arbitrabar

arbitrabar facilius me tibi, quæ uellem, probaturum. Cum in prouinciam pridie Cal. Sext. uenissem, & propter anni tempus ad exercitum mihi confestim esse eundum uiderem: biduum Laodiceæ fui: deinde Apameæ quatriduum: triduũ Synnadis: totidem dies Philomeli. Quibus in oppidis cum magni conuentus fuissent: multas ciuitates acerbissimis tributis, et grauissimis usuris, & falso ære alieno liberaui. Cumq; ante aduentũ meum seditione quadam exercitus esset dissipatus, quinq; cohortes sine Legato, sine Trib. militum, deniq; etiam sine Centurione ullo apud Philomelum consedissent: reliquus exercitus esset in Lycaonia: M. †Maneio legato imperaui, ut eas quinq; cohortes ad reliquum exercitum duceret, coactoq; in unum locũ exercitu, castra in Lycaonia apud Iconium faceret. Quod cum ab illo diligenter esset actum, ego in castra ad VII. Calendas Septemb. ueni: cùm intereà superioribus diebus ex Senatusconsulto & euocatorum firmam manum, & equitatum satis idoneum, & populorũ liberorum, *regumq; sociorũ auxilia uoluntaria cõparauissem. Interim cùm exercitu lustrato iter in Ciliciam facere cœpissem, Calendis Septemb. legati à rege Commageno ad me missi, per tumultuose, neq; tamen non uerè, Parthos in Syriam transisse nuntiauerunt. Quo audito, uehementer sum commotus cum de Syria, tum de mea prouincia, de reliqua deniq; Asia. Itaq; exercitum mihi ducendum per Cappadociæ regionem eam, quæ Ciliciam attingeret, putaui. Nã si me in Ciliciam demisissem, Ciliciam quidem

ut dignitatem ipsius in Senatu tueatur & orner. Exordium a causis quibus ad scribendum impulsus sit.

† Anneio

* Al. regumq; & sociorum

dem ipsam propter montis Amani naturam facilè tenuissem (Duo sunt enim aditus in Ciliciam ex Syria: quorũ uterq; paruis præsidijs propter angustias intercludi potest. nec est quicquam Cilicia contra Syriam munitius) sed me Cappadocia mouebat: quæ patet à Syria, regesq; habet finitimos, qui etiam si sunt amici nobis, tamen apertè Parthis inimici esse non audent: itaq; in Cappadocia extrema non longè à Tauro apud oppidum Cybistra castra feci, ut & Ciliciam tuerer, & Cappadociam tenens, noua finitimorum consilia impedirem. Interea in hoc tanto motu, tantaq; expectatione maximi belli, rex Deiotarus, cui non sine causa plurimum semper et meo, & tuo, & senatus iudicio tributum est: uir cum beneuolentia, & fide erga Pop. Rom. singulari, tum *præstanti magnitudine & animi, & cõsilij, legatos ad me misit: se cum omnibus suis copijs in mea castra esse uenturũ. Cuius ego studio, officioq; commotus, egi ei per literas gratias: idq; ut maturaret, hortatus sum. Cum autem ad Cybistra propter rationem belli quinq; dies essem cõmoratus, regẽ Ariobarzanem, cuius salutem à senatu te autore cõmendatam habebã, præsentibus insidijs nec opinantem liberaui: neq; solum ei saluti fui, sed etiã curaui, ut cum autoritate regnaret. Metram, & eum, quem tu diligenter mihi cõmendaras, Athenæum, importunitate Athenaidis exilio mulctatos, maxima apud regẽ autoritate gratiaq; constitui. Cumq; magnum bellum in Cappadocia cõcitaretur, si sacerdos armis se, quod facturus putabatur, defenderet, adolescens & equitatu, & pedi-

Deiotarus rex

Al. præsenti

Ariobarzanes rex

Sacerdos in Cappadocia secũdus post regem, autore Strabone.

tatu, & pecunia paratus † & socijs, qui nouari aliquid uolebãt: perfeci ut è regno ille discederet: rexq; sine tumultu, ac sine armis, omni autoritate aulæ communita, regnum cum dignitate obtineret. Intereà cognoui multorum literis, atq; nuntijs, magnas Parthorũ copias, & Arabum ad oppidũ Antiochiam accessisse, magnumq; eorum equitatũ, qui in Ciliciam transissẽt, ab equitum meorum turmis, & à cohorte prætoria, quæ erat Epiphaneæ præsidij causa, occidione occisum. Quare cum uiderem à Cappadocia Parthorũ copias auersas, nõ longè à finibus esse Ciliciæ: quàm potui maximis itineribus ab Amanum exercitum duxi. Quò ut ueni, hostem ab Antiochia recessisse, Bibulum Antiochiæ esse cognoui: Deiotarumq; cõfestim iam ad me uenientem cũ magno, & firmo equitatu, & peditatu, & cum omnibus suis copijs, certiorem feci, nõ uideri esse causam, cur abesset à regno: meq; ad eum, si quid fortè noui accidisset, statim literas, nuntiosq; missurũ esse. Cũq; eo animo uenissem, ut utriq; prouinciæ, si ita tempus ferret, subuenirem: tamen † id, quod iam antè cõstitueram uehementer interesse utriusq; prouinciæ, pacare Amanum, & perpetuũ hostẽ ex eo monte tollere: agere perrexi. Cumq; me discedere ab eo monte simulassem, et alias parteis Ciliciæ petere, abessemq; ab Amano iter unius diei, & castra apud Epiphaneam fecissem: ad quartum Idus Octobris, cũ aduesperasceret, expedito exercitu ita noctu iter feci, ut ad tertiũ Idus Octobris, cum lucesceret, in Amanũ ascenderẽ, distributisq; cohortibus, et auxilijs, cùm alijs

† extorta ijs, qui no.

Al. tum id

Al. ante diem Id. Oct.

Quintus frater legatus mecũ simul, alijs C. Pontinus lẽ-
gatus, reliquis Marcus† Mannenius, & Lucius Tulleius
legati præessent: plerosq; nec opinanteis oppreßimus,
qui occisi, captiq; sunt: intercluſi reliqui. Fugeranã au-
tem, quæ fuit non uici inſtar, ſed urbis, quòd erat Amani
caput: itemq; Sepyram, & Ceminorim, acriter, & diu
repugnantibus, Pontino illam partem Amani tenente,
ex antelucano tempore uſq; ad horã diei decimam, ma-
gna multitudine hoſtium occiſa cepimus, caſtellaq; ſex
capta, complura incendimus. His rebus ita geſtis, caſtra
in radicibus Amani habuimus apud Aras Alexãdri quã
triduum: & in reliquijs Amani delendis, agriſq; uaſtan-
dis, quæ pars eius montis meæ prouinciæ eſt, id tempus
omne conſumpſimus. Confectis his rebus, ad oppidum
Eleutherocilicum Pindeniſſum exercitũ adduxi: quod,
cum eſſet altißimo, & munitißimo loco, ab ijſq; incole-
retur, qui ne regibus quidem unquam paruiſſent: cũ &
fugitiuos reciperent, & Parthorũ aduentum acerrime
expectarẽt: ad exiſtimationẽ imperij pertinere arbitra
tus ſum, cõprimere eorum audaciam: quo facilius etiam
cæterorum animi, qui alieni eſſent ab imperio noſtro,
frangerentur. Vallo, & foſſa circundedi: ſex caſtellis, ca
ſtriſq; maximis ſepſi: aggere, uineis, turribus oppugna
ui: uſuſq; tormentis multis, multis ſagittarijs, magno la-
bore meo, ſine ulla moleſtia, ſumptúue ſociorũ, ſeptimo
quoque ageſimo die rem confeci: ut omnibus partibus ur-
bis diſturbatis, aut incenſis, compulſi in poteſtatẽ meam
peruenirent. His erant finitimi pari ſcelere, & audacia

†Anneius

Alij legunt, Intercluſi fuga. Eranum.

Epiſt. 10. lib. 2.

Al. Eleutheron cilicon, hoc eſt liberorum Cilicũ nam teſtatur Plinius in illis locis populos plures liberos fuiſſe

Tibarani:

†Tibarani: ab his Pindeniſſo capto obſides accepi. Exercitũ in hyberna dimiſi. Quint. fratrẽ negotio præpoſui, ut in uicis aut captis, aut male pacatis exercitus colloca retur. Nunc uelim tibi ſic perſuadeas, ſi de his rebus ad Senatũ relatũ ſit, me exiſtimaturũ ſummã mihi laudem tributam, ſi tu honorem meũ ſententia tua cõprobaris. Idq;, etſi talibus de rebus grauißimos homines & roga-
re ſolere, & rogari ſcio, tamen admonendũ potius te à me, q̃ rogandũ puto. tu es enim is, qui me tuis ſententijs ſæpißimè ornaſti: qui oratione, qui prædicatione, qui ſummis laudibus in Senatu, in conciombus ad cœlũ ex-
tuliſti: cuius ego ſemper tanta eſſe uerborũ pondera pu
taui, ut uno uerbo tua cum mea laude coniuncto, omnia
cõſequi me arbitrarer. Te deniq; memini, cũ cuidã cla-
rißimo, atq; optimo uiro ſupplicationẽ nõ decerneres,
dicere te decreturũ, ſi referretur ob eas res, quas is Con
ſul in urbe geßiſſet. Tu idem mihi ſupplicationẽ decre-
uiſti togato, nõ ut multis, repub. bene geſta, ſed ut nemi
ni, republica* cõſeruata. Mitto quòd inuidiã, quòd pe-
ricula, quòd omneis meas tẽpeſtates et ſubieris, et mul-
tò etiã magis, ſi per me licuiſſet, ſubire paratißimus fue
ris: quòd deniq; inimicũ meum, tuum inimicũ putaris:
cuius etiam interitum, ut facilè intelligerem, mihi quan
tum tribueres, Milonis cauſa in Senatu defendenda ap-
probaris. Ad me autem hæc ſunt profecta, quæ ego in be
neficij loco non pono, ſed in ueri teſtimonij, atq; iudicij:
non ut præſtantißimas tuas uirtutes tacitus admirarer
(quis enim idem non facit?) ſed in omnibus orationi-

†Tarbani

Autoritas Catonis

Petitio ſeu propoſitio

Peto ut dignitatem meam tueare & augeas.

Enumeratio beneficiorũ Catonis erga ſe.

Cæſari, uide Plutarchum

Beneficia Catonis in Ciceronem collata recenſet.

Coniuratione Catilinæ oppreſſa.

bus, sententijs dicendis, causis agendis, omnibus scriptis, Græcis, Latinis, omni denique uarietate literarũ mearũ, te non modò ijs, quos uidissemus, sed ijs, de quibus audissemus, omnibus anteferrem. Quæres fortasse, quid sit, quòd ego hoc nescio * quid gratulationis, & honoris à Senatu tanti æstimẽ. Agam iam tecũ familiariter, ut est & studijs, & officijs nostris mutuis, & summa amicitia dignum, & necessitudine etiam paterna. Si quisquã fuit unquam remotus & natura, & magis etiã, ut mihi quidem sentire uideor, ratione, atq; doctrina ab inani laude, & sermonibus uulgi, ego profectò is sum. testis est cõsulatus meus: in quo, sicut in reliqua uita, fateor ea me studiosè secutum, ex quibus uera gloria nasci posset: ipsam quidem gloriã per se nunq; putaui expetendam: itaq; & prouinciã ornatã, & spem non dubiã triumphi neglexi. Sacerdotium deniq;, cum (quemadmodũ te existimare arbitror) non difficilimè consequi possem, non appetiui. Idem post iniuriam acceptam, quam tu Reip. calamitatem semper appellas, meam non modò non calamitatem, sed etiam gloriam, studui quàm ornatissima Senatus, populiq; Rom. de me iudicia intercedere. Itaq; & Augur postea fieri uolui, quod antea neglexerã: & * cum honorem, qui à Senatu tribui rebus bellicis solet, neglectũ à me olim, nunc mihi expetendum puto. Huic meæ uoluntati, in qua ineſt aliqua uis desiderij, ad sanandum uulnus iniuriæ, ut faueas, adiutorq; sis, quod paulò antè me negarã rogaturũ, uehementer te rogo: sed ita: si non iciunũ hoc nescio quid, quod ego gesi, & contemnendum

Occupatio

Id est, supplicationis

Propositio

Confirmatio propositionis per uaria argumenta.

Galliã uidelicet, Epist. 2 lib. 5.

Sacerdotium auguratum.

Scilicet supplicationem & triumphũ.

Petitio

A ratione uictoriæ.

nendum uidebitur, sed tale, atq; tantũ, ut multi nequaq; paribus rebus honores summos à Senatu consecuti sint. Equidẽ etiã mihi illud animaduertisse uideor (scis enim quàm attentè te audire soleam) te non tam res gestas, q; mores, instituta, atq; uitam Imperatorũ spectare solere in habendis, aut nõ habendis honoribus. Quòd si in mea causa considerabis, reperies me exercitu imbecillo contra metum maximi belli, firmissimũ præsidium habuisse, æquitatem, & continentiam. His ego subsidijs ea sum consecutus, quæ nullis legionibus consequi potuissem: ut ex alienissimis socijs amicissimos, ex infidelissimis firmissimos redderẽ, animosq; nouarũ rerũ expectatione suspensos ad ueteris imperij beneuolentiã traducerem. Sed nimis hæc multa de me, præsertim ad te, à quo uno omnium sociorum querelæ audiuntur: cognosces ex ijs, qui meis institutis se recreatos putãt. Cumq; omnes uno propè consensu de me apud te ea, quæ mihi optatissima sunt, prædicabunt: tum duæ maximæ clientelæ tuæ, Cyprus insula, & Cappadociæ regnum, tecum de me loquentur: puto etiam regem Deiotarum, qui uni tibi est maximè necessarius. Quæ si etiam maiora sunt: & in omnibus seculis pauciores uiri reperti sunt, qui suas cupiditates, quàm qui hostiũ copias uincerent: est profectò tuũ, cum ad res bellicas hæc, quæ rariora, & difficiliora sunt, genera uirtutis adiunxeris, ipsas etiam illas res gestas iustiores esse, & maiores putare. Extremũ illud est, ut, quasi diffidens rogationi meæ philosophiam ad te allegẽ, qua nec mihi charior ulla unquam res in uita

Maior propositio Minor

Correctio

A continentia sua.

A studio philosophiæ.

Prosopopœia

fuit, nec hominum generi maius à Deis munus ullum est datum. Hæc igitur, quæ mihi tecum cõmunis est, societas studiorum, atq; artium nostrarum, quibus à pueritia dediti, ac deuincti, soli propemodum nos philosophiam illam ueram, & antiquam, quæ quibusdam otij esse, ac desidiæ uidetur, in forum, atq; in Rempublicam, atq; in ipsam aciem penè deduximus: tecum agit de mea laude,

Epilogus

cui negari à Catone fas esse non puto. Quamobrem sic tibi persuadeas uelim: si mihi tua sententia tributus honos ex meis literis fuerit, me existimaturum cùm auctoritate tua, tum beneuolentia erga me, mihi, quod maximè cupierim, contigisse. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Rescribit Cato Ciceroni se libenter fecisse, quod ille superioribus literis petierat, utpote se defendisse uirtutem & innocentiam eius: dicitq; se laudasse, quæ Cicero egisset in prouincia conseruanda, suadet autem, ut potius contentus sit iudicio senatus, q̃ triumpho pro rebus in prouincia fortiter, & feliciter gestis.

M. Cato M. T. C. Imp. S. P. D. 381

A meritis Ciceronis & laudibus Narratuncula.

QVod & Respublica me, & nostra amicitia hortatur, libenter facio, ut tuam uirtutem, innocentiam, diligentiam cognitam in maximis rebus, domi togati, armati foris, pari industria administrare gaudeã. Itaq; quod pro meo iudicio facere potui, ut innocentia, consilioq; tuo defensam prouinciam, seruatum Ariobarzanis cum ipso rege regnum, sociorũ reuocatam ad studium imperij nostri uoluntatem, sententia mea, & de-

Collatio supplicationis & triumphi.

creto laudarẽ, feci. Supplicationem decretam, si tu, qua in re nihil fortuito, sed summa tua ratione, & cõtinentia Reipublicæ prouisum est, dijs immortalibus gratulari

lari nos, q̃ tibi referre acceptum mauis, gaudeo. Quòd si triumphi prærogatiuã putas supplicationẽ, & idcirco casum potius, quàm te laudari mauis: neq; supplicationem sequitur semper triumphus, & triumpho multò clarius est, senatũ iudicare, potius mansuetudine, & innocentia Imperatoris prouinciam, q̃ ui militum, aut benignitate deorũ retentam, atq; conseruatam esse: quod ego mea sententia censebam. Atq; hæc ego idcirco ad te contra consuetudinem meam pluribus scripsi, ut, quod maximè uolo, existimes me laborare, ut tibi persuadeã, me & uoluisse de tua maiestate, quod amplissimum sum arbitratus: & quod tu maluisti, factum esse gaudere. Vale, & nos dilige, & instituto itinere securitatem, indulgentiamq; socijs, & Reipub. præsta.

Al. seuerita-tem.

ARG. EPIST. SEQ.

Licet Cicero aperte dicat se contentum esse laudatione Catonis de rebus suis, putetq; se omnia assecutum, quia Cato per literas gratulatus fuerat supplicationem illi decretam, tamen hoc agit, ut Cato det operam, ut etiam triumphum obtineat, quem sperat assequi posse.

M. T. C. M. Catoni S. P. D. 382

Exordium à χρείᾳ

LAetus sum laudari me, inquit Hector, opinor apud Næuium, abs te pater laudato uiro. Ea est enim profectò iucunda laus, quæ ab ijs proficiscitur, qui ipsi in laude uixerunt. Ego uerò uel gratulatione literarum tuarum, uel testimonijs sententiæ dictæ, nihil est, quod me non assecutum putem. Idq; mihi tum amplissimum, tum gratissimum est, te libẽter amicitiæ dedisse, quod liquidò ueritati dares. Et, si nõ modo unus, uerumetiã multi Catones essent in ciuitate nostra, in qua unum extitisse

Responsoria ad gratulatoriam.

A loco communi exordi tur, & quam grata sibi laus a Catone profecta fuerit.

Al. non modo omnes.

mirabile est: quem ego currum, aut quam lauream cum tua laudatione conferrem? Nam ad meum sensum, & ad illud syncerum, ac subtile iudicium nihil potest esse laudabilius, quàm ea tua oratio, quæ est ad me perscripta à meis necessarijs. Sed causam meæ uoluntatis, non enim dicam cupiditatis, exposui tibi superioribus literis, quæ etiam si parum iusta tibi uisa est, hanc tamen habet rationem, ut non nimis concupiscendus honos, sed tamen si deferatur à senatu minimè aspernandus esse uideatur. Spero autem illum ordinem pro meis ob rempublicã susceptis laboribus, me nõ indignum honore, usitato præsertim, existimaturum. Quòd si ita erit, tantum ex te peto, quod amicissimè scribis: ut, cùm tuo iudicio, quod amplissimum esse arbitraris, mihi tribueris: si id, quod maluero, acciderit, gaudeas. Sic enim fecisse te, & scripsisse, & uerius sensisse uideo: resq; ipsa declarat, tibi illum honorem nostrũ supplicationis fuisse iucundum, quòd scribendo affuisti. Hæc enim senatusconsultũ ignoro ab amicissimis eius, cuius de honore agitur, scribi solere. Ego, ut spero, te propediem uidebo, atq; utinam Repub. meliore, quàm timeo. Vale.

Lib. 4. huius libri.

Petitio, ut sua ipsum sententia iuuet in Senatu.

Epistola superiore.

Conclusio

ARG. EPIST. SEQ.

Gratulatur primum Marcello, quod frater eius cõsul factus sit, deinde petit ut det operã, ut ipsi in prouincia succedatur.

Gratulatur Marco Marcello, quod Consul factus sit, propterea quod ipse Marcellus se bene gessisset in Consulatu. Exponens deinde mutuæ beneuolentiæ causas, rogãsq;, ut det operam, ut sibi succedatur in prouincia, excusat se, quod nihil scripserit.

M. T. C. Proconsul. M. Marcello Cos.

S. P. D. 383

TE & pietatis in tuos, & animi in rempublicam, & clarissi-

clarissimi, atq; optimi consulatus C. Marcello Consule facto fructum cepisse uehementer gaudeo. Non dubito, quid præsentes sentiant. nos quidem longinqui, & à te ipso missi in ultimas genteis ad cœlũ mehercule te tollimus uerissimis, ac iustissimis laudibus. Nã cùm te à pueritia tua unicè dilexerim, tuq; me in omni genere semper amplissimum esse & uolueris, & iudicaris: † tum hoc uel tuo facto, uel populi Rom. de te iudicio * multò acrius, uehementiusq; diligo: maximaq; lætitia afficior, cum ab hominibus prudẽtissimis, uirisq; optimis, omnibus dictis, factis, studijs, institutis uel me tui similem esse audio, uel te mei. Vnum uerò si addis ad præclarissimas res consulatus tui, ut aut mihi succedat quàm primùm aliquis, aut ne quid accedat tẽporis ad id, quod tu mihi & senatusconsulto, & lege finisti: omnia me per te consecutum putabo. Cura ut ualeas, & me absentẽ diligas, atq; defendas. Quæ mihi de Parthis nuntiata sunt, quia non putabam à me etiam nunc scribenda esse publicè, propterea ne pro familiaritate quidem nostra uolui ad te scribere: ne cum ad Consulem scripsissem, publicè uiderer scripsisse. Vale.

Petitoria A gratulatione exorditur

Multum studiũ inter Ciceronem & Marcellum

† tamen

Suffragijs declarato.

Petitio

Epist. 7. li. 2. Cur de Parthis nihil scribat ad Marcellum.

ARG. EPIST. SEQ.

Gratulatur Marcello, quod Consul esset designatus: optat eq; eum consulatũ feliciter gerere pro dignitate patris, rogãs, ut se absentem diligat, & defendat. Credo aũt hanc epistolã debuisse inscribi Caio Marcello, non aũt Marco, ut præcedens satis declarat.

M. T. C. Proc. C. Marcello Cons. Desig. S. P. D. 384

MAxima sum lætitia affectus, cum audiui te Consulem

Epistola offi-

cioſa eſt, quæ Marcello de nouo Conſulatu gratulatur.

lem factum esse: eumq; honorem tibi Deos fortunare uo lo, atq; à te prò tua, parẽtisq; tui dignitate administra ri. Nam cum te semper dilexi, amauiq;, quòd mei aman tissimum cognoui in omni uarietate rerũ mearum: tum patris tui pluribus beneficijs, uel defensus tristibus tem poribus, uel ornatus secundis, necesse est, ut & sim totus uester, & esse debeã: cum præsertim matris tuæ grauiſ simæ, atq; optimæ fœminæ, maiora erga salutem digni tatem q; meam studia, quàm erãt à muliere postulanda, perspexerim. Quapropter à te peto maiorem in mo dum, ut me absentem diligas, atq; defendas. Vale.

Al. a te peto pro tua.

Gratulatoria epistola.

A gratulatione causæ gratulationis

Rationes gratulationis

Iuniæ epistola sequenti.

Conclusio a petitione.

ARG. EPIST. SEQ.

Gratulatur M. Marcello, quod C. Marcellus eius frater Conſul factus sit, idq; propterea quod in utriusque sit commoditatem, propterea quod eiusdem domum saluti, & dignitatis suæ ſtudioſam nouit.

M. T. C. Proc. M. Marcello Collegæ S. P. D. 385.

Gratulatoria

Cur gratuletur Marcello Consulatum.

MArcellum tuum consulem factum, te q; ea lætitia af fectum esse, quàm maximè optasti, miru in modum gaudeo: id q; cùm ipsius causa, tum quòd te omnibus se cundißimis rebus digniſsimum iudico: cuius erga me sin gularem beneuolentiam uel in labore meo, uel in hono re perspexi: totam deniq; domum uestram uel salutis, uel dignitatis meæ studioſisſimam, cupidißimamq; co gnoui. Quare gratum mihi feceris, si uxori tuæ Iuniæ grauißimæ, atq; optimæ fœminæ, meis uerbis eris gra tulatus. A te id, quod consueuisti, peto, me absentem di ligas, atq; defendas. Vale.

Epilogus a petitione.

ARG.

ARG. EPIST. SEQ.

Rogat Marcellum Consulem designatum, ut quãdo accidit habere Magistratũ, cum ei prodesse potest, curet, ut Senatusconsultum honorificentiſsimum de se, hoc est, Cicerone fiat, sibi faueat & in supplicatione decernenda, & cæteris rebus, quod eum facere debere multis causis probat.

M. T. C. Imp. C. Marcello Cons. Desig. S. P. D. 386

Petitoria epistola.

Ab occasione petitionis

QVando id accidit, quod mihi maximè fuit optatum, ut omnium Marcellorum, Marcellinorum etiam (mirificus enim generis, ac nominis uestri fuit erga me semper animus) quando ergo ita accidit, ut omnium ue strum studio tuus Consulatus satisfacere posset, in quem meæ res gestæ, lausq;, & honor earum potißimum inci deret: peto à te id, quòd facilimũ factu sit, non aspernan te, ut confido, Senatu: ut quàm honorificentißimum Se natusconsultum literis meis recitatis faciendum cures. Si mihi tecum minus esset, quàm est cum tuis omnibus, allegarem ad te illos, à quibus intelligis me præcipuè di ligi. Patris tui beneficia in me sunt ampliſsima: neque enim saluti meæ, neq; honori amicior quisquam dici po test. Frater tuus quanti me faciat, semperq; fecerit, esse hominem, qui ignorat, arbitror neminem. Domus tua deniq; tota me semper omnibus summis officijs prosecu ta est. Neq; uerò tu in me diligendo cuiquam concesſisti tuorum. Quare à te peto maiorẽ in modum, ut me per te quàm ornatißimũ uelis esse: meamq; & in supplica tione decernenda, & in cæteris rebus existimationem satis tibi esse commendatam putes. Vale.

Petitio a facili.

A beneficijs patris Marcelli.

A studio fratris eiusdem. M. Mar. patruelis, Epist. 7. huius libri

Conclusio a petitione.

ARG.

ARG. EPIST. SEQ.

Fatetur gratum esse officium Marcelli, & se illi deuinctum: ac demum dicit se propediem uenturum, nisi a uentis impedita fuerit nauigatio sua.

M. T. C. Imp. C. Marcello Cos.

Desig. S. P. D. 387

Officiosa epistola est, a meritis Marcelli et totius familię erga Ciceronem. Epist. 9. huius libri.

QVantæ tibi curæ meus honos fuerit, & quàm idem extiteris Consul in me ornando, & amplificando, qui fueras semper cum * parentibus tuis, & cum tota domo, etsi res ipsa loquebatur, cognoui tamen ex meorum omnium literis. Itaq; nihil est tantum, quod ego nō tua causa debeā, facturusq; sim cum studiose, tum libenter. Nam magni interest, cui debeas. debere autem nemini malui, quàm tibi, cui me cum studia communia, beneficia paterna, tuaq; iam antè coniunxerāt: tum accedit, mea quidem sententia maximū uinculum, quòd ita rempublicam geris, atq; gessisti, qua mihi charius nihil est, ut quantum tibi omnes boni debeant, quò minus tantum dem ego unus debeam, non recusem. Quamobrem tibi uelim bi sint exitus, quos mereris, & quos fore confido. Epilogus a uoto Conclusio Ego si me nauigatio non morabitur, quæ incurrebat in ipsas Etesias, propediem te, ut spero, uidebo. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Gratulatur Paulo de Consulatu: dicit se uelle interfuisse honoribus illius, rogans ne quid temporis sibi prorogetur.

M. T. C. Imp. L. Paulo Cos. Desig.

S. P. D. 388

Petit Cicero ut sibi succedatur. Orditur aūt a gratulatione. Petitoria

ETsi mihi nunquam fuit dubium, quin te populus Romanus pro tuis summis in Rempublicam meritis, & pro amplissima familiæ dignitate, summo studio, cunctis suffragijs

suffragijs consulem facturus esset: tamen incredibili lætitia sum affectus, cum id mihi nuntiatum est: eumq; honorem tibi Deos fortunare uolo, à teq; ex tua, maiorumq; tuorū dignitate administrari. Atq; utinam præsens illū diem mihi optatissimū uidere potuissem, proq; tuis amplissimis erga me studijs, atq; beneficijs tibi operam meam, studiumq; nauare. Quam mihi facultatem quandò hic nec opinatus, & improuisus prouinciæ casus eripuit: tamen ut te Consulem rempublicam pro tua dignitate gerentem uidere possim, magnopere à te peto, ut operā des, efficias, ne quid mihi fiat iniuriæ, né ue quid temporis ad meum annuum munus accedat. Quòd si feceris, magnus ad tua pristina erga me studia cumulus accedet. Vale. Petitio

ARG. EPIST. SEQ.

Itē sibi dolere dicit, quod non fuerit Romæ, cum Paulus consulatum peteret, ut ei auxilio fuisse potuisset. Deinde commendat ei honorem suum in Senatusconsulto habendo, & demum rogat, ne prouincia sibi prorogetur.

M. T. C. Imper. L. Paulo Cons.

S. P D. 389

Petitoria Cur Romæ cum L. Paulo esse uelit & cupiat.

MAximè mihi fuit optatum Romæ esse tecum, multas ob causas, sed præcipuè ut & in petendo, & in gerendo Consulatu meum tibi debitum studium perspicere posses. Ac petitionis quidem tuæ ratio mihi semper fuit explorata: sed tamen nauare operam uolebam. In Consulatu uerò cupio equidem te minus habere negotij: sed molestè fero, me consulem tuum studium adolescentis perspexisse: te meum, cum id ætatis sim, perspicere

A præcedentibus beneficijs

cere nõ posse. Sed ita fato nescio quo cõtigisse arbitror, ut tibi ad me ornandum semper detur facultas: mihi ad remunerandũ nihil suppetat, præter uoluntatẽ. Ornâsti consulatum: ornâsti reditũ meum. Incidit meum tempus rerum gerendarũ in ipsum consulatum tuum. Itaq; cum & tua summa amplitudo, & dignitas, & meus magnus honos, magnaq; existimatio postulare uideatur, ut à te plurimis uerbis contendã, ac petam, ut quàm honorificentissimum Senatusconsultum de meis rebus gestis faciendum cures: nõ audeo uehementer à te cõtendere, ne aut ipse tuæ perpetuæ consuetudinis erga me oblitus esse uidear, aut te oblitũ putem. Quare ut te uelle arbitror, ita faciam: atq; ab eo, quem omnes gentes sciunt de me optime meritũ, breuiter petã. Si alij consules essent, ad te potissimum Paule mitterem, ut eos mihi quàm amicissimos redderes. nũc cũ tua summa potestas, summaq; autoritas, notaq; omnibus nostra necessitudo sit, uehementer te rogo, ut & quàm honorificentissimè cures decernendum de meis rebus gestis, & quàm celerrimè.

Extenuat sua erga Paulum merita, & Pauli erga se beneficia amplificat.

In Cilicia

Petitio

C. Marcellũ

Dignas res esse & honore, & gratulatione, cognosces ex ijs literis, quas ad te, & collegã, & senatum publicè misi: omniumq; mearum reliquarum rerum, maximeq; existimationis meæ procurationem susceptam uelim habeas. In primisq; tibi curæ sit quod abs te superioribus quoq; literis petiui, ne mihi tempus prorogetur. Cupio

Alia petitio

te Cõsulem uidere, omniaq;, quæ spero, cum absens, tum etiam præsens te Consule assequi. Vale.

ARG.

ARG. EPIST. SEQ.:

Scripta est hæc epistola ante bella ciuilia, cum Cicero Ciliciæ præesset. Pollicetur itaq; primum se omnia studiosissime facturum pro Marco Fabio sibi a Cassio commendato. Exponit etiam, quid sentiat de reditu suo in urbem. Postremo ab eo petit, ut diligentissime curet ne quid temporis sibi prorogetur.

M. T. C. C. Cassio Proquæst.

S. P. D. 390

Responsio ad cõmendationem M. Fabi factam a Cassio Cicer.

Gratulatoria

Hortatoria

Al. Quòd abs eo egregiè diligeris

Marcum Fabium quòd mihi amicum tua commendatione das, nullũ in eo facio quæstũ. multi enim etiã anni sunt, cum ille in ære meo est, & à me diligitur propter summam suam humanitatem, & obseruantiã. Sed tamen, quòd ab eo te egregiè diligi sensi, multò ei amicior sum factus. Itaq; quanquam profecerint literæ tuæ: tamen aliquantò plus commendationis apud me habuit animus ipsius erga te mihi perspectus, & cognitus. Sed de Fabio faciemus studiosè, quæ rogas. tu multis de causis uellem me conuenire potuisses: primùm, ut te, quem iandiu plurimi facio, tanto interuallo uiderem: deinde, ut tibi, quod feci per literas, possem præsens gratulari: tum, ut quibus de rebus uellemus, tu tuis, ego meis inter nos communicaremus: postremò, ut amicitia nostra, quæ summis officijs ab utroq; culta est, sed longis interuallis temporum interruptam consuetudinem habuit, confirmaretur uehementius. Id quando nõ accidit, utemur bono literarum, & eadem ferè absentes, quæ si coràm essemus, cõsequemur. Vnus scilicet ille fructus, qui in te uidendo est, percipi literis non potest. alter gratulationis est, & is quidem exilior, quàm si tibi teipsum intuens gratularer. Sed tamen & feci antè, & facio nunc,

Causæ ob quas uelit quòd Cassius eũ conuenire potuisset

Principalis propositio huius epistolæ, cui additæ sunt rationes.

R

Gratulatur Cassio

nunc, tibiq; cum pro rerum magnitudine, quas gessisti, tum pro opportunitate temporis gratulor, quòd te de prouincia decedentẽ summa laus, & summa gratia prouinciæ prosecuta est. Tertium est, ut id, quod de nostris rebus coràm communicassemus inter nos, conficiamus literis. Ego cæterarum rerum causa tibi Romam properandum magnopere censeo. Nam & ea, quæ reliqui, tranquilla de te erant, & hac tua recenti uictoria tanta, clarum aduentum tuum fore intelligo. sed si quæ sunt onera tuorum, si tanta sunt, ut ea sustinere possis, nihil tibi erit lautius, nihil gloriosius: sin maiora, considera, ne in alienissimum tempus cadat aduentus tuus. Huius rei totum consilium tuum est. tu enim † sentis, quid sustinere possis. Si potes, laudabile, atque populare est: sin planè non potes, absens hominum sermones facilius sustinebis. De me autem idem tecũ his ago literis, quod superioribus egi, ut omneis tuos neruos in eo contẽdas, ne quid mihi ad hanc prouinciam, quam & senatus, & populus annuam esse uolunt, temporis prorogetur. Hoc à te ita contendo, ut in eo fortunas meas positas putem. Habes Paulum nostrum nostri cupidissimum: est Curio: est Furnius. Sic uelim enitare, quasi in eo sint mihi omnia. Extremum illud est de ijs, quæ proposueram: confirmatio nostræ amicitiæ: de qua pluribus uerbis nihil opus est. Tu puer me appetisti, ego autem semper ornamento te mihi fore duxi. Fuisti etiam præsidio tristissimis meis temporibus. accessit post tuum discessum familiaritas mihi cum Bruto tuo maxima. Itaque in uestro

Hortatur Cassium, ut Romã properet

Ab honesto Dilemma

Petitio A facili

† scis

Petitio, ut det operã, quo sibi succedatur

Narratio de mutuis inter Cassium, & Ciceronẽ beneficijs

stro ingenio, & industria mihi plurimum & suauitatis, & dignitatis constitutum puto. Id tu, ut tuo studio confirmes, te uehementer rogo, literasq; ad me, & continuò mittas, & cùm Romam ueneris, quàm sæpissimè. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Declarat sententiam suam de exitu bellorum ciuilium inter Cęsarem, & Pompeiũ, & quid alij arbitrarentur, deinde scribit se non potuisse ad Cæsarem uenire, quemadmodum festinauerat. Itaq; petit a Cassio ut ad se scribat, quid sentiat, & quid expectandum, & quid agendum putet.

M. T. C. C. Cassio S. P. D. 391

Expositio consiliorũ Ciceronis & Cassij in bello ciuili

Nunciatoria. Exorditur a consilio, quo uterq; bello ciuili interfuerit

Narrat ea quę & ex bello ciuili futura cognouerit, & quæ cõsecuta sunt

Al. reprehendit, præter eos

ETsi uterque nostrum spe pacis, & odio ciuilis sanguinis abesse à belli necessaria pertinacia uoluit: tamen quando eius consilij princeps ego fuisse uideor, plus fortasse tibi præstare ipse debeo, quàm à te expectare. Etsi ut sæpe soleo mecum recordari, sermo familiaris meus tecum, & item mecum tuus adduxit utrunque nostrum ad id consilium, ut uno prælio putaremus, si non totam causam, at certè nostrum iudicium definiri conuenire. neque quisquam hanc nostram sententiam uerè unquã reprehendit. Prætereo, † qui arbitrantur melius esse deleri omnino Rempub. quàm imminutam, & debilitatam manere. Ego autem ex interitu eius nullam spem scilicet mihi proponebam, ex reliquijs magnam. Sed ea sunt consecuta, ut magis mirum sit accidere illa potuisse, quàm nos non uidisse ea futura, nec, cùm homines essemus, diuinare potuisse. Equidem fateor meam coniecturam hanc fuisse, ut illo quasi quodam fatali prælio facto, & uictores communi saluti consulere uellent,

primo, hoc est, Pharsalico

& uicti suæ. utrunq; autem positum esse arbitrabar in celeritate victoris. Quæ si fuisset, eandem clementiam experta esset Aphrica, quam cognouit Asia, quam etiã Achaia, &, ut opinor, ipso legato, ac deprecatore. A-

hoc est, Cæsare

missis autem temporibus, quæ plurimum ualent, præsertim in bellis ciuilibus, interpositus annus alios induxit, ut uictoriam sperarent, alios ut ipsum uinci contemnerent, atq; horum malorum omnium culpam fortunæ sustinet. Quis enim aut Alexandrini belli tantam moram huic bello adiunctum iri, aut nescio quẽ istum Pharnacem Asiæ terrorẽ illaturum putaret? Nos tamen in con-

Mithridatis filium Ponti regem

silio pari, casu dissimili usi sumus. tu enim eam partẽ pe tisti, ut & consilijs interesses, &, quod maximè curam leuat, futura animo perspicere posses: ego, qui festinaui, ut Cæsarem in Italia uiderẽ (sic enim arbitrabamur) eumq; multis honestissimis uiris conseruatis redeuntẽ, ad pacem currentem, ut aiunt, incitarem: ab illo lõgissimè & absum, & abfui. Versor autem in gemitu Italiæ, & in urbis miserrimis querelis: quibus aliquid opis fortasse ego pro mea, tu pro tua, pro sua quisq; parte ferre potuisset, si autor affuisset. Quare uelim pro tua erga

Petitio

me perpetua beneuolentia, scribas ad me, quid uideas, quid sentias, quid expectandum, quid agendum nobis existimes. Magni erunt mihi tuæ literæ: atq; utinam prioris illis, quas Luceria miseras, paruissem: sine ulla enim

Al. Nuceria

molestia dignitatem meam retinuissem Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Arguit Cassiũ negligentiæ, quod ab eo nihil literarũ acceperit, cum tres ad eum epistolas dederit, significat q̃ eum factum Epicureum, laudat tamen facta eius.

M. T. C. C. Cassio S. P. D. 392

Iocosa epistola, iocatur enim in Cassiũ Epicureũ factum, & Epicureorũ ineptias derider. A ioco exoritur

PVto te tam suppudere, cum hæc te tertia iam epistola anteà oppreßit, quàm tu schedulam, aut literam: sed non urgeo. longiores enim expectabo, uel potius exigam. Ego, si semper haberem, cui darem, uel ternas in hora darem. Fit enim nescio quid, ut quasi coràm adesse uideare, cum scribo aliquid ad te: neq; id κατ' εἴδωλα, ἢ φαντασίας, ut dicunt tui amici noui, qui putant etiam διανοητικὰς φαντασίας spectris Catianis excitari. Nam, ne te fugiat, Catius † insuper Epicureus, qui nuper est mortuus, quæ ille Gargettius, etiam antè Democritus εἴδωλα, hic spectra nominat. His autem spectris etiam si oculi possent feriri, quòd uel ijs ipsa occurrunt: animus quî possit, ego non uideo: doceas tu me oportebit, cum saluus ueneris, in meá ne potestate sit spectrum tuum, ut simul ac mihi collibitum sit de te cogitare, illud occurrat: neq; solùm de te, qui mihi hæres in medullis: sed si insulam Britanniam cœpero cogitare, eius εἴδωλον mihi aduolet ad pectus. Sed hæc posteriora: tento enim te, quo animo accipias. si enim stomachabere, & molestè feres, plura dicemus: postulabimusq; ex qua hæresi ui hominibus armatis deiectus sis, in eam restituare. In hoc interdicto non solet addi, in hoc anno. Quare si iam biennium, aut triennium est, cum uirtuti nuntium remisisti, delinitus illecebris uoluptatis, in integro res nobis erit. quanquàm qui cum loquor? cum

Id est, secundum species, uel phantasmata.

Id est, intellectiuas imagines.

† Insuber

Id est, simulachra

Id est, spectrũ

uno fortißimo uiro, qui poſtea quàm forum attigiſti, nihil feciſti, niſi pleniſſimum ampliſſimæ dignitatis. in iſta ipſa ἀξιώσει metuo ne plus neruorum ſit, quàm ego putarim, ſi modò eam tu probas. Quid tibi in mentem uenit, inquies? quia nihil habebam aliud, quod ſcriberem. de Repub. enim nihil ſcribere poſſum. neq; enim quod ſentio, libet ſcribere.

Id eſt, ſecta

ARG. EPIST. SEQ.

Conqueritur de tabellarijs Caſsij: qui cum nullas a Caſsio afferrent literas, poſtularent ad eum deferendas. Narrat de morte D. Syllæ, de Hiſpania, & laudat Dolabellam.

M. T. C. C. Caſsio S. P. D. 393

Narrationes de rebus urbanis. Nunciatoria. Conqueritur in exordio de præpoſteris Caſsij tabellarijs.

PRæpoſteros habes tabellarios, etſi me quidem non offendunt: ſed tamen cum à me diſcedunt, flagitant literas: cum ad me ueniunt, nullas afferunt: atq; idipſum facerent commodius, ſi mihi aliquid ſpatij ad ſcribendũ darent: ſed petaſati ueniunt: comites ad portam expectare dicunt. Ergo ignoſces. alteras habebis, has breueis, ſed expecta πάντα περὶ πάντων. etſi quid ego

Id eſt, omnia de omnibus

me tibi purgo, cum tui ad me inanes ueniant, ad te cum epiſtolis reuertantur? Tamẽ ad te ſcribam aliquid. Nos hic D. Syllam patrem mortuum habebamus. alij à latronibus, alij cruditate dicebant: populus non curabat: combuſtum enim eſſe conſtabat: hoc tu pro ſapiẽtia tua

Id eſt perſonam ciuitatis.

feres æquo animo: quanquàm πρόσωπον πόλεως amiſimus. Cæſarem putabant moleſtè laturum, uerentẽ ne haſta refrixiſſet. Mindius Marcellus, & Actius Pigmentarius ualde gaudebant ſe aduerſarium perdidiſſe. De Hiſpania noui nihil, ſed expectatio ualde magna: rumores

rumores triſtiores, ſed ἀδέσποτοι. Panſa noſter paludatus ad III. Cal. Ian. profectus eſt, ut quiuis intelligere poſſet, id quod tu nuper dubitare cœpiſti τὸ καλὸν δι' αὑτὸ αἱρετὸν eſſe. Nam quòd multos miſerijs leuauit, & quòd ſe in his malis hominem præbuit, mirabilis eũ uirorum bonorum beneuolentia proſecuta eſt. Tu quòd adhuc Brunduſij moratus es, ualde probo, & gaudeo: & mehercule puto te ſapienter facturum, ſi ἄχρειος πῖλος fueris. Nobis quidem, qui te amamus, erit gratum: & amabo te, cum dabis poſthac aliquid domum literarum, mei memineris. Ego nunquàm quenquam ad te, cum ſciam, ſine meis literis ire patiar. Vale.

Id eſt, ſine autore

Id eſt, honeſtum propter ſeipſum eligẽdum

Id eſt, inutilis galea

ARG. EPIST. SEQ.

Excuſat breuitatem ſuarum literarum: dicit rempub. eſſe in flebili ſtatu. Vnde gratulatur Caſsio, quod abeſt.

M. T. C. C. Caſsio S. P. D. 394

Excuſat ſe in exordio ob breuitatẽ huius epiſtolæ

LOngior epiſtola fuiſſet, niſi eo ipſo tempore petita eſſet à me, cum iam iretur ad te: longior etiam, ſi φαιδρὸν aliquẽ habuiſſet: nam σπουδάζειν ſine periculo uix poſſumus. Ridere igitur, inquies, poſſumus: non mehercule facilimè: ueruntamen aliam aberrationem à moleſtijs nullam habemus. Vbi igitur, inquies, philoſophia † tua? & quidem in culina mea moleſta eſt: pudet enim ſeruire. Itaque facio me alias res agere, ne conuicium Platonis audiam. De Hiſpania nihil adhuc certi, nihil omnino noui. Te abeſſe, mea cauſa moleſtè fero: tua, gaudeo. Sed flagitat tabellarius.

Id eſt hilarẽ. Id eſt, feria ſcribere.

† tua illa quidem inquilina? ea mihi moleſta eſt: puto.

Valebis igitur, meq; ut à puero feciſti, amabis.

ARG. EPIST. SEQ.

Reſpondet ad illam quæ incipit, Puto iam te: & ad illam, Præpoſteros habes tabellarios, & ad reliquas a Cicerone ſcriptas, inſerens, ut ille fecerat, Græcum ſermonem.

C. Caſſius M. T. C. S. P. D. 395

Cui libenter ad Ciceronẽ ſcribat.

NOn mehercule in hac mea peregrinatione quicquã libentius facio, quam ſcribo ad te. uideor enim cum præſente loqui, & iocari. Nec tamen hoc uſu uenit propter ſpectra Catiana: pro quo tibi proxima epiſtola totos rusticos Stoicos regeram, ut Catium Athenis natum eſſe dicas. Panſam noſtrum ſecunda uoluntate hominum paludatum ex urbe exiſſe, cum ipſius cauſa gaudeo, tũ mehercule etiam omnium † noſtrũ. Spero enim homines intellecturos, quantò ſit omnibus odio crudelitas, & quanto amori probitas, & clementia: atq; ea, quæ maximè mali petant, & concupiſcant, ab bonos peruenire. Difficile eſt enim hominibus perſuadere τὸ καλὸν δι' αὑτὸ αἱρετὸν eſſe: ἡδονὴν uerò, & ἀοχλησίαν uirtute, iuſtitia, τῷ καλῷ parari, & uerum, & præterea probabile eſt. ipſe enim Epicurus, à quo omnes Catij, & Amaſinij mali uerborum interpretes proficiſcuntur, dicit: οὐκ ἔστιν ἡδέως ἄνευ τοῦ καλῶς, καὶ δικαίως ζῆν. Itaq; & Panſa, qui ἡδονὴν ſequitur, uirtutem retinet: & ij, qui à nobis φιλήδονοι uocantur, ſunt φιλόκαλοι, καὶ φιλοδίκαιοι, omnesq; uirtutes & colunt, & retinent. Itaq; Sylla, cuius iudicium probare debemus, cum diſſentire philoſophos uideret, non quæſiuit quid bonum eſſet, & omnia bona coẽmit: cuius ego mortem forti

† noſtrorũ

Id eſt, honeſtum propter ſeipſum eligẽdum.

Id eſt, uoluptatis.

Id eſt, indolẽtiam.

Id eſt, bono & honeſto.

Id eſt, Vita eſſe iucunda, niſi honeſta eadem ac iuſta, nõ poteſt.

Id eſt, uoluptatis ſtudioſi.

Id eſt, honeſti amantes, & iuſtitiæ ſtudioſi.

forti mehercule animo tuli. Nec tamen Cæſar diutius eos eum deſiderare patietur, nam habet † damnatos, quos pro illo nobis reſtituat: nec ipſe ſectorem deſiderabit cum filium uiderit. Nunc ut ad Rempu. redeam, quid in Hiſpanijs geratur, reſcribe. Peream, niſi ſolicitus ſum, ac malo ueterem, & clementem dominum habere, quàm nouum, & crudelem experiri. Scis, Cneus quàm ſit fatuus: ſcis, quomodo crudelitatem uirtutem putet: ſcis, quàm ſe ſemper à nobis deriſum putet. Vereor, ne nos ruſticè gladio uelit ἀντιμυκτηρίσαι. Quid fiat, ſi me diligas, reſcribe. Hui quàm uelim ſcire, utrum iſta ſolicito animo, an ſoluto legas. ſciam enim eodem tempore, quid me facere oporteat. Ne longior ſim, uale, & me, ut facis, ama. Si Cæſar uicit, celeriter me expecta. Vale.

† domi natos

Id eſt, uiciſſim irridere

ARG. EPIST. SEQ.

Dicit ſe dediſſe Oratorem ſuum, id eſt, librum de oratore, deſerendum ad Trebonium. Deinde rogat, ut ad ſe crebro ſcribat, & de eius itinere ſe doceat.

M. T. C. Trebonio S. D. P. 396

Familiaris epiſtola

ORatorem meum, ſic enim inſcripſi, Sabino tuo commendaui. Natio me hominis impulit, ut ei rectè putarem, niſi fortè candidatorum licentia hic quoq; uſus, hoc ſubitò cognomen arripuit, etſi modeſtus eius uultus, ſermoq; conſtans, habere quiddam à Curibus uidebatur. Sed de Sabino ſatis. Tu mi Treboni, quãdo ad amorem meum aliquantum olim diſcedens addidiſti, quo tolerabilius feramus igniculũ deſiderij tui, crebris nos literis appellato, atq; ita, ſi idem fiet à nobis, quanquàm

Propoſitio ſeu petitio, ſæpe ad me ſcribite

Cur Trebonius frequentius ſibi Cicero ſcribere literas debeat.

duæ causæ sunt, cur tu frequentior in isto officio esse debeas, quàm nos. primùm, quòd olim solebant, qui Romæ erant, ad prouinciales amicos de Repub. scribere, nunc tu nobis scribas oportet. Res enim publica istic est. deinde, quòd nos alijs officijs tibi absenti satisfacere possumus: tu nobis, nisi literis, non uideo, quare alia satisfacere possis. Sed cætera scribes ad nos posteà. Nunc hæc primò cupio cognoscere: iter tuũ cuiusmodi sit ad nos: ubi Brutũ nostrũ uideris, quandiu simul fueris. Deinde, cùm processeris longius, de bellicis rebus, de toto negotio, ut existimare possimus, quo statu simus. Ego tantũ me scire putabo, quantum ex tuis literis habebo cognitũ. Cura ut ualeas, meq; ames amore illo tuo singulari. Vale.

Ratiões duæ

Quæ ex Trebonio cognoscere uelit

ARG. EPIST. SEQ.

Scripserat Trebonius librum, in quo uehementer laudat dicta Ciceronis: quem Cicero dicit se libẽter legisse, cognouisseq; ex illo magnum eis erga se amorem: deinde respondet Trebonio de literis missis ad Caluum, exponens quare eum laudauerit, &c.

M. T. C. Trebonio S. P. D. 397

Quid doloris ex epistola Trebonij acceperit, & quid eum cõsoletur.

ET epistolam tuam legi libenter, & librum libentissimè, sed tamen in ea uoluptate hunc accepi dolorem, quòd cùm incendisses cupiditatem meam consuetudinis augendæ nostræ (nam ad amorem quidem nihil poterat accedere) tum discedis à nobis, meq; tanto desiderio afficis, ut unam mihi consolationem relinquas, fore, ut utriusq; nostrum absentis desiderium crebris, & longis epistolis leniatur. Quod ego non modò de me tibi spondere possum, sed de te etiam mihi. Nullam enim apud me reliquisti dubitationem, quantum me amares.

Amorẽ Trebonij erga se Ciceronẽ argumentis tacitis exponit

Nam

Distributio Testimoniũ amoris Trebonij erga Ciceronem

Nam, ut illa omittam, quæ ciuitate teste feciſti, cùm mecum inimicitias communicasti, cum me cõcionibus tuis defendisti, cum quæstor in mea, atq; in publica causa cõsulum parteis suscepisti, cùm Trib. pleb. Quæstor non paruisti, cui tuus præsertim collegæ parêret: ut hæc recentio, quæ meminero semper, obliuiscar: quæ tua solicitudo de me in armis, quæ lætitia in reditu, quæ cura, qui dolor, cùm ad te curæ, & dolores mei perferrẽtur, Brundusium deniq; te ad me uenturum fuisse, nisi subitò in Hispaniam missus esses, ut hæc igitur omittã, quæ mihi tanti æstimanda sunt, quanti uitam æstimo, & salutem meam, liber iste, quem mihi misisti, quantam habet declarationem amoris tui? primùm quòd tibi facetũ uidetur, quicquid ego dixi, quod alijs fortasse non itẽ, deinde, quòd illa siue faceta sunt, † siue sic fiunt, narrante te, uenustissima, quin etiam antè quàm ad me ueniatur, risus omnis penè consumitur. Quòd si in his scribendis nihil aliud nisi, quod necesse fuit, de uno me tandiu cogitauisses, ferreus essem, si te non amarem. Cùm uerò ea, quæ scriptura persecutus es, sine summo amore cogitare non potueris: non possum existimare, plus quenquam à seipso, quàm me à te amari. Cui quidẽ ego amori, utinam cæteris rebus possem, amore certè respondebo: quo tamen ipso tibi confido facturum satis. Nunc ad epistolã uenio, cui copiosè, & suauiter scriptæ nihil est, quòd multa respondeã. Primùm enim ego illas Caluo literas misi, non plus, quàm has, quas nunc legis, existimãs exituras. aliter enim scribimus, quod eos solos, quibus mittimus:

† siue non, fiunt, sic narr.

Iudiciũ & cõsilium de Caluo narras

Epilogus

mittimus: aliter, quod multos lecturos putamus. Deinde ingenium eius melioribus extuli laudibus, quàm tu id uerè potuisse fieri putas: Primùm, quòd ita iudicabam, acutè mouebatur. genus quoddam sequebatur, in quo iudicio lapsus, quo ualebat, tamen assequebatur, quod probaret. Multæ erant, & reconditæ literæ: uis non erat. Ad eam igitur adhortabar. In excitando autem, & in acuendo plurimum ualet, si laudes eum, quẽ cohortere. Habes de Caluo iudicium, et consiliũ meum: consilium, quòd hortandi causa laudaui: iudicium, quòd de ingenio eius ualde existimaui benè. Reliquum est, tuam profectionem amore prosequar: reditum spe expectem: absentem memoria colam: omne desiderium literis mittendis, accipiendisq; leniam. Tu uelim tua in me studia, & officia multum tecum recordere. quæ cũ tibi liceat, mihi nefas sit obliuisci, non modo uirum bonum me existimabis, uerum etiam te à me amari plurimum iudicabis. Vale.

ANNOTATIONES AC Castigationes in decimumquintũ librũ Epist. Famil. Ciceronis.

In Epist. 1.

M▸ Bibulo Procos) Syriæ
Commageni) Plin. lib. 5. cap. 12.
Legati primi) Epist. 3. huius libri
Tarchondimoto) Partis Gallograeciæ uel Ciliciæ secundũ Dionem tetrarcha, quem Tarcundarium Cæsar appellat
Orodis) Hunc Plutarchus non semel Herodem uocat
Iamblicho) Sampsiceramí filio
Philarcho) Et dignitatis, & gentis hoc nomen esse potest. Arabes

bes enim quidam Philarchi, Strabone autore nominantur

In Epist. 2.

Triduí) quinq; dies scribit & epist. 4. huius libri, & libro 5. ad Atteium
Regni defenderem) Al. regnumq; defenderem
Nostro ordine) Senatorio. Al. uestro ordine
In patris eius fide Al. in patris eius. Fuit, quum ego suspicatus sum legendum esse, imperijs eius

In Epist. 3.

Regis Parthorum filium) Pacorum
Regis Armeniorum) Artuasde qui Tigranis fuit filius: quem modo Artuasdem, modo Artabasden appellari uideo
Armenium regem) ipsum Artuasden

In Epist. 4.

Regumq; sociorum) Al. Regnumq;, & sociorum
Præstanti) Al. præsenti
Sacerdos) Sacerdos, autore Strabone, in Cappadocia secundus post regem erat in honore, sæpiusq; reges & sacerdotes ex eadem erant gente
Totoijs) Alij, socijs. Alij, omnino ijs legunt. Alij ijs & paulo post, E toto regno: ut uerbum illud e loco suo in alienum migrarit
Vtriq; prouinciæ) Syriæ & Ciliciæ. Al. tamen legitur, utrinque prouinciæ

In Epist. 6.

Abs te pater laudato uiro) Al. abs te pater a laudato uiro: ut etiam in Tusc. 4. legitur

In Epist. 7.

Simílem) Æmulum quoq; & imitatorem studiorum & laborum suorum, in oratione pro ipso, & in Bruto uocat

In Epist. 8.

Quod mei amantissimum) Al. quum mei iam amantissimum

In Epist. 9.

M. Marcello) Al. C. Marcello idq; recte
Collegæ) in auguratu: quod ex lib. 2. de Diuinatione disces.
Mirum) Al. mirandum

In Epist. 14.

C. Cassio Proquest. Epist. 10. lib. 8.
M. Fabium) Epist. 14. lib. 2.
Conuenire potuisses in Cilicia

Tanta

Tãto interuallo) ad annos quatuor, hoc est, a profectione Crassi in Parthos ad L. Paulum & C. Marcellum Cos.

Quas gessisti) in Syria contra Parthos.

In Epist. 15.

Belli necessaria pertinacia) Al. belli pertinacia.

Reprehendit prætereo) Al. reprehendit, præter eos. intelligit, autem eos, qui bellum in Africa renouarunt.

Miserrimis querelis) propter scelera, & seditiones M. Antonij magistri equitum, & L. Trebellij, atq; P. Dolabellæ Trib. pleb.

In Epist. 16.

Te oppressit) Al. operis sit.

Schedulam) Al. scedam. alij legunt, syllabam.

Quod uelis, ipsa accurrunt) Iis facile assentior, qui legũt. Quod uel ijs ipsa occurrunt.

In mea ne potestate sit) Al. in mea potestate ut sit.

Vi hominibus) Epist. 13. lib. 7.

Si iam) Alij legunt, etiamsi

Libet) nonnulli malunt, Licet.

In Epist. 17.

Nos hic (tamen ad te scribam aliquid) P. Syllam patrem mortuum habebamus, Epist. 10. lib. 9.

Enim esse constabat) Al. tamen esse constabat.

Ante diem Cal.) Al. ad 3. Calend.

In Epist. 18.

Facio) Alij legunt, scito.

In Epist. 19.

A nobis) Epicureis. Al. a nobis.

Itaq; Sylla) Epist. 17. huius lib.

Quid bonum esset) Iouis ex ambiguo.

Dominatos) Al. damnatos.

In Epist. 20.

Sit ad nos: ubi) Al. sit: ubi.

In Epist. 21.

Epistolam tuam) 16. lib. 12.

Cui tuus) Al. quum tuus

Sine non fiunt, sic) Al. siue sic fiunt. Vide, an legi debeat: siue secus, fiunt

Futurum satis) Al. facturum satis

Caluo) Epistola 25. lib. 7.

Quod ita iudicabã) Quidã sic legunt, ita iudicabam, quod.

M. T.

M. T. CICERONIS

EPISTOLARVM FAMILIARIVM LIBER XVI.

ARG. EPIST. SEQ.

Tironem libertum suum propter doctrinam, fidemq; eius singularẽ Cicero ita dilexit, ut filiũ, quocirca cũ ex Cilicia rediens reliquisset eum in Achaia propter ualetudinẽ, ad eũ nunc scribit, quid faciat, & quomodo saluti consulat. Et huius libri epistolæ pleræq; omnes ad Tironem Ciceronis libertum scriptæ sunt, ex quib⁹ animus Ciceronis erga doctos satis cognoscitur. Monet aũt hac epistola Tyronem, ut ualetudinem suam diligenter curet, & huius argumenti sunt pleræq; huius libri epistolæ.

M. T. C. & Cicero F. Tyroni humaniß. & opt. S. P. D. 398

Narratoria, & hortatoria

A narratione orditur

VIDE *quanta in te sit suauitas: duas horas Thyrei fuimus: Xenomenes hospes tam te diligit, quàm si uixerit tecum. Is omnia pollicitus est, quæ tibi esset opus facturũ puto. Mihi placebat, si firmior esses, ut te Leucadẽ deportares, ut ibi te planè cõfirmares. Videbis quid Curio, quid Lysoni, quid medico placeat. Volebam ad te Marionem remittere: quem cùm meliusculè tibi esset, ad me mitteres: sed cogitaui unas literas Marionẽ asserre posse, me aũt crebras expectare. poteris igitur, & facies, si me diligis, ut quotidie sit Acastus in portu. Multi erunt, quibus rectè literas dare poßis, qui ad me libenter perferant. Equidẽ Patras eun-* Hortatiũcula *tem neminem prætermittam. Ego omnem spem tui diligẽter curãdi in Curio habeo. Nihil potest illo fieri humanius, nihil nostri amantius. Ei te totum trade. malo*

te paulò

te paulò pòst ualentem, quàm statim imbecillum uidere. Cura igitur nihil aliud, nisi ut tu ualeas: cætera ego curabo. Etiam atq; etiam uale. Leucade proficiscens, VII. Idus Nouembr.

M. T. C. Tironi S. P. D.

Hortatoria et narratoria. Scribit se & fratrẽ sollicitos de ualetudine Tironis. Hortatio

SEptimum iam diem Corcyræ tenebamur. Qu. autem autem frater, & filius Buthroti soliciti eramus de tua ualetudine mirum in modum: nec mirabamur nihil à te literarum. his enim uentis istinc nauigatur, qui si non essent, nos Corcyræ non sederemus. Cura igitur te, & confirma: &, cum commodè & per ualetudinem, & per anni tempus nauigare poteris, ad nos amantissimos tui ueni. Nemo nos amat, qui te non diligat: charus omnibus, expectatusq; uenies. Cura ut ualeas etiam atq; etiã Tiro noster. Vale. XV. Calen. Nouemb. Corcyrâ.

ARG. EPIST. SEQ.

Ostendit se dolere quod dereliquerit Tironem: sed id fecerat, quia ita uoluit Tiro, qui noluit nauigare, donec esset conualescens: unde hortatur, ut Patris maneat.

M. T. C. & Cicero meus & fr. & fratris fil. Tironi. S P. D. 400

Se ualde desiderare Tironem ostendit.

PAulò facilius putaui posse me ferre desideriũ tui: sed plane non fero. & quanquàm magni ad honorem nostrum interest, quàm primùm ad urbem me uenire, tamen peccasse mihi uideor, qui à te discesserim. Sed quia tua uoluntas ea uidebatur esse, ut prorsus nisi confirmato corpore nolles nauigare, approbaui tuum consilium: neq; nunc muto, si tu in eadem es sententia. Sin prostea, quàm cibum cepisti, uideris tibi me posse consequi tuum

tuum consilium est. Marionẽ ad te eò misi, ut aut tecum ad me quàm primùm ueniret: aut, si tu morarêre, statim ad me rediret. Tu autem hoc tibi persuade, si commodo ualetudinis tuæ fieri posit, nihil me malle, quàm te esse mecum: sin intelliges opus esse te Patris ~~conualescendi causa~~ paululum commorari, nihil me malle, quàm te ualere. Si statim nauigas, nos Leucade consequere: sin te confirmare uis, ~~& comites, & tempestates, & nauem~~ idoneam ut habeas, diligenter uidebis. Vnum illud mi Tiro uideto, si me àmas, ne te Marionis aduentus, et hæ literæ moueant. quod ualetudini tuæ maximè conducet, si feceris, maximè obtemperaris uolũtati meæ. ~~Hæc pro tuo ingenio considera.~~ Nos ita te desideramus, ut amemus, amor, ut ualẽtem uideamus, hortatur: desiderium ut quàm primùm. Illud igitur potius. Cura ergo potissimum ut ualeas. ~~Re tuis innumerabilibus in me officijs erit hoc gratissimum.~~ III. Nonas Nouemb. Vale.

Hortatio

ARG. EPIST. SEQ.

Rursus amorem suum in Tironem ostendit, & sequentibus epistolis monendo ut saluti suæ, quæ sibi charissima est, consulat, ut q̃p primum uenire possit.

M. T. C. Tironi S. P. D. 401

Narratiuncula. Se cupidum esse uidendi Tironem firmum, narrat.

NOn queo ad te, nec lubet scribere, quo animo sim affectus: tantũ scribo et tibi, et mihi maximæ uoluptati fore, si te firmũ q̃ primũ uidero. Tertio die abs te ad Alziã accesseramus. Is locus est citra Leucadẽ stadia 120. Leucade aut te ipsum, aut tuas literas à Marione putabam me accepturũ. Quantũ me diligis, tantũ fac, ut ualeas, uel quantũ te à me scis diligi. Nonis Nouẽb. Alzia.

ARG. EPIST. SEQ.

Dicit Cicero & ex quo loco, & quo die dederit has literas ad Tironem: Deinde hortatur eum ad curandam ualetudinem.

M. T. C. Et C. Et Q. Fr. E. Q. Fil. Tironi S. 402

Narratoria, & hortatoria

NOs apud Alyziam, ex quo loco tibi literas antè dederamus, unum diem commorati sumus, quòd Quintus nos cõsecutus non erat. Is dies fuerat Nonis Nouẽb. Inde ante lucem proficiscentes, ante diem VIII. Idus Nouemb. has literas dedimus. Tu si nos omneis amas, & præcipuè me magistrum tuum, confirma te. Ego ualde suspenso animo expecto, primum te scilicet, deinde Marionem cum tuis literis. Omnes cupimus, ego in primis, quàm primùm te uidere, sed mi Tiro ualentem. quare nihil properaris: satis quotidie uidero, si ualebis. Vtilitatibus tuis possum carere: te ualere, tua causa primùm uolo, tum mea mi Tiro. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Tota hæc epistola suauitatis, & amoris Ciceronis in Tironem libertum suum plena est: ostendit autem, quid cum medico pro salute sua faciat.

M. T. Et C. Et Q. Fr. Et Q. Fil. Tironi S. 403

Narrationes uariæ. Petitoria & hortatoria. Quid sibi ex literis Tironis acciderit, narrat.

VArie sum affectus tuis literis, ualde priore pagina perturbatus, paulùm altera recreatus. Quare nunc quidem non dubito, quin quoad planè ualeas, te neq; nauigationi, neq; uiæ committas. satis te maturè uidero, si planè confirmatum uidero. De medico & tu bene existimari scribis, & ego sic audio: sed planè curationes eius non probo. Ius enim dandum tibi non fuit, cum κακόμαχος esses. sed tamen & ad illum scripsi accurate,

Id est, malo stomacho.

rate, & ad Lysonem. Ad Curium uerò suauissimum hominem, & summi officij, summæq; humanitatis multa scripsi: in his etiam, ut, si tibi uideretur, te ad se transferret. Lyso enim noster uereor ne negligentior sit: primũ, quia omnes Græci: deinde, quòd cum à me literas accepisset, mihi nullas remisit. sed eum tu laudas: igitur quid faciendum sit, iudicabis. Illud mi Tiro te rogo, sumptui ne parcas ulla in re, qua ad ualetudinem opus sit. Scripsi ad Curium, quod dixisses, daret medico. ipsi puto aliquid dandum esse, quo sit studiosior. Innumerabilia tua sunt in me officia, domestica, fòrensia, urbana, prouincialia, in re priuata, in publica, in studijs, in literis nostris. Omnia uiceris, si, ut spero, te ualidum uidero: Ego puto te bellissimè, si rectè erit, cum quæstore Mescinio decursurum: non inhumanus est, teq; ut mihi uisus est, diligit. & cum ualetudini tuæ diligentissimè consulueris, tum mi Tiro consulito nauigationi. nulla in re iã te festinare uolo: nihil laboro, nisi ut saluus sis. Sic habeto mi Tiro, neminem esse, qui me amat, quin idem te amet. & cùm tua, & mea maximè interest te ualere, tum multis est curæ. Adhuc, dum mihi nullo loco deesse uis, nunquàm te confirmare potuisti. nunc te nihil impedit. omnia depone: corpori serui. quantam diligentiam in ualetudinem tuam contuleris, tanti me fieri à te iudicabo. Vale mi Tiro, uale, uale, & salue. Lepta tibi salutem dicit, & omnes. Vale. VI. Idus Nouemb. Leucade.

Petitio

Hortatur ut ualetudinem curet.

ARG. EPIST. SEQ.

Eodem fere argumento, quo in superioribus epistolis hortatur Cicero Tironem ad ualetudinẽ curandam, & ad consulendũ nauigationi,

gationi, ne festinet nimium, quando non potuit cum ipso Cicerone nauigare. Ideoq; monet, nihil præter ualetudinem curet.

M. T. C. Et C. Et Q. Fil. Tironi S. 404

Hortatoria epistola. Hortatur ut ualetudinis rationem habeat.

TErtiam ad te hanc epistolam scripsi eadem die, magis instituti mei tenendi causa, quia nactus eram, cui darem, quàm quòd haberẽ, quid scriberem. Igitur illa: quantum me diligis, tantum adhibe in te diligentiæ. Ad tua innumerabilia in me officia adde hoc, quod mihi eerit gratissimum omnium: cum ualetudinis rationem, ut spero, habueris, habeto etiam nauigationis. In Italiam euntibus omnibus ad me literas dabis, ut ego euntem Patras neminem prætermitto. Cura, cura te mi Tiro: quando non contingit, ut simul nauigares, nihil est, quòd festines, nec quicquam cures, nisi ut ualeas. Etiam atq; etiam uale. Septimo Idus Nouemb. Actio, uesperi.

ARG. EPIST. SEQ.

Ostendit quante solicitudini sibi sit ualetudo Tironis, cuius absentis desiderio se uehementer moueri dicit: monet tamen ne nauiget propter frigus.

M. T. C. Tironi S. 405

A solicitudine ualetudinis Tironis. Id est, Periculo quidem carẽtia, sed diu turmiora.

MAgnæ nobis est solicitudini ualetudo tua. nam tametsi qui ueniunt ἀκινδύνως μὲν, χρονιώτερα δὲ nuntiant, tamen in magna cõsolatione ingens ineſt solicitudo, si diutius à nobis abfuturus est is, cuius usum, & suauitatem desiderando sentimus. Attamen quanquam

Petitio

uidere te tota cogitatione cupio: tamẽ te penitus rogo, ne te tam longæ nauigationi, & uiæ per hymem, nisi benè firmũ, cõmittas: neue nauiges, nisi exploratè. Vix in ipsis tectis, et oppidis frigus infirma ualetudine uitatur, nedũ in mari et uia sit facile abesse ab iniuria tempo-

poris. Λύχνου δὲ λεπτῷ χρωτὶ ψολεμιώτατον, inquit Euripides: Cui tu quantũ credas, nescio: ego certè singulos eius uersus, singula testimonia puto. Effice, si me diligis, ut ualeas, et, ut ad nos firmus, ac ualens q̃ primùm ueniας. Ama nos, et uale. Qu. frater tibi sal. plu. d.

Id est, Frigus autem macrẽto corpori inimicissimũ.

Conclusio

ARG. EPIST. SEQ.

Exponit omnem rationem suæ nauigationis, & uiæ Brundusium usq; : demum hortatur ad ualetudinem curandam, & ut cautus sit in nauigando cum Mescinio, si potest, prætore.

M. T. Et C. Et Q. Tironi S. P. D. 406

NOs à te, ut scis, discessimus ad quartum Nonas Nouembris: Leucadem uenimus ad octauum Idus Nouemb. ad septimum, Actium. ibi propter tempestatem ad VI. Idus morati sumus. Inde ad quintũ Idus Corcyrã bellissimè nauigauimus. Corcyræ fuimus usq; ad XVI. Calend. Decemb. tempestatibus retenti. ad XII. Calend. Decẽb. à portu Corcyræorũ, ad Cassiopẽ stadia CXX. processimus. Ibi retẽti uentis sumus† usq; ad IX. Calẽd. Intereà, qui cupidè profecti sunt, multi naufragia fecerunt. nos eo die cœnati soluimus. Inde Austro lenissimo, cœlo sereno, nocte illa, et die postero in Italiã ad Hydrũtem ludibundi peruenimus: eodemq; uento postridie (id erat ad VII. Calend. Decemb.) hora quarta Brundusiũ uenimus: eodemq; tempore simul nobiscum in oppidum introijt Terẽtia, quæ te facit plurimi. Ad V. Cal. Decẽb. seruus Cn. Planci Brundusij tandem aliquando mihi à te expectatissimas literas reddidit, datas Idib. Nouẽb. quæ me molestia ualde leuarunt: utinam omnino liberassent. Sed tamen Asclapo medicus planè cõfirmat, propediem

Descriptio itineris. Narratoria, & hortatoria Narratio

† fuimus

Narratio

Monet ut ualetudinem cu ret, & in nauigando cautus sit.

te ualentem fore. Nunc equidē ego te hortor, ut omnem diligentiam adhibeas ad conualescendū. Tuam prudentiam, temperantiam, amorē erga me noui: scio te omnia facturū ut nobiscum quàm primùm sis. Sed tamen ita uelim, ut ne quid properes. Symphoniam Lysonis uelim ui tasses: ne in quartā hebdomadam incideres. Sed quando pudori tuo maluisti obsequi, quàm ualetudini, reliqua cura. Curio misi, ut medico honos haberetur: & tibi daret, quod opus esset: me, cui iussisset, curaturū. Equum, & mulū Brundusij tibi reliqui. Romæ uereor ne ex Calendis Ianuarij magni tumultus sint. Nos agemus omnia modicè. Reliquū est, ut te hoc rogem, & à te petam, ne temerè nauiges. Solent nautæ festinare quæstus sui causa. Cautus sis mi Tiro. Mare magnū, & difficile tibi restat. Si poteris, cum Mescinio: caute is solet nauigare: si minus, cum honesto aliquo homine, cuius autoritate nauicularius moueatur. In hoc omnē diligentiam si adhibueris, teq; nobis incolumem præstiteris, omnia à te habebo. Etiam atq; etiam noster Tiro uale. Medico, Curio, Lysoni de te scripsi diligentissimè. Vale. Salue.

Petitio

Consiliū dat.

ARG. EPIST. SEQ.

Primū dicit se magis laborare de ualetudine Tironis eius causa q̄ sua. Deinde iterum hortatur ad curandam ualetudinem, quæ in febrē quartanā conuersa erat. Postea dicit se offendisse bella ciuilia Romæ, triumphumq; suum dilatum causa Lentuli Consulis.

M. T. C. & C. Terentia, Tullia, Q. & Q. F.

Tironi S. P. D. 407

Hortatoria & nuntiatoria.

ETsi opportunitatem operæ tuæ omnibus locis desidero: tamen non tam meæ, quàm tuæ causa doleo te non ualere.

ualere. Sed quando in quartanam cōuersa uis est morbi, sic enim scribit Curius, spero te diligentia adhibita etiā firmiorē fore. Modò fac id, quod humanitatis tuæ est, ne quid aliud cures hoc tēpore, nisi ut quàm cōmodissimè conualescas. Non ignoro quantū ex desiderio labores: sed erūt omnia facilia, si ualebis. festinare te nolo, ne nauseæ molestiam suscipias æger, & periculose hyeme nauiges. Ego ad urbē accessi pridie Nonas Ianuarij: obuiam mihi sic proditum est, ut nihil fieri potuerit honoratius. Sed incidi in ipsam flammā ciuilis discordiæ, uel potius belli: cui cum cuperē mederi, et ut arbitror possem, cupiditates certorū hominum (nam ex utraq; parte sunt, qui pugnare cupiant) impedimēto mihi fuerunt omnino. Et ipse Cæsar amicus noster minaces ad Senatū, & acerbas literas miserat: & erat adhuc impudens, qui exercitū & prouinciā inuito senatu teneret, & Curio meus illū incitabat. Antonius quidē noster, et Q. Cassius nulla ui expulsi, ad Cæsarē cum Curione profecti erant. Posteà quàm Senatus cōsulibus, Prætoribus, tribunis plebis, & nobis, qui proconsules sumus, negotium dederat, ut curaremus, ne quid Respublica detrimenti caperet: nunq̄ maiori in periculo ciuitas fuit: nunq̄ improbi ciues habuerunt paratiorē ducem omnino. Ex hac quoq; parte diligentissimè bellū cōparatur. Id fit autoritate, et studio Pompeij nostri, qui Cæsarē serò cœpit timere. Nobis inter has turbas, Senatus tamen frequēs flagitauit triumphum: sed Lentulus Consul, quò maius suum beneficiū faceret, simulatq; expedisset quæ essent necessaria

A dolore aduersę ualetudinis Tironis

Horatio

Narratio

de Rep. dixit se relaturũ. Nos agimus nihil cupidè: eoq; est nostra pluris autoritas. Italiæ regiones descriptæ sunt, quam quisq; partem tueretur. Nos Capuã sumpsimus. Hæc te scire uolui. Tu etiã atq; etiã cura ut ualeas, literasq; ad me mittas quotiescũq; habebis cui des. Etiã atq; etiam uale. Datum pridie Idus Ianuarij.

Conclusio

ARG. EPIST. SEQ.

Plenissime exponit bellorum ciuilium causas, & tumultum, & pericula: deinde cõsilium, & sententiam suam de ijs bellis: rogatq; Tironem ne molestiã ullam capiat de eiusmodi rebus, ne impediãt eius ualetudinẽ: monetq; eum postremo, quando nauigare debeat.

M. T. C. Tironi S. D. 403

Nunciatoria epistola. Narratio de dissentione ciuili, & de periculis ex illa discordia metuendus.

QVo in discrimine uersetur salus mea, & bonorum omnium, atq; uniuersæ Reipublicæ, ex eo scire potes, quòd domos nostras, & patriam ipsam uel diripiendam, uel inflammandã reliquimus. In eum locum res deducta est, ut nisi quis Deus, uel casus aliquis subuenerit, salui esse nequeamus. Equidem ut ueni ad urbẽ, non destiti omnia & sentire, & dicere, & facere, quæ ad concordiam pertinerent: sed mirus inuaserat furor non solum improbos, sed etiam hos, qui boni habentur, ut pugnare cuperent, me clamante nihil esse bello ciuili miserius. Itaq; cùm Cæsar amentia quadã raperetur, & oblitus nominis, atq; honorũ suorum, Ariminum, Pisaurum, Anconam, Aretium occupasset, Vrbẽ reliquimus: quàm sapiẽter, aut quàm fortiter, nihil attinet disputare. Quo quidem in casu simus, uides. Feruntur omnino conditiones ab illo, ut Pompeius eat in Hispaniam: delectus qui sunt habiti, & præsidia nostra dimittantur: se ulteriorẽ Galliam

Galliam Domitio, citeriorem Considio Nouiano (his enim obtigerunt) traditurũ: ad consulatus petitionem se uenturum. neq; iam uelle absente se, rationem haberi sui: se præsentem trinundinũ petiturũ. Accepimus conditiones: sed ita ut remoueat præsidia ex his locis, quæ occupauit, ut sine metu de ijs ipsis conditionibus Romæ Senatus haberi possit. Id ille si fecerit, spes est † pacis: nõ enim honestæ leges imponuntur: sed quiduis est melius, quàm sic esse, ut sumus. Sin autem ille suis conditionibus stare noluerit, bellum paratũ est, eiusmodi tamen, quod ille sustinere non possit, præsertim cum à suis conditionibus ipse fugerit, tantummodo in eum intercludamus, ne ad urbẽ possit accedere: quod sperabamus fieri posse. Delectus enim magnos habebamus: putabamusq; illũ metuere, si ad urbem ire cœpisset, ne Galli is amitteret, quas ambas habet inimicissimas, præter Transpadanos. Ex Hispaniaq; sex legiones, & magna auxilia Afranio, & Petreio ducibus habet à tergo. uidetur, si insaniet, posse opprimi, modò ut urbe salua. maximã aũt plagam accepit, quòd is qui summam autoritatem in illius exercitu habebat, Titus Labienus, socius sceleris esse noluit: reliquit illum, & nobiscum est: multiq; idem facturi esse dicuntur. Ego adhuc oræ maritimæ præsum à Formijs. Nullum maius negotium suscipere uolui, quò plus apud illum meæ literæ cohortationesq; ad pacem ualerent. Sin autem erit bellum, uideo me castris, & certis legionibus præfuturum. Habeo etiam illam molestiam, quòd Dolabella noster apud Cæsarem est. Hæc tibi nota esse uolui:

† pacis, nõ honestæ: leges enim impon.

Alia narratio

uolui: quæ caue te perturbent, & impediant ualetudinem tuam. Ego A. Varroni, quem tum amantißimũ mei cognoui, tum etiam ualde tui ſtudioſum, diligentißimè te cõmendaui, ut & ualetudinis tuæ rationem haberet, & nauigationis, & totũ te ſuſciperet, ac tueretur, quẽ omnia facturũ confido: recepit enim, & mecum locutus eſt ſuauißimè. Tu quando eo tempore mecum eſſe non potuiſti, quò ego maximè operam, & fidelitatem deſideraui tuam, caue feſtines, aut committas, ut aut æger, aut hyeme nauiges. Nunquàm ego ſerò te ueniſſe putabo, ſi ſaluus ueneris. Adhuc neminem uideram, qui te poſteà uidiſſet, quàm M. Voluſius, à quo tuas literas accepi: quod non mirabar. neq; enim meas puto ad te literas tanta hyeme perferri. Sed da operam, ut ualeas: & ſi ualebis, cum rectè nauigari poterit, tum nauiges. Cicero meus in Formiano erat: Terentia, & Tullia Romæ. Cura ut ualeas. III. Calend. Febr. Capua.

Petitio in fine addita, ut ualetudinem curet.

ARG. EPIST. SEQ.

Scripſerat Tiro ſe uenturum ad Ciceronem, ſi ipſe id cuperet. Ad quod reſpondet ſe cupere uero, id eſt, ſerio, & ex animo, ſic tamen, ut pericula deuitet, & ſaluti conſulat.

M. T. C. Tironi S. P. D. 409

Hortatoria, & nuntiatoria.

EGo uerò cupio te ad me uenire: ſed uiam timeo: grauißimè ægrotaſti: inedia, & purgationibus, & ipſius morbi conſumptus es. graues ſolent offenſiones eſſe ex grauibus morbis, ſi qua culpa commiſſa eſt. Iam ad id biduum, quod fueris in uia, dum in Cumanum ueneris, accedent continuò ad reditum dies quinq;. Ego in Formiano ad III. Calend. eſſe uolo. Ibi te ut firmum offen-

Ab hortatione exorditur ut firmus reddat Tiro.

Narratio

dam, mi Tiro, effice. Literulæ meæ, ſiue noſtræ tui deſiderio oblanguerunt. Hac tamen epiſtola, quam Acaſtus attulit, oculos paululum ſuſtulerunt. Pompeius erat apud me, cum hæc ſcribebam. hilare, & libenter ei cupienti audire noſtra, dixi ſine te omnia mea muta eſſe. Tu Muſis noſtris para ut operas reddas. noſtra ad diem dictam fient. Docui enim te fides τὸ τυμον quod haberet. Fac planè ut ualeas, nos ad ſumus. Vale. XIIII. Calend. Ianuarij.

Id eſt, proprietatem.

ARG. EPIST. SEQ.

Ex Aegypta, qui a Tirone uenerat, dicit ſe intellexiſſe Tironẽ leuatum febri: ſed quia non ſcripſit, grauius quippiam ueretur, ne omnino conualuerit. Deinde ſcriptis his ab eo miſſas literas dicit.

M. T. C. Tironi S. P. D. 410

AEgypta ad me uenit pridie Idus Aprilis. Is etſi mihi nuntiauit te planè febri carere, & bellè habere: tamen quòd negauit te potuiſſe ad me ſcribere, curã mihi attulit, & eò magis, quòd Hermia, quem eodem die uenire oportuerat, non uenerat. Incredibili ſum ſolicitudine de tua ualetudine: qua ſi me liberaris, ego te omni cura liberabo. Plura ſcriberem, ſi iam putarem libenter te legere poſſe. Ingeniũ tuum, quod ego maximi facio, confer ad te mihi, tibiq; conſeruandum. Cura te etiam atq; etiam diligenter. Vale. ſcripta iam epiſtola, Hermia uenit. Accepi tuam epiſtolam uacillantibus literulis: nec mirum, tam graui morbo. Ego ad te Aegyptam miſi, quòd nec inhumanus eſt, & te uiſus eſt mihi diligere, ut is tecum eſſet: & cum eo cocum, quo uterêre. Iterum uale.

Nuntiatoria et hortatoria

Hortatio Narratio

ARG.

ARG. EPIST. SEQ.

Tota hac epistola significat Cicero solicitudinem suam de ualetudine Tironis, quem hortatur, ut curet ualere, & retineat Acastum seruum.

M. T. C. Tironi S. P. D. 411

Nunciatoria & hortatoria

Ndricus postridie ad me uenit, quàm expectaram. Itaq; habui noctem plenam timoribus, ac miserijs.

Narratio

Tuis literis nihilo sum factus certior, quomodo te haberes: sed tamen sum recreatus. Ego omni delectatione, literisq; omnibus careo: quas antè, quàm te uidero, attingere nõ possum. Medico mercedis quantũ poscet, promitti iubeto. id scripsi ad Mumiũ. Audio te animo angi, & medicũ dicere ex eo te laborare. Si me diligis, excita

Dat mandata

ex somno tuas literas, humanitatẽq;, propter quã mihi es charißimus. Nunc opus est te animo ualere, ut corpore possis. Id cùm ita, tum mea causa facias, à te peto. Acastum retine, quò cõmodius tibi ministretur. Conserua te mihi: dies promissorum adest: quẽ etiam repræsentabo, si aduenerit. Etiam atq; etiam uale. IIII. Idus Aprilis.

Hortatiuncula.

ARG. EPIST. SEQ.

Hoc quoq; epistolio hortatur Cicero Tironem, ut curet recte ualere, & nunc ad se uenire. Videntur autem hæ epistolæ a Tirone in lucem datæ pro sui commendatione.

M. T. C. Tironi S. P. D. 412

Hortatoria epistola.

Omnia à te data mihi putabo, si te ualentem uidero. Summa cura expectabam aduentum Menandri, quem ad te miseram. Cura, si me diligis, ut ualeas: & cum te bene confirmaris, ad nos uenias. Vale. IIII. Idus Aprilis.

ARG.

ARG. EPIST. SEQ.

Gratulatur Qu. frater Ciceroni, quod Tironẽ manumiserit. Credam autem utri ne filium Ciceronem, & filiam Tulliam fuisse, aut suum aut suam dicit, quia fratris.

Q. C. M. Ciceroni F. S. P. D. 413

DE Tirone mi Marce, ita te, meumq; Ciceronem, & meam Tulliolam, tuumq; filium uideã, ut mihi gratißimum feciſti, cum eum indignum illa fortuna, nobis amicum, quàm seruum esse maluisti. Mihi crede, tuis, et illius literis perlectis, exilui gaudio, & tibi ago gratias, & gratulor. Si enim mihi Statij fidelitas est tanti uoluptati: quanti esse in isto hæc eadem bona debent, additis literis, sermonibus, humanitate, quæ sunt his ipsis commodis potiora? Amo te omnibus equidem maximis de causis, uerumetiam propter hanc, uel quòd mihi sic, ut debuisti, nuntiasti. Te totum in literis uidi. Sabini pueris & promisi omnia, & faciam. Vale.

A gratiarum actione et gratulatione. A minori. Al. fortuna, hac nobis. Gratias agit, & laudat Ciceronem.

Iocatur cum Tirone super improprietate uocabuli Fideliter.

M. T. C. Tironi S. P. D. 414

VIdeo, quid agas: tuas quoq; epistolas uis referam in uolumina. Sed heus tu, qui κακῶς esse meorum scriptorum soles, unde illud tam ἀκυρον, ualetudini fideliter inseruiendo? Vnde in istum locum Fideliter uenit? Cui uerbo domicilium est proprium in officio: migrationes in alienum multæ. Nam & doctrina, & domus, & ars, & ager etiam fidelis dici potest: ut sit, quomodo Theophrasto placet, uerecũda tralatio. Sed hæc coram. Demetrius uenit ad me: quo quidem comitatu ἐφωνηλασα, satis scis. Tu eum uidelicet non potuisti uidere:

Ex abrupto exorditur. Reprehensoria est, et narratoria. Id est, regula. Id est, ineptũ. Hic obserua & proprietatis loquendi Ciceronem studiosus & obseruabundus fuerit. Id est, collocutus sum.

cras aderit: uidebis igitur. Nam ego hinc perendie manè cogito. Valetudo tua me ualde sollicitat: sed inserui, & fac omnia. tum te mecum esse, tum mihi cumulatissimè satisfacere putato. Cuspio quòd operam dedisti, mihi gratum est. ualde enim eius causa uolo. Vale.

Epist. 6. li. 13

ARG. EPIST. SEQ.

Reprobat sententiã Tironis de quodam uocabulo, sed hæc, & sequentes duæ, argumento nõ egent, non enim historiam cõtinent.

M. T. C. Tironi S. P. D. 415

Hortatoria

Vid igitur? non sic oportet? Equidem censeo sic addendum etiam, suo: sed, si placet, inuidia uitetur, quam quidem ego sæpe contempsi. Tibi διαφόνησιν gaudeo profuisse. si uerò etiam Tusculanum, Dij boni, quanti mihi illud erit amabilius? Sed si me amas, quod quidè aut facis, aut perbellè simulas, quod tamen in modum procedit: sed utut est, indulge ualetudini tuæ: cui quidem tu adhuc, dum mihi deseruis, seruisti non satis. ea quid postulet, non ignoras. πέψιν, ἀλυπίαν, τὸ εἰπάτορον σύμμετρον, τέρψιν, δύλυσίαν κοιλίας. Fac bellus reuertare: non modò te, sed etiam Tusculanũ nostrum plus amem. Parhedrum excita, ut hortum ipse conducat: sic olitorem ipsum commouebis. Heluo nequissimus sestertia ducenta dabat nullo aprico horto, nullo emissario, nulla maceria, nulla casa. Is ne nos tanta impensa derideat, calfăce hominẽ, ut ego Motonẽ. Itaq; abutor coronis. De Crabra quid agatur, etsi nunc quidem etiam nimium est aquæ, tamen uelim scire. Horologium mittam, & libros, si erit sudum. Sed tu nullos ne tecum libellos? an pangis aliquid Sophocleum? fac opus appareat.

Id est, uentris purgationem solutionem.

Hoc est, Concoctionem, iucunditatem, deambulationem moderatam, delectationem, purgationẽ uentris.

Al. Helico. Al. Elico.

De qua in oratione ultima contra Rullum.

appareat. A. Ligurius, Cæsaris familiaris mortuus est, bonus homo, & nobis amicus. Te quando expectemus, fac ut sciam. Cura te diligenter. Vale,

M. T. C. Tironi S. P. D. 416

Hortatoria

Expecto tuas literas de multis rebus: teipsum multo magis. Demetrium redde nostrum, & aliud si quid potes boni. De Aufidiano nomine nihil te hortor. scio tibi curæ esse, sed confice. Et si ob eam rem moraris, accipio causam: si te id non tenet, aduola. Literas tuas ualde expecto. Vale.

M. T. C. Tironi S. P. D. 417

A solicitudine ualetudinis. Mandata dat Tironi. † indicẽ cũ

Solicitat, ita uiuam, me tua mi Tiro ualetudo: sed confido, si diligentiam, quam instituisti, adhibueris, citò te firmum fore. Libros compone, † uidelicet cùm Metrodoro lubebit, quando eius arbitratu uiuendum est. cum olitore, ut uidetur. Tu potes Calend. spectare gladiatores, postridie redire: & ita censeo. Verũ, ut uidebitur. Cura te (si me amas) diligenter. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Cicero filius a patre Athenis missus, ut sub Cratippo philosophetur, qui mores paululũ emendasse dicebatur: nam ebrietati deditus antea fuerat, unde ad eum scripserat Tiro, se gratulari famæ de eo sparsæ, & hortari, ut pergat, quibus respondẽs, dicit se eius consilio pariturum, & alia, quæ ad studia pertineant, declarat.

C. F. Tironi suo dulcissimo S. P. D. 418

Varia in hac epistola narrat, & exponit Tironi Cicero filius. Epistola est ualde mistã. Narratio

Cvm uehementer tabellarios expectarẽ quotidie, ali quando uenerunt post diem XL. & sextum, quàm à nobis discesserant: quorũ mihi fuit aduentus optatissimus. Nam cum maximã cepissem lætitiã ex humanissimi, & charissimi patris epistola: tum uerò ucũ dissimæ

tuæ

tuæ literæ cumulũ mihi gaudij attulerunt. Itaq; me iam non pœnitebat, intercapedinem scribendi feciſſe: ſed potius lætabar. fructũ enim magnũ humanitatis tuæ capiebam ex ſilentio mearũ literarũ. Vehemẽter igitur gaudeo te meam ſine dubitatione accepiſſe excuſationem. Gratos tibi optatosq; eſſe, qui de me rumores afferũtur, non dubito mi dulciſſime Tiro: præſtaboq;, & enitar, ut in dies magis, magisq; hæc naſcens de me duplicetur opinio. Quare quòd polliceris te buccinatorẽ fore exiſtimationis meæ, firmo id, conſtãtiq; animo facias licet. tantum enim mihi dolorẽ, cruciatũq; attulerunt errata ætatis meæ, ut non ſolũ animus à factis, ſed aures quoq; à cõmemoratione abhorreãt. Cuius te ſolicitudinis, & doloris participẽ fuiſſe, notũ exploratũq; eſt mihi: nec id mirum. nam cùm omnia mea cauſa uelles mihi ſucceſſa, tum etiam tua. ſocũ enim te meorum cõmodorum ſemper eſſe uolui. Quòd igitur tum ex me doluiſti, nunc ut dupliciter tuũ ex me gaudium præſtabo. Cratippo me ſcito non ut diſcipulũ, ſed ut filium eſſe cõiunctiſſimum: nam cùm & audio illũ libenter, tum etiã eius propriam ſuauitatẽ uehemẽter amplector. Sum totos dies cum eo. noctisq; ſæpenumero partem: exoro enim, mecũ quàm ſæpiſſimè cœnet. Hac intraducta conſuetudine, ſæpe inſcientibus nobis, & cœnantibus obrepit, ſublataq; ſeueritate philoſophæ, humaniſſimè nobiſcũ iocatur. Quare da operã, ut hunc talem, tam iucundũ, tam excellentẽ uirum uideas quàm primùm. Nam quid ego de Bruto dicam? quẽ nullo tẽpore à me patior diſcedere: cuius cum frugi,

Officioſa

Narratio

Hortatiũcula

Alia narratio

frugi, ſeueraq; eſt uita, tum etiam iucundiſſima † coniunctio: non eſt enim ſeiunctus † locus à philologia, & quotidiana συζητήσει. Huic ego locum in proximo cõduxi, & ut poſſum, ex meis anguſtijs illius ſuſtento tenuitatem. prætereà declamitare Græcè apud Caſſium inſtitui: Latinè autem apud Brutũ exerceri uolo. Vtor familiaribus & quotidianis conuictoribus, quos ſecum Mitylenis Cratippus adduxit, hominibus & doctis, & illi probatiſſimis. Multum etiam mecum eſt Epicrates princeps Athenienſium, & Leonides, & horum cæteri ſimiles. τὰ μὲν δὴ περὶ ἡμᾶς. De Georgia autem quòd mihi ſcribis: erat quidem ille in quotidiana declamatione utilis, ſed omnia poſtpoſui, dummodo præceptis patris parẽrem. Διαρρήδην enim ſcripſerat, ut eum dimitterẽ ſtatim: tergiuerſari nolui, ne mea nimia σπουδὴ ſuſpicionem ei aliquã importaret. Deinde illud etiam mihi ſuccurrebat, graue eſſe, me de iudicio patris iudicare. Tuum tamen ſtudium, & conſilium gratum, acceptumq; eſt mihi. Excuſationem anguſtiarum tui temporis accipio. ſcio enim quàm ſoleas eſſe occupatus. Emiſſe te prædium, uehementer gaudeo: feliciterq; tibi rem iſtã euenire cupio. Hoc loco me tibi gratulari, noli mirari. eodem enim ferè loco, tu quoq; emiſſe te, feciſti me certiorem. Habes ubi deponendæ ſint urbanitates. ruſticus Romanus factus es. Cũ ego mihi nunc ante oculos tuum iucundiſſimum conſpectum propono, uideor uidere ementem te ruſticas res, cum uillico loquentẽ, in

† conuictio

† iocus

Id eſt, conquiſitione.

Narratio. Id eſt, Hæc igitur de rebus noſtris.

Cur Gorgiã dimiſerit.

Id eſt aperte.

Id eſt, ſtudiũ

Ad uaria capita epiſtolæ Tyronis reſpondet

Gratulatur Tironi.

lacinia seruantẽ ex mensa secunda semina. Sed quod ad rem pertinet, me tũ tibi defuisse, æquè, ac tu, doleo. Sed noli dubitare mi Tiro, quin te subleuaturus sim, si modò fortuna me: præsertim cum sciam cõmunem nobis emptum esse istum fundum. De mandatis quòd tibi curæ fuit, est mihi gratũ. Sed peto à te, ut quàm celerrimè mihi librarius mittatur, maximè quidẽ Græcus: multum enim mihi eripitur operæ in exscribẽdis hypomnematis. Petitio

Tu uelim in primis cures ut ualeas, ut unà συμφιλολογεῖν possimus. Antherum tibi commendo. Vale. Id est, cõmentari, una in literis uersari.

ARG. EPIST. SEQ.

Hortatur Cicero Tironem rursus, ut ualetudinem suam curet, nec putet se facere contra patroni uoluntatem, quod non sit cũ eo: licet enim eum uidere cupiat, cupidior tamẽ est eius ualetudinis bonæ quam præsentiæ. Deinde dat ei mandata de librarijs, ut quædã manu sua scripta rescribant, & de Demetrio, de quo scire uult, an cum Tirone sit locutus.

M. T. C. Tironi S. P. D. 419

SPero ex tuis literis tibi melius esse: cupio quidem certè. Cui quidem rei omni ratione cura ut inseruias: et caue suspiceris contra uolũtatem meam te facere, quòd non sis mecum. mecum es, si te curas. Quare malo te ualetudini tuæ seruire, quàm meis oculis, & auribus. Etsi enim & audio te, & uideo libenter: tamẽ hoc multò esse rit, si ualebis, iucundius. Ego hìc cessũ, quia ipse nihil scribo: lego autem libentissimè. Tu istic, si quid librarij mea manu non intelligent, monstrabis. una omnino interpositio difficilior est, quam nè ipse quidem facilè legere soleo: de quadrimo Catone. De triclinio cura, ut fiat cis. Tertia aderit, modò ne Publius rogatus sit. Demetrius Nunciatoria & narratoria. Hortatur in exordio Tironẽ, ut ualetudini inseruiat

Narratiũcula

trius iste nunquam omnino Phalereus fuit: sed nunc planè Bilienus est. Itaq; te do uicarium: tum eum obseruabis. Etsi ueruntamen de illis: nosti cætera. Sed tamen si quem cum eo sermonem habueris, scribes ad me, ut mihi nascatur epistolæ argumentum, & ut tuas quàm longissimas literas legam. Cura mi Tiro, ut ualeas: hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale. Conclusiõ

ARG. EPIST. SEQ.

Quod supra scripsit Cicero, De Ausidiano nomine nihil te hortor: nomen autem pro debito accipi solet: hortatur nunc, ut professionem, id est, liberam confessionem conficiat: quasi dicat, ut coram testibus id eum profiteri faciat. deinde significat Antonium, cuius amicitiam retinere uelit, quædam contra se decreuisse.

M. T. C. Tironi S. P. D. 420

TV uerò confice professionem, si potes: etsi hæc pecunia ex eo genere est, ut professione nõ egeat. Verũtamen Balbus ad me scripsit, tanta se epiphora oppressum, ut loqui non possit. Antonius de lege quid egerit, liceat modo rusticari, ad Bithynicum scripsi. De Seruilio tu uideris, qui senectutẽ non contemnis. Etsi Atticus noster, qui quondam me commoueri παντοίως intellexit, idem semper puta, nec uidet quibus præsidijs philosophiæ septus sim. & hercule, quòd timidus ipse est, θόρυβοι τοῖς. Ego tamen Antonij inueteratam sine ulla offensione amicitiã retinere sanè uolo: scribamq; ad eum, sed non antè, quàm te uidero: nec tamẽ te auoco à † syngrapha, cras expecto Leptam: etenim ad cuius rutã pulegio mihi tui sermonis utendum est. Vale. Hortatoria, & nũciatoria. Hortatiũcula

Id est repentinis rumoribus. Id est, tumultum ciet

† συγγραφα γόνυ κνή-

Cras

Paræmia.

M. T. C. Tironi S. P. D. 421

ETsi manè Harpalum miseram, tamen cùm haberem, Familiaris est prorsus.

T 2 cui

Ab occasiõe scribendi. Mandatoria epistola.

cui recte darem literas, etsi noui nihil erat, iisdem de rebus uolui ad te sæpius scribere: non quia confiderem diligentiæ tuæ, sed rei magnitudo me mouebat. Mihi prora, & puppis, ut Græcorum prouerbium est, fuit à me tui dimittendi, ut rationes nostras explicares. Offilio, & Aurelio utiq; satis fiat. à Flamma, si non potes omnem, partem aliquam uelim extorqueas: in primisq;, ut expedita sit pensio Cal. Ian. De attributione confice. De re præsentatione uidebis. De domesticis rebus hactenus.

Mandata dat

Transitio

De publicis omnia mihi certa, quid Octauius, quid Antonius: quæ hominum opinio: quid futurum putes. ego uix teneor, quin accurram. Sed literas tuas expecto: & scito Balbum tum fuisse Aquini, cum tibi est dictum, & postridie Hircium. Puto utrunq; ad aquas Semas. Quid egerint, Dolabellæ procuratores fac ut admoneatur. appellabis etiam Appiam. Vale.

Cicero Fil. Tironi S. P. D. 422

Hortatoria.

ETsi iusta, & idonea usus es accusatione intermissionis literarum tuarum, tamen id ne sæpius facias, rogo. nam etsi de reipubl. rumoribus, & nuntijs certior fio, & de sua in me uoluntate semper ad me perscribit pater: tamen de quauis minima re scripta à te ad me epistola semper fuit gratissima. Quare cùm in primis tuas desiderem literas, noli committere, ut excusatione potius expleas officium scribendi, quàm assiduitate literarum. Vale.

ARG. EPIST. SEQ.

Accusat Tironem negligentiæ, quod inter multas epistolas a Tirone nullam acceperat, quam culpam iocose dicit uix a patrono posse orando purgari.

Q. Cicero Tironi S. P. D. 423

Petitoria epistola.

A ioco exorditur

VErberaui te cogitationis tacito duntaxat conuicio, quòd fasciculus alter ad me iam sine tuis literis perlatus est. Non potes effugere huius culpæ pœnam, te patrono. Marcus est adhibendus, idq; diu, & multis lucubrationibus commentata oratione. uide ut probare possit, te non peccasse. Planè te rogo, sicut olim matrem nostram facere memini, quæ lagenas etiam inanes obsignabat, ne dicerẽtur inanes aliquæ fuisse, quæ furtim essent exiccatæ: sic tu etiam si quid scribas non habebis, scribito tamen ne furtum cessationis quæsiuisse uidearis. Val de enim mihi semper & uera, & dulcia tuis epistolis nuntiantur. Ama nos, & uale.

Ab exemplo

ARG. EPIST. SEQ.

Dicit se mirifice concussum ex literis Tironis, quibus qui consules creati essent significabat, loquens de Hircio, & Pansa, de quorum fide, & uirtute tunc dubitabat, cum tamen uterq; fortissime pro Repub. casurus esset, cæsi ab Antonio Mutinæ tũ D. Brutũ obsidente. Hanc autem epistolam inseruisse uidetur Tiro, ut significet, quam fidem sibi habuerit frater patroni sui.

Q. C. Tironi S. P. D. 424

Narratio est perpetua. narrat enim quid de cõsulibus sentiat

MIrificam mihi uerberationem cessationis epistola dedisti. Nam quæ parcius frater perscripserat uerecundia uidelicet, & properatione, ea tu sine assentatione, ut erant ad me scripsisti, & maximè de Consulibus designatis: quos ego penitus noui libidinum, & languoris effœminatissimi animi plenos: qui nisi à gubernaculis recesserint, maximã ab uniuerso naufragio periculum est. Incredibile est, quæ ego illos scio oppositis

Gallorũ castris in æstiuis feciſſe: quos ille latro, niſi aliquid firmius fuerit, ſocietate uitiorum deliniet. Res eſt aut tribunitijs, aut priuatis conſilijs muniẽda. Nam iſti duo uix ſunt digni, quibus alteri Cæſenã, alteri Coſutiarũ tabernarũ fundamẽta credas. Te, ut dixi, fero oculis. Ego uos ad IIII. Cal. uidebo, tuosq; oculos, etiam ſi te ueniens in medio foro uidero, diſſuauiabor, Me ama. Vale.

ANNOTATIONES AC Caſtigationes in decimumſextũ librum Epiſt. Famil. Ciceronis.

In Epiſt. 1.

C Vrio) Epiſt. 29. lib. 7.
Lyſoni) Epiſt. 19. lib. 13.
Medico) Aſclaponi. Epiſt. 20. lib. 13. Vt autem hæ ſint dirigendæ epiſtolæ, ex 9. huius lib. fere cognoſcitur.

In Epiſt. 2

M. T. Cicero) Al. M. T. & Cicero
Literarum. his) Al. literarum dari. his
Qui ſi non eſſent) Al. qui ſi eſſent.
15. Calen. Nouemb.) 15. Cal. Decemb. legendum, nemo non uidebit, qui epiſt. 9. huius lib. leget, in qua a Tirone ad 4. Non. Nouemb. diſceſsiſſe oſtendit.

In Epiſt. 6.

Meſcinio) Epiſt. 20. lib. 3.
Lepta) Epiſt. 7. lib. 3.

In Epiſt. 7

Tertiam) prima fuit primi huius lib. ſecunda fuit 6. huius lib.
Eadem) Al. eodem.

In Epiſt. 8.

M. T. Cicero) Al. Q. Cicero: itaq; legendum eſt.
Q. frater) Q. F. hoc eſt, Quintus filius, deſcribendum fuit.

In Epiſt. 9

A portu Corcyreorũ ad) Al. in portũ Corcyreorũ, & ad Caſiopen
Vitaſſes) Al. mutaſſes.
Præſtiteris) Al. feceris.

In Epiſt. 10.

Cæſar amicus noſter) Epiſt. 8. huius lib. 1.

Noſter

Noſter) Epiſt. 5. lib. 11.
Nulla ui expulſi) Expulſos tamen alij ſcribunt.
Procoſſ. fumus) nondum urbem ingreſſi. Epiſt. 6. lib. 8.

In Epiſt. 11

Improbos, ſed etiam hos) Al. improbis, ſed etiam his.
Honorum) Al. bonorum.
Trinundinum) Al. trinum nundinũ. Mos enim fuit candidatis, in comitiũ nondinis uenire, & in colle conſiſtere, unde corã poſsẽt ab uniuerſis uideri, ut trinundino in ſuffragijs gratioſiores eſſent.
Stare noluerit) Inſtare noluerit.
T. Labienus) Epiſt. 14. lib. 14.

In Epiſt. 12

Noſtra ad diem dicta fient) Al. ad diem dicta fiant.
Vale 9. Calend. Ian.) Al. nos adſumus, Vale 14. Cal.

In Epiſt. 13

Andricus) Al. Menandrus.
Promiſſorum) Manumiſſionis, ſic enim ex epiſt. 16. huius lib.
Iudicamus. Id Apr.) Al. Id. h. 3. hoc eſt hora tertia. Al. Id. Iu.

In Epiſt. 17

Referam) Alij legunt, referri.

In Epiſt. 21

Cœnantibus) Al. iocantibus.
Mea nimia) Al. mei animi
Hoc loco) epiſtolæ
Quum ego mihi) Al. quo modo ego mihi nũc ante oculos, &c.
Fortuna me: præſertim) Al. Fortuna me iuuerit, præſertim.

In Epiſt. 22

De quadrimo Catone) Hæc eſt interpoſitio: & Catonem Vticẽſem ſignificat. Al. tamen hic legitur, de qua primo Catone. Al. de primo Catone, Nonnulli uero etiam uiri docti ita legunt, de qua primo caueto
Bilienus) Al. Bellienus, ut in epiſt. 15. lib. 8.

In Epiſt. 23

Epiphora) oculorum morbo
Bithinicum) Epiſt. 16.
Pulegio) Al. puleio
Prora & puppis) ſumma conſilij

In Epiſt. 24.

Ad aquas ſemas quid egerint) Al. ad aquas, ſeu quod elegerint: aquas autem Baianas intelliget, ſi ita legas
Appiam Clodiam) Alij tamen legunt Papiam.

IOACHIMI CAMERARII PABERGENSIS IN M. T. C. epistolas Famil. Lib. I. Annotationes atq; Castigationes.

Epist. 2.



Entuli Coß.] Veneti Lucij Coß. Sed & Marcellinus cognomento fuit Lentulus. Tempora autem esse rerum earum de quibus scribũtur istæ epistolæ, apparet annum qui secutus fuerit reuocationem Ciceronis, quem Coß. habuisse accepimus. Cn. Lentulum Marcellinum, & L. Martium Philippum.

Bibulo assensum est de tribus legatis.] Rutilij extant quædam in has epistolas Annotationes, in quibus & hic locus distinctione explicatur, legit enim. De tribus legatis à nouo initio, ut fiat, iuisse, in alia omnia frequentes de parte sententiæ Bibuli qua tres decernerentur legati, qui regem reducerent. Quod enim quidem planè probat.

Ante se oportere discessionẽ facere quàm Coß.] Veneti, quàm consulares. Sed priorem retinendam censeo.

Hac controuersia usq; ad noctem ducta] Veneti, Hæc controuersia, &c. pereleganti eclipsi uerbi substantiui.

Is dies primus honestiß. nobis, &c.] Veneti, prius, non habent.

Epist. 3.

Vt intelligat nostram commendationem] In Venetis, nostram, omissum, oratio enim magis ἐμφατικωτέρα esse uidetur.

In magna uariet.] Veneti atq; etiam alij sic legunt. Et mihi magis probatur quàm illa lectio, magna uanitate.

Epist. 5.

Se res habeat resistemus.] Veneti, se res habet resistimus. alij ita uerbis absolutiore sensu. Et Catoni quidem, quoquo modo sese res habeat, profecto resistemus.

Eripiatur à nobis causa regia] Veneti, Eripiatur causa regia nobis. Veneta autem lectio mihi ualde arridet.

Et nuntijs cognoscere arbitror] Veneti, Cognosse sed nostra lectio retineri potest.

Epist. 6.

Et acerbè nimium magno silentio est accusatus] Alij, omnium magno silentio, quæ haud dubiè lectio uera est.

Et proditorum] Alij perditorum, alij ἐθελοκοτέρως proditorum tuorum.

Quam mea salus afflicta sit] Veneti est, rectius ut uidetur.

Tempore Caniniano] In Aldinis annotatur, Catoniano in alijs exemplaribus reperiri.

Quos fauendo in com.] Veneti, fouendo.

Sed etiam olim] Veneti, sed iam olim. alij, quod mihi non improbatur, sed & iam olim.

Te posse perspicere, &c.] Rutilius ait in ueteribus ita esse, arbitror te perspicere posse.

Perfeciße tantum] Veneti profeciße.

Epist.8. Vt me dignitas utilitasq;] Veneti, pietas. Hoc nõdum probare possum.

Vt forsitan quibusdã uideor] uidear Veneti. Alij non minus, ut opinor rectè, uidetur.

Cætera quæ ad te pert.] Veneti, Cæteraq; quæ addita coniunctione pleniore, ut uidetur sensu.

Epist.9 Quo seiuncti fuimus] Veneti & alij dijuncti. Ita enim ueteres, ut uidetur, s, litera omissa, quæ pronũciatione excluderetur, quam nos retinuimus, præsenti seruientes consuetudini.

Præstantiores præsens] Præsentiores Veneti. Sed & alij quoq;.

Teq; id non reprehendere scribis] Veneti & alij, adscribis, quam ueram lectionem puto.

Debere arbitrabar] Alij, debere oportere arbitrabar, Et mox pro, resarciendis, alijs sarciendis.

Cum ut laudaret Pompeium P. Sestius] Veneti, cũ ut laudaret P. Sestium intr. Et hanc lectionem Rutilius probat.

Non potui magis, &c. Veneta elegantior & magis consentanea lectio. Num potui magis in arcem illius causæ inuadere, aut magis obliuisci temporum meorum, meminisse actionum? Et paulo post antè, Marcello & Philippo Coss. alij uerius Marcellino.

In hanc mentem impulit] Veneti rectius, ut puto, in hac mente, id est in hoc proposito, ut Virg. Mens immota manet, &c.

Si ij pro me stante pugna non destitissent] Varia huius loci scriptura. Veneti. Si ijs pro me stante pugnare licuisset, alij similiter, sed pro licuisset, libuisset. Aliqui pugna restitissent. Stare autem significat & alibi saluum esse & incolumem, ut Attico, 6. Stante modo Pompeio. Et: Troiaq; nunc stares, &c. In quibusdam libris sic. Si ij, pro me stante pugna, non reliquissent. Vt Ouidius. pro Troia stabat Apollo.

Quàm fuerant in tuendo. Veneti rectius, ut uidetur, tenendo.

Illa furta mulieb. Rutilius ille fur. sed Veneti locum emendarunt illa furia, Alij, ille furia mulieb. ut illic scelus.

Et quod uerò à te uiro opt. seductus est, &c.] In Venetis, impunitatem est scelus.

Quasi desciuerim prist.] alij destiterim, alij desciscerem.

Non queas] Temerè mutarunt aliqui hoc in, nequeas, Cicero sæpe utitur.

Quo uelis tandem peruenire] Veneti tamẽ, quod probatur mihi, ut, Tu tamen interea calido mihi sanguine pœnas persolues.

Non idem semper dicere, sed idem semper spectare.] alij præstare debemus, nempe culpam.

Quæ max. cum mihi tum etiam Reipu.] ego hanc scripturam reperi. Quæ maximè mihi, tum multũ etiam Reipub.

Scripsi

Scripsi etiam carmina quædam, &c.] Vide Victorij emendationem.

Nam ab orationibus disiungo me ferè] Alij disiungor interdum.

Sed uerebar] Veneti & alij. sed quia uerebar.

Sunt qui putant te non decedere] Alij sunt qui putent te non posse decedere.

Legemq; Curiatam consuli ferre opus esse, necesse non esse] Alij, sibi necesse non esse. Quod Rutilius & Egnatius probant.

Felicitate quidem quid uellem] Puto recte perparentheſin legi posse facilitate quidem, quod uellem, Veneti, Facilitate quidem, &c. Id sanè uidetur alienius.

Epist. 9. Tanquam Vlysses cognosces] Aliqui agnosces. Iocatur enim Cicero in hoc.

LIBRI SECVNDI.

Epist. 2. Bis terue ad summum] Victorius mauult, bis terue summum. Et mox Veneti.

Sic ad nos conformatus reuertare] ubi nostri libri, confirmatus, cui lectionem cur Venetam præferam non uideo.

Quia è uita disc.] Veneti & alij, quam à uita disc. atque in nostris præpositionem temerè mutatam iudico.

Nempe studium non] Victorinus nouam epistolam hic orditur, & in antiquo manuscripto exemplo animaduertimus, Nuper studium.

Epist. 6. Et ut senatus consultum & leges def.] Veneti, sine

sine causa, ut puto, reposuerunt Senaticonsul. quæ forma ueteribus usitata fuit, sed illa est notior.

Quod ita factum sit] Veneti & alij. Quod ita factus sis, nempe ædilis. 8

Quod quia preter opinionem] Alij quia, ut inculcatum, inducunt. alij pro, quod reposuerunt, sed. Quorum neutrum fieri oportuisse existimo.

In incredibile hoc factum] cum multis exemplaribus consentientibus legemus factu potius.

Voluptatem homini] Rutilius, habui mauult. Sed Victorius animi reponendum esse mihi probat.

Tu uide quàm timide] apparet in archetypo fuisse, 9
Temerè, in quodam hoc totũ omissum fuisse, ut ita scriberetur. Tu uide, quàm ad me literæ non perfi. De qua lectione sensus erat apertus.

Quia quod sperabam de nihilo] Ita rectè emendarunt. ut opinor, De te, quia quod sperabam.

Tantis opibus tantoq; negot.] Veneti & alij, tantis o- 10
peribus, quod haud scio an nemo dubitaturus tam sit, uerum esse. Et mox pro serius, reponit Rutilius & Veneti spissius.

Ita molestæ quinquatrijs] Victorius quinquatrus 11
reponit.

Cæsari honestiß. cupio] Victorius probat, Cæsarẽ 14
honestum esse cupio. & mox, At omnium ferè exemplum. Veneti & alij quoq; libri, exemplo.

Caninio sal pro prætori] Alij proquæstori, idq; ue- 16
rum uidetur esse.

De

De drachmis CCCLIII.] Veneti CCCL. ↀↀↀ. Vide Priſcianum de ponderibus & numeris.

Inimicos præſertim iure] Alibi ita reperimus ſcriptum, iratos, iure præſertim, &c.

17 Legatis quæſtorem poſsis ant.] Veneti & alij legatis quæſtorijs, quæſtorem poſ. Alij, legatis quæſtoris, quæſt.

18 Quam nobis ſors tribuiſſet] Veneti fors, ſine cauſa repoſuerunt.

LIB. III.

Verum, quod uidi, etiam curioſus, in quibuſdã notatus erat ſigno locus, qui indicaret mendum, ſed Victorius quod iuuet, repoſuit.

3 Pro noſtra conſtantiß. uoluntate] Veneti, & alij quoq; conſociatiſsima.

4 Et M. Brutum generũ tuũ. Collegij coniunctio, &c.] In quibuſdam eleganter reperitur, Et meũ Brutum generum tuum. Collegij quoq; coniunct.

Et ſolutior eſſe poſſet] Alij eſſe uideretur.

5 Propè Cal.] uerius iudico quod alibi legitur, pridie Calend.

Prius ut te conueniam quàm decedas] Alij, ante te uidere quàm decedas. quorum ſanè utrum alteri præferam non poſſum conſtituere.

6 Qui tibi ad decedendum] Alij ad ſuccedendũ, poſſeq; rectè teneri utrumuis exiſtimo.

Late enim patet hoc uitium & eſt in multis] Veneti & alij, duplicata parentheſi ita, Late enim patet hoc uitium, eſt enim in multis. quod & eſſe uerum credo.

Legati Apameani] Victorius Appiani probat. 7

Ac Ceſonio, idem legit, accenſo meo. & ἀγενείᾳ mox, non etiam ἐξοχὴ, illamq; etiã locum planè, ut fallor, emendauit & explicauit.

Quia ſi cuius aures] diuerſe in diuerſis exemplis hic locus ſcribitur. In Venetis, quàm ſi cuiuis aures, alibi quàm is ſi cuius, alibi quàm hi quorum. 8

Quid poteſt eſſe incallidius] Veneti callidius ironicos ut apparet.

Si aut legatorum tuorum quiſpiam, aut præfect.] Veneti, Si aut legatorum tuorum cuipiam, &c. Nam & alibi quaſi interpretationem reperi, de legatorum tuorum quopiam.

Sin autem quenquam mea] Veneti, Sin autem quẽ, de quo uereor ne illud ſit factum.

Limitauit. Veneti, limabit, alij elimauit.

Neque domum unquam ad meos literas mittam] Veneti, ad me literas, idiotiſmo eleganti. Vt eamus ad me: ibi proxim. eſt ut mutes. Et eamus ad me omnes, &c.

Tuam priſtinam urbanitatem reddidit] alij uoluntatem, & in fine reperi alicubi additam blandiſſimam clauſulam hoc modo. Vale mi dilectiſsimè omnium. 9

Non quòd quiſquàm aliter] Veneti quo. Non autem dubium eſt quin, & quo, quia, & eo, ideo, 11

apud

apud Ciceronem plurimis in locis ualeat.

12 In quo unum uereor, ne tu parum perſe.] Omniâ quæ uidere contigit exempla, nõ uereor, habent: de quo ut apparet, alius ſenſus exiſtit, nempe, cõfidere ſe quod perſpiciat Appius hæc ab illis, uel alijs, geſta, &c.

Hac mihi affinitate nuntiata] alij, affinitate noſtra renuntiata, ut in epiſtola Sulpitiana, poſteaquam mihi renuntiatum eſt de obitu Tulliæ F. tuæ.

LIB. IIII.

Epiſt. 4. Vt is cuiq; locus ubi ipſe ſit miſerr. eſſe uideatur] Multò elegantior Veneti, ubi ipſe ſit, ut ſibi quiſque miſerr. eſſe uideatur. Etſi erant omnia planiora ſi legeretur, ut ibi quiſq;.

5 Qui per quos ea fieri] Veneti & alij uerius, confieri, id eſt, confici, ut illud. Nunc qua ratione quod inſtat confieri poßit, paucis aduerte docebo.

Ipſi pari moleſtia affic.] Veneti, id ipſi, antiquam ſcripturam habent. Pro ij ipſi litera, d, interpoſita hiatus tollendi gratia, ut in redeo, redhibeo, redarguo, redigo, & Plautus, mederga. Sic etiam paulo poſt pro oppidorum in Venetis oppidum eſt. & pro laudem adipiſci, apiſci antiquè omnia.

Et noſter Gallus] Veneti & alij, Veſter. C. aũt Sul
6 pitium Gallum ſignificari uolunt.

Quæ conſenuiſſe uidebantur] Veneti conſanuiſſe, atq; ita alij quoq;, ut ſit ſimile illi, maturuiſſe.

7 Pro tuis maximis] Alij maximiß. ut, multiß. ſuperlatiuo uno de alio facto.

Vt ad

Vt ad omnia quæ tui uelint, ita ſim præſto, ut me nõ 8
ſolum omnia debere tua cauſa, ſed ea quoq; quæ nõ poſſum, putent] alij, quæ tu uelis, &, quæ non poſſum, putem. Sed utrouis modo legas, ſanè familiarius hoc perſcriptum eſſe accipiamus neceſſe eſt. Nam debere quæ non poßit, certe in eo ſunt, debere omnia.

Caſus & natura in bonis domin.] Veneti & alij, 12
in nobis: atq; ita quidam emendarũt locum in Oratione contra Rullum ad populum, &c. (decuma.

Circiter horã decimã noctis] Veneti circiter hora

A Chilone, alij Cilone. Cilones autem Latini dixere, imam frontem qui proiectiorem haberent.

Quanquam enim nulla meipſum priuatim inſignis 13
pepulit iniuria] Alij perculit, quod nequaquã diſplicet.

Etiam illa, quæ minim.] alij rectius, ut puto, uel illa. & mox, pro, quoſcunq; uiros: Veneti habent quaſcũq; uires, minimè abhorrente ſenſu.

Aut re efficere poſſe] In aliquibus exemplis, poſſe, 14
omiſſum. In Veneto ita legitur, re efficere, ſi poßis.

Nouarum me neceßitudinum fidelitate] contra ueterum perfidiam, muniendum putaui alibi, neceßitatũ, ſed in hoc nihil momenti, quod uero in quibuſdam legitur, contra ueterum inimicorum, falſum, inculcatumq; eſſe facilè apparet paulùm modo attentiori.

LIBRI V.

Mihi ignoſcas] Alij, peto ut mihi ignoſcas quæ ſcri- 2
ptura ſuſpecta eſt, atq; Veneta maximè placet, ut mihi ignoſcas, repetito intellectu uerbi, uelim.

3 Et ut sunt leues eiusmodi homines] Veneti, & ut sunt leues ab eiusmodi homine, à me desp. dicit autem contumelias à tali profectus.

4 Ad te scribere sum coactus] uerius, ut uidetur, Veneti, sum conatus. uix enim se ausum scribere superius quoq; paulò innuit.

6 Publio Sextilio] Veneti & alij, P. Sextio seu Sestio. Sed & procos. quidam mutarunt in, Quæstori.

Milibus nummûm 25.] Veneti 35. de quo loco & Victorius, & iam ante alij doctiß. uiri disseruerunt.

Homini semißis] Veneti, omnino semißibus. Alij, hominũ semißis. tali quodam sensu. Pecuniam esse quidem caram, sed nihili & futiles homines uiles.

7 Me multo minorem] Veneti, tamen nõ multo min. Sed pleriq; libri ita. Me non multo minorem.

8 Suspicione uiolenta] Id est turbulenta. Sed Veneti uiolata. Sed uerbũ, intercidẽrũt, notabitur, quod significet interiecta sunt, cũ alias interitũ et abolitionẽ notet.

9 Vardaci esse] Veneti, id quod uerum uidetur, cum Vardæis; & mox, nisi in Dalmatiam, Veneti nisi si in Dalmatiam.

10 Qui tot ingenuas, &c.] de hoc loco Victorius disseruit: & paulo pòst cum hic tum alij antè, pro, simul uerò semißis homo, Simius non semißis homo. pro futuli & nullius pretij, ut supra, hominum semißis, si uera lectio esset.

Si me hercules Appium haberem. Veneti Appij os.

12 A qua te affici] Veneti flecti, unum pro altero suppositum apparet.

Themistoclis fuga] Veneti rectè Themistocli, ut Archonidi filiam.

Iucundißimæ lectionis uoluptate, quod mihi] Veneti, quod mihi] Veneti non certè peius, ut puto, ita. Iucundißima lectionis uoluptate, quo mihi acc.

Itemq; mox, pro, qui quid sis, illi, qui qui sis.

Nec minor enim est Spartiates Agesilaus ille perhibendus] Veneti, & alij, nec minus uerè, ut credo: perhibendus autem, id est, memorandus & prædicandus. 15

Quod uinculũ quæ res deest nostræ coniunctioni?] Veneti, quod uinculum quasi deest, ut sit, quasi, quodammodo.

Maximè etiam amici tui consc.] Rutilius depraua tum locum animaduertit. Veneti, ita restituere, & maximè animi tui conscientia. 17

Idq; una sententia, eaq; dubia potentia al.] Veneti, id quod una sententia. Rutilius, potentiæ, tertio casu legit. atq; ita quidem omnia planiora fuerint. 18

Et cum aliter cecid.] Veneti, aliter res cecid. Et in fine epistolæ Veneti sic habent, atq; eodem, nec cõtinuo poterit, hoc sensu, si tibi quod mihi placebit & eodem proficiscì uoles, nec continuo tamen hoc fieri poterit: ut illud ad Lentulum, poterat utrunq; præclarè, si esset fides, si grauitas in consularibus.

LIBER VI.

Tamen uereor ne consolatio ulla possit uera reperiri] Veneti & alij, nulla, id quod pro ulla reponendũ.

Nam non hoc solatio uera, id est, firma & ualida, sed ut omnino aliqua huiusmodi reperiri posit.

3 Nostræq; dignitati uidebatur qui] Locum corruptum esse satis apparet. Veneti sensum planè restituerunt. His uerbis, nostræq; dignitati uidebamur sequi, nec cum id fa.

6 Quàm quod res] Veneti, quàm quo res.

Quas tibi etiam pridem Essedi] Venetus liber & alij, ut puto, rectè, quas tibi etiam pridem & sæpe.

Si te ratio quædam huiusce] Alij uetustæ. Ego Venetæ scripturæ assentior, quæ est, ratio quædam Hetruscæ discipli. id est, aruspicinæ, ut notum est.

Ex alitis uolatu] Inuolatu, & mox pro, somnijs, somniuijs Victorius reponit.

Vt spero uel potius, ut prospicio] Veneti & alij perspicio, idq; est uerum. Corrigit enim quod dixerat spero, in quo dubitatio inesset. Et clausulam epistolæ scripturæ Venetæ probo hanc, ut cum firmitudine animi tui te, tum etiam spe optima sustentes.

8 Re aut impetrata, aut quod spero, al.] Veneta lucu lentior lectio, Re aut imperata, quod spero, aut al.

9 Nihil attinet me plura] huius loci ueritas hæc est, suffragante & Veneto exemplo. Nihil attinet me plura scribere, q̃ (uel sanè, quod) mihi necesse sit eius salutem & fortunas quibuscunq; rebus posim tueri tu uides.

10 In Venetis Trebiano inscribitur hæc epistola.

Et quàm ego uellem] Sic censeo hunc locum legendum. Et quàm ego uellem recuperas fortunã & dignitatem

tatẽ tuam, mihi non minori curæ est, q̃tibi semper fuerunt casus mei. astipulatur & Venetum exemplum. Et postea, quasi deuincti, elegans scriptura est Veneta, casu deuincti.

Ante misissem ad te literas] In Venetis hoc nouæ epistolæ exordium, inscriptæ & ipsi Trebiano. Et ita certè uidetur.

Quem illi appellabant tubam belli ciuilis] Veneti. 12
Quã. Et in fine epistolæ, unũ profugiũ, perfugiũ malim.

Quorum quidem uirtute] Veneta exempla rectiß. 13
se habere hoc loco uidentur. Quorum quidem uirtus & pietas & amor, &c.

Cæterum is mihi] Veneti, cætero qui mihi. Et po- 19
stea, in quo sit spes, Veneti species, ut Maro. Neq; enim specie, fãmaúe mouetur.

LIBRI VII.

Licitatorem potius apponam] hoc Rutilij placuit. 2
Veneti & alij ferè libri, in licitatorem potius ponam.

Intermißionis literarum] Veneti epistolarum, u- 13
traq; dictio idem notat; & eligenda altera si est, nostram malim.

Fructuosiß. tibi sit quàm mihi] Veneti et rectè quidem, Tam fructuosiß. tibi sit quàm mihi, id est, tam tibi quàm mihi sit fructuosiß.

Quod præsenti tibi propè subnegaram, non tribue 17
re certè id absenti potui] Veneti ita. Quod præsenti tibi propè subnegarem, non tribuerim certè id absenti debere non potui. Sed & his uerbis sensus nescio quo

modo implicatur. Quare sic legendum hunc locum iudico. Quod præsenti tibi propè subnegarã, non tribueram certè, id absenti debere non potui. Quod enim persoluerit præsenti Trebatio, id absenti persoluisse dicit, ut supra in Tusc. Sed tibi uideo non posse deberi.

21 Habere profugium.] Perfugium uerum puto.

24 Exedria quædam mihi noua.] Veneti inseruere aspiratione & fecerunt exhedria. Sunt autem exedria diminuta uoce ab exedra, quidam ædificiorum ueluti recessus, & excurrentia spatia cum sedilibus, cuiusmodi porticibus solebant adiungi.

Ea porrò negat.] Vera lectio Veneti & aliorum librorum. Eam porrò negare, σχεγλιασικῶς. Vt adeon esse impotenti animo, & apud Ciceronem quoq; alibi sæpius.

30 Inter uos senes emptionales.] Alij auctionales, quidam concionales, alij etiam aliter, Venetam lectionem nos sequimur, senes coëmptionales, id est, qui facilitarent coëmptiones.

32 Ne tantum semen urbanitatis.] Veneti, tamen elegantius ut uidetur.

Est enim mihi ut scis in maioribus.] In amoribus uerum est, ut Att. Dionysius nobis est in amoribus. Falsò enim scripsere aliqui, in moribus.

33 Ne pluribus.] Veneti, perinuitus. Rutilio placet,
34 ne perlegerem.

LIBRI VIII.

Sed susurrationes.] Veneti susurratores, & mox, sed

sed inter paucos, quos tu nosti planè, secreto narrãtur.] Veneti & alij, quos tu nosti, palam secreto narrantur, ut hoc dicat Cælius affirmari, & non dubie dici illa, sed tegi & celari.

Subrostrarij.] Veneti, subrostraui, ut retia retiarij.

Schænobaticam.] Alij epibaticam, Victorius em- 2
baneticam.

In cõpetitorem nobilem, & ignobilem egentem.] Veneti agẽtẽ. In fine epistolæ pro reddet, Veneti, dedit.

Sanè q̃ multis incutit.] Veneti sanè quam incutit, 4
multis, ut non dubium sit, quin sanè quam complexim pronunciandum sit.

Belliss. enim.] Veneti leuissimè, hoc simplicẽ ha- 6
bet reprehensionem, illud nostrum ironiam.

Cum L. Lollio trãsegit, & rel.] Alij cũ L. Lollio 8
transegisset relat. sed hæret sensus in utrauis scriptura.

Ante secundo loco expositũ Senatus consul.] Vbi nostri & alij libri has habent literas. S. C. A. pr. Cl. quæ significant Senatus consulti autoritates. pr. Cl. &c. in Venetis sunt L. V. pr. Cl. in quibus sanè conijciendis hærere nos fatemur. Cum enim significari ijs, lectũ uniuersis incidisset, mox hoc minus bellũ est uisum, ut aliud, si retinere Venetã scripturã uelimus, excogitandum esse arbitremur. Mox uerò, Scribæ, haud dubie falsum. In Veneto rectè, Scribæ, id est, scribendo. Paulo pòst, Ancapito putat Rutilius esse A. N. Capito, id est, Attei nepos. Nos arbitramur An. Capito esse Anneus, ut totũ ita fiat. L. Atteius L. F. Anneus Capito: sed fateor nõdũ satis hoc firmũ uideri.

14 Quam diu ciuiliter sine armis certetur.] Veneti cernetur, quod si placet, cernatur omnino scribendũ erit, id est, decernatur, ut, Inter se coijsse uiros & cernere ferro.

Quas ferrum & uis uindicabit.] Veneti, iudicabit, id est, dijudicabit, id est, κρίνῃ ἤγουν διακρίνῃ.

15 Verna propugnaturus.] Veneti Venere prognatus, & Victorius probat.

17 Ergo me potius fer.] Alij, ergó ne potius Veneta longè ab alijs omnibus scriptura discrepat, quam uidere potes.

LIBRI IX.

2 A quibus antea delectationem modo solatium.] Hic locus in Venetis ita perscribitur, ut uidetur, elegan ter. Victorius certè ueram esse scripturà de fide librorum ueterum affirmat. A quibus antè delectationẽ modò petebamus, nunc uerò etiam salutem. Non deesse si quis adhibere uolet, nõ modò ut architectos, uerumetiã ut fabros ad ædificandam Rempub. & potius libenter accurrere. Si nemo utetur opera, &c. Idem & de uerbo, nauare, ambigit. Quod sanè, nisi ueterũ exemplorum scriptura obstet, rectè poterit retineri, in repetitione operæ, cuius nomen paulò antè usurpasset.

6 Quæ tua esse audiero.] Veneti, Quæ ue audiero, quæ lectio sensum euidentem habet.

16 Sententiam meam & animum, &c. Hæc in Veneto omnia uerba omissa sunt, notata loco signo mẽdositatis.

Nam etsi nõ facile.] Haud dubie legendum. Tametsi,

metsi, subiecta hac quasi correctiuncula superioribus. Falli enim fortasse se ait posse, qui uerè se credat ab illis amari, cum hoc nisi in periculis certò cognosci nequeat, pro igne autem in Venetis igni legitur.

Ille uerò te putabat.] Ille Baro Veneti. Vide Victoriũ. 27

LIBRI X.

Et multæ impensæ opus fuit.] Alij rectius, ut uidetur, & multæ impensæ opus fuerunt: ut Cicero Curioni, Dux nobis & autor opus est. 8

Et ego ei literas tuas dedi.] Veneti ἑλληνικῶς. At ego ei literas tuas, idq; mihi admodum probatur. 12 Quod legatos fide Lepidi dimissos ad me in cõspectum uenire uetueram. Malo cum Venetis sic legere. Quod legatos fide Lepidi missos, ad me in conspectum uenire uetaueram.

Quo die Pansa in castris & Hircius.] Veneti, in castris Hircij. Et mox, trigesimã quintam. Veneti quintam trigesimam. Sed nostra lectio usitatior est. 23

Quas Narbone habuisse dicitur.] Simularè planè necesse erat. Veneti ita. Quas Narbone habuisse dicitur similes, palparer planè necesse erat, de qua scriptura disseruit multa Victorius. 30

Epist. 34. In Venetis est. 35. Id est, hæc illi anteponitur, atq; ita fieri oportere puto. In ea autem quæ sic 34. erit Veneti, pro, ego quoq; ualeo, rectè, nisi fallor, equidem: & mox, pro, Antonianos, Antonios habent. 33

LIBRI XI.

Satis in tẽpore ad eos accedemus.] Veneti satis tem-

pore, aduerbialiter. Vt Plautus, sed si uenturus, tempori, & rursum, uenias tẽpori, mutata è litera, in literã i, ut here heri, uespere & uesperi. In Terent. in Heaut. In tempore ad eam ueni.

8 Deos quæsumus.] Veneti, quæsimus. Et hoc sanè uerum esse apparet, sed illud quæsumus fecere, ut opinor, sicut optimus.

10 Mihi fuit sestertiũ quatuor milibus amplius.] Veneti, sestertium mihi fuit quatuor M. amplius. Nihil reperio quod aliud putem accipiendũ quàm quater mille sestertia, sibi fuisse dicere Plancum. Figura tantum sermonis nõnihil obstat. Nã esset quadringenties. De nummis quidem sestertijs intelligi planè non potest.

12 Itaq; homines alij facti sunt.] In Venetis, alij facti sunt, sensu nequaquam incommodo.

14 Explorata tua uictoria, tua præclara Mutinæ eruptio.] Veneti, exploratæ uictoriæ tua præclara Mutina eruptio. Sed hãc cõpositionem iam reprehendent, ut & illam reprehenderũt aliqui Maronianam. At regina pyra penetrali in sede sub auras erecta.

14 Cuius exitum ne extimescam tuæ partes sunt.] Veneti quod probatur, mihi ita. Cuius exitum non extimesco. Tuæ partes sunt.

24 Parum tibi ante subiras.] Veneti & alij, Narro tibi quæ scriptura & Rutilio placuit.

LIBRI XII.

2 Modo facti uestri gloriã cum mea laude cõmun.] Veneti cõmunicet, ut ad Antoniũ criminatorẽ referendum sit. Quantum

Quantum opus sit.] Imò certè, ut Veneti, quantum est in te. 11

Teipsum uicisti.] Veneti rectius teipse uicisti. Et mox. Nũc te omniũ max. ciuem. In Venetis hoc modo. Nunc te omniũ maximè ciuis & mi charissimè (id quod maximè Reip. tenebris cõperisti) nũc te habebimus etc. 13

Non modo te cui omnia.] Veneti, non modo tibi, ut astruatur huc, ignotam esse arbitror. 18

LIBRI XIII.

In perpetuum obligare liceat.] Veneti & alij uelis, quod uerbum cur amotum, inq; locum illius illud alterum repositum fuerit, miror. 4

Quicquid mea causa faceres, ut id C. Curtij causa cum feceris meum existimes. 5

Quod ille per me habuerit, id me habere abs te putato.] Alij putabo. Sed potius locus totus ita legendus, ut id C. Curtij causa cũ feceris, me eum existimes, quod ille per me habuerit, id me habere abs te. Hoc te uehe. 22

Huic epistolæ.] Aliqui non Ser. Sulpitij nomen, sed Octauij præscripsere.

Sed non plus duobus, aut tribus mensibus.] Veneti eleganter, duobus an tribus mensibus, & alibi quoque similiter Cicero, ut hoc annis an mensibus? 30

Cum primũ in eam insi.] Veneti, primus, uerius. 48

LIBRI XIIII.

A Vestæ ad Tabulã Valeriam.] Nota quidẽ sermonis figura ἐκλειπτική, ut χὴ ἔσλε, sed Veneti, A uesta habent, ut Virg. Et formidatus nautis aperitur Apollo. 3

Cum

3 Cum dolore conficior tum etiam pudore.] Veneti, conficiar. Paulopòst. Et eas literas Desippo dedi, ueram scripturam esse iudico Dexippo.

4 Quos ego semper seruaui.] Veneti. Quibus ego seruiui semper, ut seruiui inseruij, & Põpeius notetur.

LIBRI XV.

5 Ciliciam autem firmiorem fore si equitatus nostri.] Veneti, si æquitatis nostræ particeps facta esset. Nam antè se durius habitam & afflictã fuisse illam prouinciam alibi quoq; significauit.

Securitatem diligentiamq; socijs & reipub. præsta.] Veneti seueritatem habent, personæ Catonis aptius, & omnino ut uidetur conuenientius uerbum.

14 Propter summam eius hum.] Veneti, summam suam hum. & uerũ hoc esse dubitari non necesse fuerit.

16 Et is quidem utilior.] Alij exilior, & sanè pro hoc unde illud irrepserit miror. Quæ ille Gargetius. Etiam antè Democritus εἴδωλα, hic spectra nominat. Hæc uera scriptura est. Nam Gargetius populi, id est, τῶ δήμω cognomine Epicurus, ferè Democritum in Physicis secutus fuit, quibusdam quidem, ut Cicero uult, mutatione corruptis. Fuit autẽ Democriteum omnium rerum quædam simulachra obijci nobis, quibus occurrentibus hoc uel illo modo afficeremur, ideoq; censebat optandum commoda illa ut nobis de aëre circumfuso, & familiaria ac bona offerentur, non improba, neque immania.

LIBRI

LIBRI XVI.

Epistolæ primæ.] In Venetis est talis inscriptio Tullius & Cicero & Q.Q. ut intelligamus scriptam communiter à patre & filio utroq; M. & Q. Ciceronib. & M. & Q.FF. Etsi epistolæ oratio hoc nõ indicat. 5

Is dies fuerat Nonis Nouemb.] Veneti rectius, ut opinor. Nonæ Nouemb. 6

Quod ad ualetudinem opus sit.] Qua alij, idq; retinendum uidetur.

Quæ caue te perturbent.] Veneti, quæ ne te perturbent, utraq; lectio satis commoda.

Nos ad summum.] Hoc quidem nihil est. Veneti ita. Nos assumus. Vt hoc dicat se ad ea quæ pollicitus fuerit præstanda paratum esse. 12

Et aliud si quid potes.] Veneti, si quid potest, ut intelligatur fieri. 13

Libros compone, uidelicet cum Metrodoro lubebit, plenior lectio Veneta, Libros cõpone, indicem cum Metrod. lubebit, ut intelligamus, conficies aut mittes. 20

Cum ego mihi nunc, &c. Hic locus in Venetis multo perscriptus elegantius, hoc modo. Quomodo ego mihi nunc, ante oculos tuum iucundiß. conspectum pro pono? Videor enim uidere ementem te, &c. 22

LOCA

M.T. Ciceronis ab illustribus uiris, uel in melius restituta, uel scitius explicata.

IN EPISTOLAM M. CICERONIS AD Cælium Lib. II. cuius initium. Tu uide quam.

Alexandri ab Alex. Genial. dierum lib. 2. cap. 7.

TRibus erratis lapsum offendimus uirum sanè eruditum, Epistolarum familiariũ Ciceronis interpretem non infacundum, cuius scripta uulgo innotuere. Primo illa ad M. Cælium epistola, in qua uerba sunt Ciceronis: Oppugnaui quinq; & uiginti diebus, aggeribus, uineis, turribus, oppidum Pindenissum munitissimũ, tantis operibus ut mihi ad summã gloriam nihil desit, nisi nomen oppidi. Quid sibi Cicero uellet his uerbis, non satis assequi uidebatur: cum nomen oppidi nihil censeret aliud quàm ipsum oppidum. ac si diceret: Ad summã mihi gloriam nihil deest, nisi ut oppidum quod oppugnare adortus sum, deniq; expugnem. Quod tamen longè abesse à uero intellectu apparet. Quid quæso nomen oppidi cũ ipso oppido commune habuit? aut quid tam insolens, aut à Ciceronis facundia tantum abesse potuit, quàm uerba planè exposita poëtico sensu, & quasi figuris circunscribere, aut coloribus infucare? Quod tamen aliter intelligi oportere, ex contextu uerborum liquere arbitror. Cum enim ex oppidis ui expugnatis Imperatores plerunq; nomina ferrent, quippe cum ex Coriolis Martius Coriolanus, & ex Fidenis Sergius Fidenas, atq; ex Creta uicta Metellus Creticus dicti sint (quæ sibi cognomenta in testimoniũ maximæ & expertæ uirtutis, rerumq; gestarum gloriæ adoptarunt) sic Cicero cum spem

spem haud dubiam potiundi haberet oppidi, nihil deesse ad summam gloriam, nisi nomen oppidi, & cognomentum ex Pindenisso asseuerat: uidelicet sicut Aphricani, Numantini, & Cretici, illi nomina tulere: sic & Pindenisso ipse cognomentum ferat.

IDEM IN EPISTOLAM ALIAM AD Cælium Lib. II. cuius initium: Raras tuas.

MEa uerò officia ei non defuisse tu es testis, quoniam, ut opinor, Comicos accedit Phannia.) Quod Interpres in Terẽtiano Phãnia nõ posse accõmodari aiebat: sed aliũ quendam fuisse Phanniã, de quo sentiret Cicero, qui in notitiam nomenq; non uenit. Quæ uerba si pensitare quis uolet, atq; ingenij acie nõ obtusa rimari, etiã ad Terentianũ Phãniam saluo sensu accõmodabit. Cum enim Phannia ille Terentianus Chremetis frater fuerit, & Crito Andrius inopino aduentu opportunè introducatur aduenisse: quo significante de Phannia Chremetis fratre, & filia Glycerio in notitiã uenit: ipsamq; filiam sibi esse cõpertum habuit. Pariter Cicero peropportunè Comicum Phanniam aduenisse dicit: hoc est, aliquid secreti consilij, quod nondum emerserat, prodijsse in lucem: quo sicut in Phannia Terentiano Glycerium Chremetis filia, & Phanniæ neptis apparuit, sic ipsius opera opportunè sit intellectum, Ciceronis officia illi non defuisse, & se de Appio benemeritum significari.

Alexander ab Alexan. loco supra citato.

IN EPISTOLAM AD CÆLIVM Lib. II. cuius initium Raras tuas.

Locus est ex secundo Familiarum epist. non enarratus

Ex Cælij

Rhod. antiquæ Lect. lib. 3. cap. 31

ratus ad hãc diem, sed omnino exculcatus, & offusa caligine, inscitiæ tenebris ita obuolutus, ut in Cicerone Cicero subinde quæratur. Verũ Oratoris uerba iam subsignemus. Mea uerò officia ei nõ defuisse, tu es testis, quoniam κωμικὸς μάρτυς, ut opinor, accedit Phannia. Male feriati Comicũ testẽ Phanniã augurantur, ex uetere Comœdia repetitũ, in qua Phannia testis introduceretur: referuntq; ad Cæliũ. qui sensus, ut male conceptus, mire friget, Ciceronis elegantia indignus. Imò nec coit, etiãsi uiolenter omni pede cõfabricatis inuentis nugalibus ad eũ uerba retorqueas, pensitẽt modò legẽtes. Est quidẽ frequentissimi M. Tullio moris, ex ueteribus pleraq; aduocare obscurius, cuius ferè modi est ad Cæliũ illud: Repẽte uerò incessi omnibus lætitijs. In quo latinæ quidẽ rei literatores, quid adferant, minus constitutũ habent. Ex Cælio uerò esse ea, liquet ex Ciceronis secundo de Finibus. Vt scias non esse hic Arietini oraculi ambagiosam historiã. Inibi aduocatur & Trabea, de quo arbitror itidẽ sensisse Familiariũ nono Ciceronẽ, etiamsi Grãmaticis inscita, inauditaq; est nomenclatura. Verũ ut à diuerticulo fabulã repetamus: Ego in Menandri comœdia fuisse Phanniã, obseruasse uideor apud Plutarchũ in cõmentatione, quæ est de Tranquillitate. Cæterũ id ad propositam modò quæstionẽ nihil. nam Phanniam hunc Ciceronianum non alium accipio, quàm Appij, de quo ibi intelligit Orator, libertũ: sicuti comprobant Ciceronis uerba, epistola prima tertij libri. quem hic Comicũ testem dicit, non, uti opinor, quia uetus Comœdia

Phanniam

Phanniam habeat, ueluti fidei inuiolatæ numẽ sanctius: (id enim pro culdubio commentum est uanissimum, & ad libidinem concepta diuinatio) sed quod libertus is ingenio esset lætitior, facetoso q;, minimè subdolo, aut inuido, & proinde iucundo admodum, & amœno. Expende Ciceronis uerba ex ea, quam modo aduocauimus, epistola, in nostram sententiam remis uelisq; eundũ. censueris. Is ergo apud Cælium æquissimè Appij naturam, Ciceronis in eũ studia & merita suauissimè & uerissimè aperuerat, quod ultro citroq; creberrimè, sicuti mos fuit temporũ illorũ, & nil est notius, commearet.

IDEM IN ALIAM AD CAELIVM EPISTOLAM Lib. 2. cuius initium, Magno dolore.

Vtor ætatis uitio, uelim ita sit, sed tamen togam prætextã texi apio, puto te audisse.) Quid uerba signarent haud perspicuè capere Interpres uisus fuit. Dicebat enim his uerbis id notari, quasi meã togam mœrore circundedi, quũ apiũ amarũ esse constet, quòd animo afflicto & iacẽti esset. Id tamẽ aliter intelligi cõuenire, qui sensum eruere uolet, haud dubiè animaduerterit. Cũ enim apiũ funeralis herba fuerit, exq; apij corona defunctorũ tumulos ornari, atq; in ludis funebribus apio coronari uictores proditũ sit, merito inquit, cũ tot calamitatibus Resp. opprimatur, ob immodicas simultates & ingruentia bella, cũ in atrocissimos fluctus Reip. incidi rim, ipsiq; cadenti nihil opis afferre ualeã, meã, inquit, togam prætextam, quæ magistratũ decet, texi apio, hoc est, funere: quasi eò indignationis uenerit, ut cũ ulterius

Alexander ab Alex. loco prius signato.

labantem Remp. ferre nequeat, deq; illius interitu crucietur & solicitus sit, sibi iam in extremo uitæ curriculo mortem proposuerit, quam pro Rep. libenter subiturus fuit: quod est dicere, si Resp. moriatur, se nolle uiuere. Sicut Asinius Pollio ad Ciceronẽ: Nam nec Reip. deesse uolo, nec superesse, inquit. Ideò Togam prætextã, quæ Prætoria & consularis est, apio, hoc est, funere texuerit: quod enim Græco est prouerbio usurpatũ, ut in mala ualetudine, et rebus acciſis & deploratis, apio opus esse dicant. Quos intellectus, qui rem assequi uolet, ex uerborum contextu planè redundare perspiciet.

IN EPIST. XII. QVAE INCIPIT, Grata tibi.

Steph. Doleti

De Dionysio, si me amas, confice: quancunq; ei fidem dederis, præstabo.] id est, ego in me recipio. Hoc est, quacunq; fide ad te uenire eum iusseris, id totum in me recipiam, & efficiam, ut tibi satis fiat. Est enim præstare, inter alia uerbi huius significata, exitum rei in se recipere, uel alienæ culpæ dispendiũ uelle luere: ut præstare euentum, præstare promissum alienũ. Neq; uerò res solum præstamus, sed etiam personas, & homines ipsos. Sed & absolutè ponitur in hac significatione hoc uerbum, uel cũ accusatiuo. Idem Cic. Famil. 6. Vt nihil in uita nobis præstandum præter culpam putemus. & ad Q. fratrem. Ego Messalam Cæsari præstabo, &c.

IN EPIST. VIII. QVAE INCIPIT, Non obliuione.

Steph. Dol.

De tuo aũt filio uereor, ne si nihil ad te scripserim, de

bitũ eius uirtuti uidear testimoniũ non dedisse: sin aũt omnia quæ sentio perscripserim, ne refricẽ meis literis desideriũ, ac dolorẽ tuũ.] Locus est hic Ciceronis corruptus: sed in exẽplari Aldino, quod castigatissimũ putatur, corruptissimus. ita enim apud Aldũ est: Ne si nihil ad te scripserim, debitũ eius uirtuti uidear testimoniũ nõ cœpisse. qua lectione quid absurdius? Reliqua tũ Galliæ nostræ, tũ Germaniæ exemplaria, cepisse sine diphtongo habent. quã lectionem neq; etiã nos probamus, neq; probare doctus quisquã meo iudicio potest. Capere enim testimoniũ, apud Latinos legere me nõ memini: si legitur, me castigo. Sed si iudiciũ nostrũ nõ aspernabere ita hũc Ciceronis locũ leges: Ne si nihil ad te scripserim, debitũ eius uirtuti uidear testimoniũ non dedisse. Testimonium enim dare, & Ciceroni & Latinis omnibus proprium est.

IN EPIST. I. LIB. VII. AD MARIUM, cuius initium, Si te dolor.

Ex Cælij Rhod. ant. Lect. lib. 11. cap. 49.

Apud Festũ Pompeium legi, iuraturos per Iouem Lapidem, tenere silicem solitos, eiusmodi ferè uerba enunciantes: Si sciens fallo, qui me despicit, salua urbe arceq; bonis eijciat, ut ego hunc lapidẽ. Ad quam uerborũ conceptionem amplius pensitatiusq; inspiciẽti, alluisse M. Tulliũ liquet, Epistolarũ familiarum septimo. per maximã interpretũ hallucinationem. Ita enim scriptum inuenias: Deliciæ uerò tuæ noster Aesopus eiusmodi fuit, ut ei desinere per omnes homines liceret. Is iurare cum cœpisset, uox eum defecit, in loco illo, Si falso sciens

Meminit T. Liuius ab V. C. libro primo & uicesimo: Eaq; inquit, ut rata scirent fore, agnum læua manu, dextera silicem retinens: Si falleret, Iouem, cæterosq; precatus deos, ita se mactarent, quemadmodum ipse agnũ mactasset, & secundum precationem, caput pecudis saxo elisit. Sed & alibi T. Liuius idem huiusmodi iurisiurandi formulam latius exequitur.

IN EPIST. AD TREBATIVM

Lib. 7. cuius initium est, In omnibus.

Ex Politiani Miscel. cap. 27. A. Gellij annotatio.

Hoc tibi tam ignoscemus nos amici, quàm ignouerunt Medeæ, quæ Corinthum altam arcem habebant, matronæ opulẽtæ optimates, quibus illa manibus gypsatissimis persuasit, ne sibi uitio illæ uerterent, quod abesset à patria. [procul: Nam multi suam rem bene gessere, & publicam patria Multi qui domi ætatem agerent, propterea sunt improbati.

Nemo ex his quorum edita sit sententia, suspicatus est adhuc non esse ista planè Ciceronis uerba, sed poëtæ alicuius magis, cui liceret uti uocibus istiusmodi, figurisque, ceu sunt illa, Quæ Corinthum arcem altam habebant, & matronæ opulentæ optimates: neq; saltem hoc uiderunt, iambos adhuc in his uersibus extare integros duos, aliorumq; quasi discerpta membra ueluti noscitari. Nos hæc ex Ennij Medea uerba esse collegimus, non quidem suo prorsus ordine, sed quo commodissimum Ciceroni fuit, allegata. Nam quũ de Græca Euripidis uersam ab Ennio Medeam in latinum cognouissemus, sententiam

tentiam protinus horum uerborum, de ipsa nimirũ Euripidis tragœdia (quando illius Ennianæ iacturam fecimus) libuit aucupari. Sic igitur in ea fabula cum matronis Corinthijs loquens inducitur Medea, uti persuadeat non sibi uerti uitio oportere, quod absit à patria: quando multi, inquit honesti etiam procul à patria, multi cõtrà domi fuerunt inglorij. Nam malè audiebant peregrinæ fœminæ. Vnde illud Comicũ: Adeon' est demens, ex peregrina? Similiter taceri posse ait Parmeno, Samiam fuisse Thaidis matrẽ, tũc Athenis uictitantis. Versiculos autem Euripidis ipsos ex Medeæ persona, ne quis fortasse desideret, hic adscribemus.

Κορίνθιαι γυναῖκες ἐξῆλθον δ' ὁμῶν,
Μὴ μοίτι μέμψηθ' οἷά γὰρ πολλοὺς βροτῶν
Σεμνοὺς γεγῶτας, τοὺς μὲν ὀμμάτων ἄπο,
Τοὺς δ' ἐν θυραίοις, οἷσι ἀφ' ἡσύχου ποδὸς
Δύσκλειαν ἐκτήσαντο, κἀδρᾳθυμίαν.

Plura uide apud ipsum Politianum, loco iam indicato.

IN EPISTOLAM AD TREBATIVM

Lib. 7. Incipit. In equo, &c.

In equo Troiano scis esse, in extremo, Sero sapiũt) Ita scriptũ ferè cunctis exemplaribus inuenitur. Deinde quod in Britannia nõ minus q̃ Philocteten te præbuisti, planè nõ reprehendo.] Diu me torserã, macerauerãq; eliciendo sensum de uerbis his, neq; procedebat. Quorsum enim de Philoctete hic Cicero? Sed enim postea codicem illum uetustissimũ, Laurentij Medicis opera sum

Ex Politiani Misc. ca. 87.

nactus, quẽ & superius citaui, minus multo quàm cæteri deformatũ, inquinatũ, peruersum, conturbatũ. nã in eo sic erat: Deinde quod in Britãnia nõ minus philotheorũ te præbuisti, planè nõ reprehendo. Nã Philotheorus is est, qui spectationũ studiosus, qualẽ se Trebatius in Britannia præbuerat, dũ præliũ fugitans, ocio se asserit, in armis medijs. Ex quo Ciceron materia ioci, & cauilli.

IN EANDEM.

P. Beroaldi

In ego Troiano scis esse in extremo, Sero sapiũt.) Neotericoteri, hoc est recentiores interpretes, magis implicant quàm explicant sensum epistolicũ. Scire aũt debes, uetus hoc fuisse prouerbiũ, Sero sapiunt Phryges: quod à Troianis natũ est, qui decimo deniq; anno uelle cœperant Helenã, quæq; cũ ea erant rapta, reddere Græcis, à quibus decennali bello pressi, uastati, uexati fuerãt. Sed sapientia Troianorũ serotina erat, & nimis tarda, qui tunc demũ resipiscere cœperant, quũ res eorum forent deploratæ, & ægritudo irremediabilis. Hoc autẽ prouerbium continebatur in extrema tragœdiæ parte, cui titulus erat Equus Troianus: quã Liuius poëta apud Latinos uetustißimus cumprimis condidit. unde à grammaticis citantur testimonia Liuij ex equo Troiano. Huiusce prouerbij mentio fit in codice Festi Pompeij integriori, ex quo excerpta exscriptáq; sunt illa, quæ uulgi manibus iugiter conteruntur. Iam satis liquet, opinor, quur Cicero dixerit, esse in Equo Troiano, sero sapiũt: uidelicet alludens ad prouerbium illud, Sero sapiunt Phryges, quod in extrema fabulæ clausula legebatur.

IN

IN EANDEM.

Petri Crinit. lib. 3. cap. 12.

M. Ciceronis locus exponendus est in epistola ad Trebatiũ Iureconsultum, quo loco de Philoctete agitur, cui similem dicit Trebatiũ in locis uarijs peragrandis. Deinde quòd in Britannia, inquit, non minus quàm Philocteten te præbuisti, planè nõ reprehẽdo. Quibus uerbis Cicero significat Trebatiũ ipsum parum certo loco cõsistere, sed peregrè uagari, & spectacula cõplura quæritare, ad exemplum Philoctetis, ut ex Græcis quoq; fabulis colligimus: in quibus Philoctetes inducitur, post acceptam iniuriam per uarias urbes ac regiones deferri. Sed eiusdem Ciceronis uerba repetenda sunt ex epistola ad Q. fratrem, ut apertius intelligamus, quàm sit hoc loco absurda mentio de Philotheoro. De republica, inquit, nimium te laborare doleo, & meliorẽ ciuem esse, quàm Philoctetem: qui accepta iniuria, illa spectacula quærebat, quæ tibi acerba esse uideo. Ex his aũt uerbis nemo est qui non uideat Philoctetem esse legendum, nõ Philotheorũ: quando & ueteres quoq; codices huic sententiæ adstipulantur. Quod ego cũ Politiano retulissem, ingenuè quidẽ & amicè professus est, nõ fines modò se hac in re, sed ipsam quoq; possessionem cõcedere.

IN EPISTOLAM AD FABIVM Gallum Lib. 7. cuius initium, amoris quidem. Epist. 25.

Cicero ad Fabiuu Gallũ septimo Familiariũ epistolarũ scribens: Amo (inquit) uoluntatẽ, sed pauca de re, citius opinor, olim nõ omnibus dormio, sic ego nõ omnibus

mi Galle seruio. Hæc Cicero. In cuius loci enarratione, Deus bone, in quæ deliramenta procurrunt, qui locum mendosum ne suspicantur quidem, nec omnino remotiorem uidentur odorati historiam, quamuis à Grammaticis quadantenus illustratam. Igitur meo periculo, fremant licet nostrates Lyncei, Ciceronis studiosi sic legent, atq; interpretabuntur: Amo uoluntatem, sed pauca de re. Cepius opinor, olim non omnibus dormio: sic ego non omnibus seruio. Sensus autem hic: Cepius, inquit, nisi memoria labor, olim dicebat, nõ omnibus dormio. Nam Pompeius Festus ad uerbum ferè ita scribit. Non omnibus dormio, natum uidetur à Cepio quodam, qui Pararhenchon dictus est, quod dormientem simularet, quo impunitius uxor mœcharetur. cuius etiam Lucilius meminerit. Ad quem sensum illud Satyricum interpretantur Grammatici,

Doctus & ad calicem uigilanti stertere naso.

In quo tamen loco sunt, qui uigilantem nasum pro sonãti, & ronchis obstrepero accipiant, nulla huius historiæ habita ratione, quum in Milite Plautus quoq; festiuiter & scitè admodum ita scribat: An dormit Sceledrus intus? nõ naso quidem, nam eo magnùm clamat. Legimus uero & in Græco penu pertinentem ad hoc ipsum historiam. Quippe Mecœnatẽ conuiuio exceperat Cabbas quidam, ut uidetur, ridicularius. procedente potu, ubi ex nutibus, renutibusq; in uxorculæ amorem prolapsum uidit Mecœnatem, atq; illam procliuius adlubescere, caput ceu dormiturus proclinauit. Accedente uerò

imprudentius seruo, ac uinum sustollẽte, placide insurrauit is, κακόδαιμον, οὐκ οἶδας ὅτι μόνῳ μοι κήνας καθεύδω, id est, Infelix an ignoras, quia soli Mecœnati dormio.

ALIA IN EANDEM EPIstolam.

Quod autem Tigellium epistola eadem patria sua pestilentiorem dicit Cicero, ad Sardiniam quidem referendum putant, sed pestilentem intelligunt propter salpugam formicæ genus uenenatum, & Sardoniam herbam. Ego ad aërem noxium referri oportere contenderim. quod ut credam, facit L. Florus, cum ait: Sardiniam pestilentem sortitus. Sed & Val. Martialis eleganti epigrammate hoc ipsum comprobat aptissimè:

Nullo fata loco possis excludere, cum mors
Venerit, in medio Tybure Sardinia est,

Sed & Silius Italicus etiamnum apertius, ut hæsitasse iam pudeat:

Serpentum tellus pura, ac uiduata ueneno,
Sed tristis cœlo, & multa uitiata palude.

ALIA IN EANDEM EPIstolam.

Ad ea uerò, quæ de Salacone dicuntur epistola eadem amplius sciendum, Salaconem fuisse Autolyci patrem, molliculum quendam, & delicijs diffluentem. propterea in Vespis Aristophanes, τρυφερόν τι διασαλακώνισον. Sed & in quadam epistola Menander ad

Glycerium, οἶδα γάρ μου τὰς συνήθεις ἀβελτερίας, ἃς οἱ μὴ φιλοῦντες με τρυφὰς, καὶ σαλακωνίας καλεῖν εἰώθασιν. Hoc est, Consuetam mihi imbecillitatem nosti, quam qui me minus amant, delicias uocant, & salaconias. Aristoteles in rhetoricis à delicato disparare salaconem uidetur. nam diuitũ mores exprimens, eos esse ait trypheros, id est, delicioſos & salaconas. Et trypheros quidem ob delicias & felicitatis ostentationẽ: Salaconas autẽ & Solœcos, quia insueuerint omnes circa id quod amant immorari, quodq; admirantur, ac putare eisdem cæteros affici, quibus ipsi. Quidam porrò deflexum inde uerbum σαλακωνίζειν exponunt, τὸν πρωκτὸν ἀισχρῶς κινεῖν, id est, sedem parum decore agitare, quod nos Ceuere dicimus. Id & σαυλοπρωκτιᾶν dicere Aristophanes uidetur. σαῦλον enim dicunt uitiosum, fluxumq;.

IN LIB. VII. IN EPIST. XXIIII. quæ incipit. Tantum ex.

Ex Celij ant. lect. lib. 4. ca. 12.

Quum M. Tullij epistolas familiares enarrarẽ Patauij maxima prouincialium frequentia, nec abdicatis tamen nostratibus, incidi in epistolam ad Fabium Gallũ ex libro (ni fallor) septimo, in qua ita legebamus: Trapezophorum, si te delectat, habebis. Id uerbum tanquam obex molestior, multum iniecit moramenti, quod non ita frequens uideretur, & interpres, ut plerunque auribus paulo erectioribus minus satisfaceret. Sed cum in Græcorum penu diuertissem, uasarijs omnibus, quod aiunt,

aiunt, excussis, tandem quod inquisitioni diuturnæ & solicitæ fuerat, sum uisus reperisse. Siquidem in libro Iulij Pollucis decimo ita legi: Licet porro mensam, in qua pocula reponuntur, tetrapun dicere, aut etiam monopun. uel si quis ambitiose nouis quidem abstineat, trapezophorum, uelut qui mensam gestet. Hæc Pollux. Qui & si non omnino uetus uerbum putat trapezophorum, interpretis tamen refellit inscitiam, in eo hallucinantis maximè. Nam etiamsi in ueteribus Græcorum libris in ea notione trapezophorus non ferè comperiatur, quis tamen inficias eat, Ciceronis ætate in usu fuisse? Pollux certè negare non uidetur. Nam alibi, mensam coquinariam ab iunioribus dici Epicopanon scribit, & tamen infert statim, uerbum id extare in Menandri Messenia. Verum & apud iureconsultum Florentinũ, Digestis de supellectili legata, id uerbum reperias notione, quam præstruximus. Porrò quis unquam uel legit, uel audiuit sacerdotis, quæ dicta sit trapezophorus, statuam, rem planè uisendam, circumferri solitã? Quid tam præsigne in Palladis ministerio uel fecit illa, uel excogitauit, ut non absonum sit, huiusmodi honores illi fuisse contributos? Præter nomen uix aliud reperias quicquam de ea in literis. quod ita esse, significare uidetur Harpocratio, à quo exponitur ea dictio. Ego uerò trapezophorum intelligo apud Ciceronem, statuam, quæ poculorum mensam sustineret. nam ex Vitruuij doctrina manifestò liquere omnibus puto, imagines hominum exculpi solitas, quæ columnas subiectæ fulcirent,

aut tigna, uel id genus alia: quas Græci Atlantes uocent, Latini telamonas. Quo in genere habentur, quæ Caryatides uocantur, nec non Epistylia sustinentes statuæ Persicæ. Quod & nostris temporibus nullo non in loco conuisitur. Sed in re confessa, nimis multa.

IN SEQVENTEM EPISTOLAM ad eundem Gallum Lib. 7. Epist. 26.

Epist. 26. Ex Cælij ant. Lect. lib. 7 cap. 17

Et quia in Ciceronis epistolas peruenimus, in quibus pleraq; reconditam habent doctrinam, proindeq; illotis, quod dicitur, non adeunda pedibus, subtexemus insequentium literarum obscuriora nonnulla, quæ Delium requirere natatorem imperitioribus forte uidentur, lucemq; pro uirili inferemus. Sed heus tu, inquit, manum de tabula. Magister adest citius, quàm putaramus. Desinamus (inquit) Cæsarē lacessere, discriminis haud parum ingruit ab eo, qui præter quàm fueramus opinati, & præcinctura monere uidebatur, dictaturam arripuit. Vnus deniq; est omnia, isq; est sine prouocatione magistratus, nec usquam præsidij spes, nisi in cura parendi. Sum ueritus, ne si libere, ac Catonis more mentē nostram retegere perrexerimus, in Catonium contrudamur: id est, in euidēs præcipitemur exitium. Id ipsum scripserat ad Ciceronem Gallus, ut stilo parceret, nec Cæsarem irritaret. Hoc etenim illa uerba significant. Videris enim mihi uereri, ne si istum habuerimus: sic enim legendum est: id est, Si Cæsarem prosciderimus, & epistolarum argumentum ab eo duxerimus, rideamus γέλωτα σαρδάνιον. id est, dum illum ridemus, ipsi pereamus.

pereamus. Quòd uerò magistrum pro dictatore accipiamus, forte ridiculum sciolis haud ita multa uersantibus uideatur. Cæterum scribit Seneca, eum, quem modò dictatorem dicimus, & in historijs ita nominari lectitamus, apud antiquos magistrum populi uocatum, & id in libris adnotatum auguralibus: præterea esse argumento, quod qui ab illo nominabatur, magister equitū erat & dicebatur. Porrò T. quoq; Liuius dictatorem refert moderatorem, atq; magistrum consulibus appositum. Sed de Finibus item tertio libro, de sapiente: Rectius, inquit appellabitur magister populi (is enim est) dictator, quàm Sylla, qui trium pestiferorum uitiorum, luxuriæ, auaritiæ, crudelitatis magister fuit. Rectè ergo Cicero ait: Sed heus tu manum de tabula, magister adest. quod eum habet sensum: Ne hoc quidem fortaßis rectè scribo, non esse distringendum stilum in Cæsarē. nam si hoc feciße significaremus, uerendum est, ne libertas nimia fraudi sit, ac in mortem trudat. Siquidem Catonium pro inferis rectè poni, ex Laberio comprobauit Gellius, Noctium Atticarum lib. 16. etiamsi inter sordida, obsoletaq;, ac maculantia, id esse uocabulum putat. Nec eo uerbo esset usus Orator, nisi de industria ex obscuritate iocū captasset. Quod uerò est in epistolæ calce, ita legendum est: Vrgeo igitur, nec transuersum unguem, quod aiunt, à stilo (is enim est dicendi opifex) atque equidem aliquātum iam etiam noctis assumo. Ego, inquit, ad syntaxin & compositionem totum me dedi, sestinoq; ita, ut mihi ipse otium negem. à stilo enim, id est

à scri

à scribendo, & de ingenij fertilitate quippiam promendo, ne minimum quidem reuellor, quando assiduitas exercitationis dicendi copiam maximam parit. Cõfirmatur sententia hæc Ciceronis præcepto ex 1. de Oratore: Caput autem est, inquit, quod (ut uerè dicam) minimè facimus. est enim magni laboris, quem pleriq; fugimus, quàm plurimum scribere, stilus optimus & præstantissimus dicendi effector atq; magister. Quæ omnia repetõs Fabius lib. 10. Vt laboris, inquit, sic utilitatis etiam longè plurimum adfert stilus. nec immerito M. Tullius hũc optimum effectorem ac magistrum dicendi uocat. Cui sententiæ personam L. Crassi, in disputationibus quæ fiunt de Oratore, assignando, iudicium suũ cum illius auctoritate coniunxit. Quod uerò ad Cæsarem ista referũt enarratores, planè ridiculum est.

EPIST. XXX.

In mancipio, id est, ædium dominio, transferẽdo, cedẽdoq;. Vnde M. Curius Ciceroni lib. 7. Epist. Si uales, benè est, sum enim χρήσει μέν tuus, κτήσει δὲ Attici nostri: Ergo fructus est tuus, mãcipium illius.) Vsu quidem, inquit, tuus suum: possessione uerò, Attici. Mancipium autem pro iure dominij posuit, quod ab usu distinguitur. Vide Budæi annotationes.

G. Budæi

IN EPISTOLAM CAELII AD Ciceronem Libro 8. epist.

In epistolis familiaribus Ciceronis præposterus, & peruersus lectionis est ordo, qui mihi nunc loco restituendus, quasiq; instaurandus. Quare adhibe quæso animum

mum, quicunq; liberaleis has literas amplecteris. Igitur in lib. octauo Cælij epistola ad Ciceronẽ sic incipit: Certè inquam absolutus est, me repræsentante pronunciatum est, & quidem omnibus ordinibus, sed & singulis in unoquoq; genere sententijs. Vide modo inquis. Hucusq; ordo nondum interpellatus. Quæ autem statim sequũtur uerba, literis ostenderis, &c. Diuersa prorsus à superioribus, atq; alterius epistolæ inuenias. Perge porrò ab ea ipsa epistola deinceps numerare sequentes, ad eam quæ sit quarta & uigesima, Cuius ita principium: Nõ me Hercules: nihil unq̃ enim, quæ cum superiore cõtinuatur, ut legas ita: Certè, inquã, absolutus est, me repræsentãte, pronunciatũ est, et quidẽ omnib. ordinibus, sed in singulis in unoquoq; genere sentẽtijs. Vidi modo, inquis. Nónne Hercules. Nihil unq̃ enim. Atq; ita reliqua subtege, donec ab ipsa quã diximus alterius esse epistolæ peruenieris ad sequẽtẽ decimã, cuius hoc initiũ: Sic tu inquis Hirciũ? quã eo usq; lege, dũ in uerba hæc incidas: Si ullã spem, quæ simul offenderis, totũ hoc delebis: Aut in tecto uitij, cætera mihi probabuntur. Totũ hoc, inquam, delebis aut induces, quoniam aliena planè huic loco. Mox denuo recurres ad ea quæ posita perperam sunt, in illa Cælij, de qua primitus dictum, atque ita continuabis lectionem, si ullam spem his literis ostenderis, ita tractim legens ad epistolam peruenies tertiam ab hac & uigesimam, sic uidelicet incipientem: Duabus tuis epistolis respondebo, clausamq́e hac fini. Si enim nihil est in parietibus, aut in tecto utij, cætera

cætera mihi probabũtur. Post eam, quæ statim consequi debet epistola, quæ nunc ab illa undecima, sic ordines: Delectarunt me tuæ literæ. Vide Politianum in Miscel. capite 22.

IN EPISTOLAM CAELII LIBRO 8. cuius initium, Non dubito quin.

Apud Ciceronem in Epistolis familiaribus à Cælio concinnatis, uidentur esse aquarij, qui aquam circumferunt uenalem. Nisi ego, inquit, cum Aquarijs & Tabernarijs pugnarem, ciuitato ueternus occupasset. Iuuenalis: ueniat cõductus Aquarius. Aquaria prouincia in Cicerone aduersus Vatinium, cura est Quæstoris, præfecti mercibus, quæ mari uel omnino aquis subuehuntur, ne quid exportetur. Sed & publicis aquis, præfici solitos quosdam scimus. De quibus quandoq; sit Sen. Cos. factũ, ut cum eius rei causa extra urbem forẽt lictores binos, & seruos publicos ternos. Architectos singulos, & Scribas, & Liberarios, accensos & precones totidem habere liceret. Hosce dici quandoque aquarũ curatores animaduerto, interdum & aquarios. Iulius Frontinus: Ille aquariorum tollẽdus reditus, quem uocant punctã. Et mox docet, fuisse quendã qui appellaretur à pũctũ. Pertinebant & ad eandem aquarum rationem, qui uocabantur Villici, Castellani, Silicarij, Tectores. Sed hæc fermè ministeria erant. Alibi Frontinus. Aquariorum fraudẽ nominat, quos aquas ex publicis ductibus inpriuatorum usum deriuare deprehendisset. Super quã re Cæli Rufi ædita quoq; legebatur Oratio, cui titulus fuit De

drum, ἐπέπασα ὥσ τὸ τεῖχος ἅλας. id est, sale insperси tarichos. & masculino apud Aristophanem, τάριχον τοῦτον πλύνων. id est, Tarichum abluens hunc. Horæum tarichos inueni apud Pollucem lib. 7. siue horatarichos: sicuti etiam tarichopolas, quos Latinè salarios dixit Martialis, hoc est, qui salsamenta uendunt.

IN EPIT. AD PAETVM LIB. IX. cuius initium, Amo uerecundiam.

Testes à Græcis ὄρχεις appellantur. Dicuntur et colei ab eruditis, atq; item lanuuini, & cliternini, ut est in Ciceronis epist. ad Pætũ. Apud quem tamẽ arriserit magis, si clitorinos legas, potius q̃ cliterninos, dictione ab Græcis producta, apud quos clitoriũ est muliebre pudendũ, quod & sacandrus dicitur. unde κλιτοριάζειν, turpiter membrũ id attrectare significat. Pollux per ῥ scribere mauult, ubi ait lib. 2. Onomastici: Totũ in uirginali, siue intersœmineo, uocatur κτείς, id est, pectẽ, aut epision. rima uerò dicitur schisma, quod arctũ illatenus quãdoq; est, ut mulier fieri nequeat, sicuti commeminit Vulpianus. quæ interiacet subsultãs carũcula, nympha nũcupatur, aut myrton, siue epideris, aut κλιτορίς. id est, cletoris. Est & κλιτώριον, hoc est cletoriũ, apud illos: sed id uerbũ quãdoq; mẽsam indicat regiã, quãdoq; etiã gloriã. Iã opinor restitutus est cãdori suo M. Tullius

Ex Cæl. ant. lect. lib. 21. cap. 39.

IN EPISTOLAM AD PLANCVM LIB. 10. cuius initium, Etsi Reip. causa.

Apud Plinũ præmissa uini uocantur primitiæ. Hermolaus emendans, promissa reponit, publica lectione

Ex Cæl. ant. lect. lib. 7 cap. 47

expuncta. Mihi autem mire arridet uerbum Præmissa, ut intelligamus primitias quasdam, sicuti præmissa sacrorum dicuntur. Vtitur eo uocabulo et M. Tullius epistola quadam ad Plancum: Et tuarum, inquit, literarum præmissa meminissem. Etiam si in uulgatis modò codicibus passim scriptum inuenias promissa, nõ præmissa: sensu nullo, aut leuissimo.

LIB. X. EPIST. 33. Quo tardius.

Nam neq; deesse Reip. uolo, neq; superesse.] Superesse pro superstitem esse dixit. Significat enim, si Resp. emoriatur & pereat, nolle se uiuere. Sic Plaut. in Asinaria, Sicut tuum uis unicum gnatum tuæ superesse uitæ sospitem & superstitem.

Ex A. Gellij Noct. Att. li. 1. cap. 22.

EX LIBRO VNDECIMO EPIST. 14. ad Brutum, locus ab Angelo Politiano restitutus.

Rusticum nimis & illepidum sordidũq; adeò planè uocabulum Ciceronis epistolam occupauit, eã quæ est ad Brutũ, isto principio: Mirabiliter mi Brute lætor. sic enim in ea legimus: Meaq; ille uehementes contentiones tanquam scientia adnihilatæ esse uideantur. Quod quidam tamen hactenus corrigunt, ut dicant, tanquam si iam adnihilatæ esse uideantur. Consulant quæso, eruditi peritiq; idoneorum uerborum ueterumq; lectionũ, consulant suum quisq; iudicium sensumq;, ac tum dèmũ credere audeant, adnihilatas contentiones scriptum fuisse à Cicerone. Nos in codicibus duobus Medicæ familiæ, quorum supra quoq; fidem allegamus, mendose id etiam

Ex Politiani Miscel. cap. 27.

etiam: sed tamen ut erroris adhuc uestigium non sit abolitũ, sic reperimus, Tanquam Sciamachalaæ esse uideantur. Quare suspicamur legendũ, Sciamachiæ. Sũt enim Sciamachiæ nihil sanè aliud, quàm umbratiles pugnæ. Sentit enim Cicero hoc utiq;, frigere iam se planè in senatu, non succedentibus Bruto rebus, suasq; illas uehementeis contentiones, sciamachias uideri. Vocabulũ ipsum perquàm est elegans apud Græcos, & magnopere usitatum. Quin Galenus quoque medicus in libro 2. ὑγιέινῶν sic ait, μεταξαίνειν δὲ καιρὸς ὧδε τὰ ταχέα, χωρὶς ἐντονίας & βίας, σκρόμοι δ' εἰσὶ ταῦτα & σκιαμαχίαι. Inter celeres exercitationes, quæ tamen attentæ uiolentæq; nõ sunt, etiã cursus adnumerat, & sciamachias. Deniq; uel Eustathius in Odysseæ commentario Rhapsodiæ tertiæ, de uerbo eo sic meminit, ὁμοίως δὲ καὶ τὸ μὲν ὑπὸ σκιᾶς μαχόμενα φαῦλον σκηλοῖ δ' ἐν. ὃ μέντοι & τὸ σύνθετον σκιαμαχεῖν. Et M. Varro satyrã unã è suis illis Menippeis, sciamachiã inscripsit. hæc enim est apud Gellũ uera ex antiquis exemplaribus lectio: nõ, ut quidam etiã scribunt, Criomachia. Quin paulò etiã suprà in epist. eadẽ Ciceronis, uocabulũ alterũ quod est ὄργανον, de græca scriptura deprauatũ migrauit in latinã. Nam pro eo quod erat ὄργανον, factũ iam optanon. neq; aũt hoc quoq; ab ullo hactenus animaduertitur. Quare sic legeris: Planè iam Brute frigeo. organon enim erat meum senatus: ut quo pro organo Cicero, proq; instrumento utebatur.

IN EPISTOLAM CICERONIS ad Tironem Libro 16. cuius initium, Tu uerò confice.

Ex Politiani Misc. cap. 28

In Ciceronis epistola ad Tironem, quæ posita in extremo Familiarium uolumine, sic scriptum est: Etsi Atticus noster, qui quondam me commoueri πανικοῖς intellexit, idem semper putat, nec uidet quibus præsidijs philosophiæ septus sim. Hercle quod timidus ipse est, θερυβοποιεῖ. Panica uocantur, ut arbitror, à Græcis repentini quidam terrores, & consternationes: quales utiq; lymphatici metus, usq; adeò irreuocabiles, ut non ratione modò, sed mente etiam careant. Quo item uerbo Cicero idem utitur in epistola ad Atticum lib. quinto: Scis enim, inquit, quædam πανικὰ dici. Facit item Higinius de panico terrore mentionem, quo loco de Capricorno, his uerbis: Hic enim dicitur, cum Iupiter Titanas oppugnaret, primus obiecisse hostibus terrorem, qui panicos dicitur, ut ait Eratosthenes, quam fabulam & Germanicus innuit, in Arateo commentario. Euripides in Medea sic ait.

καὶ τὶς γεραιὰ προσπόλων δόξασά πο
ἢ πανὸς ὀργὰς, ἤ τινος θεῶν μολεῖν ἀνολόλυξε.

Panos autem uocat iras Euripides, sicuti est apud antiquissimũ ipsius interpretẽ, τὰ πανικὰ δείματα, id est panicos terrores, ὅτι τλὴ τῶν ἀιφνιδίων φόβων καὶ παραχῶν αἰτίαν τῷ πανὶ ἀνατιθέασιν. Quoniam, inquit, repentinorum terrorum & consternationum causam, deo Pani tribuunt. Et apud Synesium in libro de Prouidẽtia, sic inuenio fermè, καὶ πανικοὺ θόρυβοι μεθ' ἡμέραν τὸ στράτευμα κατελάμβανον, Et panici tumultus interdiu exercitum occupabant. Quo loco ampliter etiam, cuiusmodi essent hi denique terrores, explicatur, &c. Plura uide apud ipsum Politianum, loco indicato.

LOCA QVAEDAM EPISTOLARVM M. T. Ciceronis, ab Erasmo Roter. uel in melius restituta, uel scitius explicata.

Epistolarum familiarium Lib. 2.

Epistola ad Curionem, cuius initium, Hæc negotia quo.

Etsi ubicunq; es (ut scripsi ad te antea) in eadem es naui, tamen quod abes, gratulor.] In eadem es naui, dixit pro eo quod est in communi periculo.

LIBRO FAMILIARIVM EPIST. VII.

Ad Fabium Gallum, cuius initium, Amoris quidem.

Olim non omnibus dormio: sic ego mi Galle, nõ omnibus seruio.] Videtur indicare Cicero alterum, puta, non omnibus dormio uetus fuisse: alterum nempe, non omnibus inseruio, nouum. Vtrunq; certè prouerbiale: sed prius illud pertinet ad concessionem iuris, hoc posterius ad obsequium impendendum.

EADEM EPIST.

Habes Sardos uenales, aliũ alio nequiorem.] Sentit

Cicero de contemptis & improbis: & ni fallor, patria quoq; Sardis. Nam ita scribit paulo antè hunc locum: Id ego in lucris pono, non ferre hominem pestilentiorem patria sua.

IBIDEM PROXIMA epistola.

Videris enim mihi uereri, ne si istum habuerimus, rideamus γελώτα σαρδώνιον.) Significans futurum, ut si Cæsar rerum potiretur, multis arridere atque applaudere cogerentur, quæ magnopere displicerent.

EODEM LIBRO AD CVRIONEM, cuius initium: Memini quod.

Quum enim salutationi nos dedimus amicorũ, quæ fit hoc etiam frequentius quàm solebat, quod quasi auê albam uidẽtur benè sentientem ciuem uidere, abdo me in bibliothecam, &c.) Albam auem, pro re noua & inauspicata dixit M. Tullius.

EPISTOLA CVRII AD CICERONEM Lib. 7. cuius initium, Si uales, bene.

Sed amicè magne, noli hanc epistolam Attico ostendere. Sine eum errare, & putare me bonum uirũ esse. Nec solere duos parietes de eadem fidelia dealbare.] Volebat enim Curius pariter & Attico & Ciceroni uideri summus, ac de se uno fructum quidem Ciceronis, mancipium autem Attici facere.

Libro

LIBRO EPISTOLARVM FAMILIARIUM 9. ad Dolabellam, cuius initium, Gratulor Baijs nostris.

Sed ego hospiti ueteri, & amico, munusculũ mittere uolui Leuidense crasso filo, cuiusmodi ipsius solẽt esse munera.] Munus Leuidense prouerbiali nimirum figura uocat munus uile minimiq; precij, cuiusmodi uulgaribus amicis mißitare diuites consueuerunt. Proinde Marcus Tullius orationem suam, parum elaboratam atq; expolitam, Leuidense munus appellat.

EODEM LIBRO EPISTOLA ad Pætum.

Iam pater eius accusatus est à M. Antonio, sutorio atramento absolutus putatur.] Subesse uidetur prouerbium. Sentit, opinor hominem absolutum fuisse iudicum corruptela, non citra infamiam.

LIBRO EPISTOLARVM Familiarium 2.

Mordere frenum Decius Brutus libro epist. famil. 2 posuisse uidetur pro eo quod est, uel leuiter repugnare seruituti. Si frenum momorderis, peream, si te omnes quotquot sunt conantem loqui ferre poterunt, hoc est: si utcunq; significaueris te seruitutem iniquo animo ferre. Ad hanc sententiam faciunt quæ respondet Cice. Si timidus, inquiens, essem, tamen ista epistola omnem mihi metũ abstersisses, &c.

LIB. X. EPIST. XXXIII.

Quo tardius.

N.Scelſ. Vet.Cod.

Hac in epiſtola in aliquibus ſic eſt principiũ, Si uales benè eſt, ego quidem ualeo. Quo tardius certior factus ſum. Atq; utinam eodem ſenatuſconſulto, quo Plancum, & Lepidum arceſſiſtis. Nam & robur, & ſoboles militum interijt omnis. Quas Narbonæ habuiſſe dicitur, ſimilis palma rerum, neceſſe erat, ſi uellet commeatus per prouinciam eius, iter faciens habere etiam Lepido parêre. Sed ut rationem comperi eo die, quo prælium Panſa commiſit, Antonium Iturpiter Mutinæ obſeſſionẽ reliquiſſe. Sed habere equitum cohortes 5. legiones ſub ſignis armatas treis.

Nomenclatura

quos M.T.Cicero in hiſce Epiſtolis familiaribus ſcribit, ſecundum alphabeti ordinem.

A
Cilio Procon.
Allieno Proconſuli
Anchario Q.F. Proconſ.
Appio
Appio Balbo
Appio Pulchro
Ariſt.Procon.
A. Cæcinnæ
A.Torquato

B
Aſilio
Bithynico
Bruto

C
Antonio M.fil. Imperatori
C.Caßio proquæſt.
C.Caßio
C.Cæcilio Q.fil.
C.Cæſari Imper.
C.Curtio Peducean.
C.Marcell.Con.deſ.
C.Mario
C.Memmio
C.Munatio F.
C.Trebonio
Caninio
Cluuio
Cn.Plancio
C.Planco
C.Planco Imperat.Coſ.deſignato
Cornificio collegæ
Curioni
Curio Proconſuli
Culeolo
Craßipedi

D
Bruto Imperatori Coſ.deſ.
Domitio

F
Vrnio

L
Eptæ
L.Luc.Q.fil.
L.Meßino
M.Paulo Coſ. deſignato
L.Valerio Iuriſcon.

M
Cælio
M. Catoni
M.Curio

M.Fabio

M.Fabio Gall.
M.Lepido
M.Licinio P.F.Crassо
M. Mario
M.Marcello
M.Mar.Cos.
M.Rutilio
M.Terent.Var.
Oppio
PApirio Pæto
P. Cæsio
P. Dolabellæ
P.Lentulo Procon.
P.Nigidio Figulo
P.Sestio L.F.Proconsuli
P.Sestio P.F.
P.Silio Proprætori
P.Sulpitio Imper.
P.Vatinio Imper.
QVatuoruiris,& Decurionibus
Q.Gallo
Q.Ligario
Q.Metello Procon.
Q. Metello Qu. F. Celeri proconsuli
Q.Philippo Proconsuli
Q.Thermo Proprætori
Q.Valerio Q.Orcæ F.
Leg.Prop.
REgi
Rufo
SEruilio
Seruilio collegæ
Seruilio Isaurico Proconsuli
Seruio Procon.
Seruio Sulpitio
Sextilio Rufo Quæst.
TErentiæ
Terentiæ,Tulliolæ, Ciceroni
Tironi
Titio
Titio M. F. Rufo Prætori Vrbano
T.Fabio
T.Fursano Prætori
T.Tutio T.F.Leg.
Torano
Trebatio
Trebonio,
Tullius Ter. & pater &c.
VArro:i
Volumnio

Eorum

EORVM QVI AD M.T.Cic.& alios Elenchus.

A.Cæcinna Cicer.
Bithynicus Cicer.
C.Asinius Cic.
C.Cassius Proconſ.Cice.
C.Marius Cicer.
C.Treb. Ciceroni
Cælius Ciceroni
Cn.Plancus Imper. Consu. designa.Cos. Præt.Trib. Pleb. Senat. pop. plebiq; Romano
Cn.Plancus Cos.design. Cicero.
D.Brutus Imper.Cic.
D.Brutus M.Bruto,& C. Cassio
L.Luceius Qu.F.M.Tull. Cice.Mar.filio
M. Brutus, & C. Cassius Præt.M.Antonio Cons.
Marcus Cato Cicnroni
Mar.Curius Cice.
Marc.Lepidus Impe. item pont.max.Ciceroni
Marc. Marcellus Cicer.
Marc.T.Cicero filius Tironi
M.T.M.F.Cicero Procon ſul Cõſulibus, Præ.Trib. pleb.S.P.Q.R.
M.T.M.F.Cice.Cn.Pompeio,Cn.fil.magno Impe ratori
P.Dolabella Cice.
P. Lentulus Cicer.
P.Lentul. P. F. Proquæſt. po.Ro.Conſ.Præt. Trib. ple.Senatui,pop. plebiq; Romano
Q. Cassius Cicer.
Q.C.M.T.Ciceroni fratri
Q.Cicero Tironi
Q.M.Celer,Qu.Ciceroni
Q.Metellus nepos Ciceroni
Sergius Galba Ciceroni
Seruius Sulpitius Ciceroni
Vatinius Imperator Ciceroni.

FINIS.

BASILEAE. APVD BARPTHOLO=
MAEVM VVESTHEMERVM,
ANNO M. D. XLIIII.

Spes mea deiecit, spes me frustrata est, spes in vanum ruit.

Praestare cupiam diu vobiscum vivere, quam non diu.

Cic: epist. XV libro IV. ad Atticum.



II 4
1926 :
2949